































ORIGO ITALIÆ ac ROMÆ ad hanc diem ignota.

Romæ Superiorum Permissu. 1655.

Typis Francisci Monetæ

IACOBI HVGONIS
CAN. THEOL. BELGÆ INSVLENSIS

VERA
HISTORIA ROMANA
SEV ORIGO LATII VEL ITALIÆ

AC
ROMANAE VRBIS
E' tenebris longæ vetustatis in lucem producta.

LIBER PRIMVS
Qui primordia Europæ, ac Latij primæui Annales demonstrat, atque Vrbis Conditæ.

AD SANCTISSIMVM D. NOSTRVM
ALEXANDRVM
HVIVS NOMINIS SEPTIMVM.




ROMÆ, Typis Francisci Monetæ. MDCLV.

SVPERIORVM PERMISSV.

IAPHET TERTIO FILIO (NOE)

NASCVNTVR LATINI

ET QVI ROMANI.

S. Epiphanius in Anchorato.







SANCTISSIMO D. NOSTRO
ALEXANDRO VII
PONT. OPT. MAX.





AVSTO Sidere, BEATISSIME PATER, Romuleos illuſtrante colles, necnon æquè læto portento *Arboris Ramo Aureo* diuitis, cum triplici corona iam *ter* [a] renaſcentis, Europæ, Italiæ, ac Romanę Vrbis cunabula reperta, ſanctiſsimis oculis videnda, offeruntur. Neque hæc dumtaxat, ſed & verum Ianum, & verum *Æneam*, cum vera Troia, Lauinio, & Alba, Romulumque non falſum cum germano Remo, aliaque complura, fabularum ſitu & rubigine abſterſa, ad Principem (vt fit inuento theſauro) ex præſcripto legum iure deferimus. Et verò futurum, vt nonniſi ALEXANDRO VII Pontifice ſupremo, antea ignota innoteſceret Roma, atque

[a] Sub Sixto IV, Iulio II Alexandro VII.

Romæ Parens, cum cæteris arcanis Sibyllę Poetis, & Poetę suis [a] *doctis fabulis* (quæ plurima continent Sibyllarum folia) ante Christum natum prædixisse videntur. Quando enim Aeneas, à quo Aeneadæ Romani appellati, Patrem in inferis latentem agnoscit, & mysteria plurima de Laurentibus populis, & Vrbe Latini, & progenie sua seu Romana discit? equidem RAMO AVREO lecto, quem Sibylla docet. Nam

[b] *Non Ante datur telluris operta subire,*
Auricomos quam quis decerpserit Arbore Fætus.

Terrę Italæ igitur atquē Europeæ operta nunc pandi, conspectumque Lati seu Latini Patris, quem longa vetustas, quasi consepultum in inferis adhuc occuluit, adire Aeneæ, vel (quod idem) Petro, siue Petri Ecclesiæ contingit, cum is RAMVM AVREVM in CHISIA QVERCV inuētum decerpsit, hoc est, ALEXANDRVM, aureum Gentis Aureæ Surculum, suæ Cathedræ vacantis successorem legit. Cęcus est enim, qui non videt, hoc arcano symbolo, illum à Poeta, magistra *Sibylla*, bellissimè præuisum, bellissimè descriptum. quale enim hodierni Pontificis insigne, & quali metallo CHISIÆ Ramus Arboris fulget,

[c] *Talis erat species Auri frondentis Opaca*
ILICE, sic leni crepitabat bractea vento.

An non præter aurum Arbor Ilex conuenit, vbi is nascitur, Rouerea Quercus siue Domus, ab eadem ilice *Roborea* dicta? quid, quòd illa *opaca*, vt gentilitium hanc insigne præfert, atque vti modò per *Opacam Ilicem*, & aliàs quoque Virgilius meminit? siquidem

a 2. Petri 1. a Aeneid. 6. c Ibidem.

La-

[a] *Latet Arbore Opaca*

Aureus & folijs & lento vimine Ramus.

Rursum

[b] *pinguem diues Opacat*

Ramus humum.

Iam *Columbæ duces* hunc Aneæ monstrant, quod Pamphyliæ volucres illum semper sibi carum ac *optatum* Ramum præire deberent, & super eodem successore suæ Oliuæ sedere. Nam Maronis Aues seu Columbæ

[c] *Sedibus optatis, Gemina super Arbore sidunt,*

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.

Audi'n GEMINAM ARBOREM, qualis Chisiana? audi'n *sedes* Columbis Pamphylijs *optatas?* Adde quod *auidus* Ramum eius *cunctantem* Aeneas decerpit:

[d] *Corripit extemplo Æneas, Auidusq. refringit*

Cunctantem.

Auidus quidem, quòd aureum sub hoc Aureo Capite Ecclesię sæculum inchoandum videret: *cunctantem* verò, ob nonnullam (vt euenit) in Purpuratis Comitijs moram, antequam FABIO rerum potituro, tantisper cunctando, Roma potiretur. Quid quòd *vno* Pontificio Ramo, ex eadem Quercu per mortem auulso, Sixto, atque Iulio, in ALEXANDRO dignissimo hærede,

[e] *Non deficit Alter*

Aureus, & simili frondescit virga Metallo?

Quid ergo miramur, si iam illo Ramo ab Ænea lecto, & in manu siue potestate Petri coruscante, meliusque fulgente, *telluris operta*, &. quasi *inferorum abdita* modò *adeantur,* de

a Ibidem b Ib. &c.

de *Laurentibus populis*, de *Vrbe Latini*, de *progenie tota* eiuſdem Aeneæ, mira pernoſcantur, ſi hac (vti ita dicam) diuina ac fatali virgula, Sibyllini myſterij opes ac fodinæ diuites orbi recludantur, & (quod rei caput) velut diu extorrẽ, ac tandem poſtliminio reuerſum,

Noſcat ALEXANDRO *ſub* PATRE *Roma Patrem?*

Geminum, inquam, Patrem, Petrum atque Iaphet, denſa fabularum ſiue vetuſtatis caligine pridem occultatos? Quin Poeta Lyricus in Oda de Dijs, & heroibus claris, ad idem Pontificium inſigne haud obſcurè alluſit, quando *Sidus Arbori* hoc modo coniunxit:

[a] *Creſcit occulto velut ARBOR æuo*
Fama Marcelli, micat inter omnes
IVLIVM SIDVS, velut inter ignes
Luna minores.

Creuit enim, ac iam ſępius *creuit*, nempe ad ſupremum, qui in terris, Apicem, Rouerea Quercus, *occulto*, hoc eſt, noſtro *ęuo*, gentilibus ignoto, ac ijs omiſsis, quæ Iulio Cæſari putida & inepta adulatio quondam affingebat, veriſsima nunc metamorphoſi, IVLIO II in Chiſios transfuſo per adoptionem, IVLIVM certè quidem in Stellam conuerſum, ſeu IVLIVM SIDVS *micans* aſpicimus, & Romanos Colles ſereno, ac ſalubri vultu (non illo horrendo Cometę aſpectu) beans & inaurans, vt tot ominibus lætis ALEXANDRO regnante, nihil pręterea optandum ſuperſit, quàm vt

[b] *Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior æuo,*
Qua Caput Auguſtum, quem temperat, orbe relicto,

a Carm. l. 1. b Met. l. 15.

Acce-

Accedat cælo, faueatque precantibus absens.
Quod commune VRBIS atque ORBIS votum, sua quoque infima prece ratum esse cupit


SVAE SANCTITATIS

Humillimus Seruus
Iacobus Hugo
Canonicus Belga Insulensis.

Impri-


Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Pal. Apost. Magistro.

Marcus Antonius Oddus Vicesgerens.



PErlegi Codicem, cui titulus *De Origine Romæ* à *Iacobo Hugone* &c. Nihil in eo offendi, quod aduersetur sanę doctrinę fidei, aut bonis Moribus. Historiæ verò quam contexit, eiusque Allusionum, fides penes ipsum sit Authorem. quapropter vt typis detur, permittere poterit (meo quidem iudicio, saluo semper saniori) P. V. Reuerendiss. Sic censeo, & subscribo, in Aedibus S. Andreę de Vallę: 18. Kal. Octobr. 1655.

D. Augustinus De Bellis Cler. Regul. S. Theolog. Professor, & Sac. Congreg. Indicis Consultor.



Imprimatur

Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Apostol. Pal. Magister, Ordinis Prædicatorum

AR-

ARGVMENTA RERVM

Quæ hoc Libro primo continentur.

PRomulsis benigno Lectori.

Testimonia vetera, ac noua conglobata, quæ Romam ante Romulum conditam, eiusque historiam fabulosam demonstrant.

Apparatus in Originem & Annales Latij vel Italiæ, ac Romanæ Vrbis. pag. 1

CAP. I. 1. *A Noe filio, qui dicitur Iaphet,* Europæos *tanquam à Parente, suam & sui nominis originem ducere.* 2. *Ab hoc item* Larium, *&* Latinum *genus, ac sermonem.* 3. *Quatenus docta antiquitas suum hunc* Europæ, *ac potissimè* Latij *Patrem agnouerit, aut ignorauerit?* pag. 11.

CAP. II. 1. *Inclytus Heros Iaphet, diuino alloquio, benedictione, ac fœdere dignatus.* 2. *Illius in parentem denudatum pietas & reuerentia, quid mysticè signarit?* 3. *Quo pacto in posteris iuxta prophetiam fuerit dilatatus?* pag 17.

CAP. III. 1. *Ædificatio Vrbis, atque Turris Babel,* Olympicus Agon *antiquorum fuit, vnde Chronologia &* Olympiades *Græcorum existunt.* 2. *Duarum Epocharum* Sedes *à* Scriptoribus *priscis ignoratæ,* Olympiadum, *atque* Vrbis Conditæ. 3. *Post impeditum Babylonis opus, Iaphetus princeps Argonauta ad* Insulas Gentium *vacuas occupandas,* Argo *classem parat.* 4. *Argonautica à Sibylla descripta, perperam Historici veteres & Poetæ confundunt.* pag. 19.

CAP. IV. 1. *Iuxta tres filios Noe, mundum ab antiquis trifariam diuisum, & quinam Europæ propriè dictæ limites?* 2. *Iapheti proles ac nepotes quot, & quam ob causam Scriptura enumeret?* 3. *In* Taurica, *vnde* Turcæ *genus, seu* Cimmerio Bosphoro, *idem Princeps Argonauta filium* Gomerum, *& nepotes* Ryphat, & Thogorma *collocat, vnde Cimmerij, Ryphæi, & Germani, siue Thogormani.* 4. *Inachus dolens ob filiam in bouem conuersam, Iaphet esse monstratur, & nonnulla de* Tauricis *seu* Turcis. 5. *Exinde in Bosphoro Thracio* Thyras *statuitur, à quo* Thraces *orti.* pag 26.

CAP. V. 1. Ascenes *in Ascia situs vulgò (Asia minore) vnde Asiani, Hassi, Ascanii Germaniæ populi, seu Aschenets descendunt.* 2. Cethim *siue* Cythim *in ostio Danubii, origo Scytarum, Getarum, Celtarum, Gothorum, qui Europam omnem postmodum inuasere.* 3. Madai *ad eamdem Danubii ripam, vnde Medi Europæi, Moldaui, Daui, Dai, Daæ, Daci, siue Dacæ.* 4. Mosoch *ex aduerso, à quo populi Moesi siue Mysi, Moschi, Moschouitæ, Mysni.* pag. 32.

CAP. VI. 1. *Primi Græciæ coloni* Elisa, Iauan, Magog, & Dodanim. *ab* Elisa *Helle, seu Hellas (Græcia) & ἕλληνες Græci, & Aeoles, atque Hellespontus.* 2. *A* Magog. *Macedo, & Gens Mygdonia, atque Magnesia. à* Iauan (Ion *hebraicè) Ionii, & Ionium mare. a* Dodanim, *Dodonæi populi antiquissimi descendunt.* 3. *Græcarum vocum etymologiæ quædam explanantur. Quæ* Græcia maior, *quæue* Minor *dicta?* pag. 33.

CAP. VII. 1. Tharsim, *ac* Thubalem *in Hispanico freto ad suas columnas Iaphet Hercules locat. 2. America sub eo nondum habitata. 3. Vaticinia Sibyllæ de illa aliquando serò detegenda.* pag.37.

CAP. VIII. *In* Latium *tandem Pater* Latus *Iaphet à suis columnis Herculeis nauigat, ibi sedem fixurus, quod firmissimis iterum rationibus probatur.* pag.41.

CAP. IX. *Synopsis Nominum Patris Iaphet,* Latinorum *simul populorum & locorum, qui ab ijsdem originem deducunt.* pag.48.

CAP. X. *Illustriora nomina, prænomina, agnomina veterum Latinorum, quæ à Iaphet Parentis Italiæ vocabulo descendunt.* pag.64.

CAP. XI. 1. Romam *idem Parens ad Tyberis flumen condit ac dedicat.* 2. Ab Vrbe Condita *Latinorum Epocha, & Chronologia. 3. Vnde Vrbis* Colles *vocabula sortiti?* pag.77.

CAP. XII. 1. *Cur* Ianum *primum Italiæ colonum, & Romanæ Vrbis ex parte Authorem prisci crediderin?* 2. Iani *nomen, mensis, festiuitas, nauis, geminum caput, baculus, claues, officium,* 3. *Ianiculum item collis & oppidum, Regia in Vaticano, loca Romæ Iano dedicata, Templum clausum, & apertum, Olympus ciuitas, Carna coniux, subditorum mores atque religio,* Ianitoris cæli *in Vrbem aduentum, Primatum, & Cathedram fundandam Romæ prædicebant.* 4. *Ab hoc item Templa consecrata, Altaria erecta, sacrificia instituta, Magistratuum sacra ordinatio, eiusdem synonymæ voces, Patria, Apotheosis, Aqua sulphurea, idem præmonstrabant.* pag.86.

CAP. XIII. 1. Æneam *Troia profugum, & in Latium tendentem, ibidemque* sponsa Lauinia ducta, *de eiusdem nomine* oppidum *extruentem, D. Petrum esse.* 2. *Idem* Albæ *conditor. quænam* Alba longa, *Alba, &* Albula? *qui* Albani Patres? *quisue* Tyberinus *in Albula demersus?* 3. *Quis* Syluius *Regum Albanorum* Parens? 4. Aneæ *genus atque Prosapia Petro accommodatur.* pag.97.

CAP. XIV. *Per* Ilium *seu* Troiam, *sacram* Solymæ *Vrbem à priscis describi,* Aeliam *quasi* Ilium, *quoque nuncupatam.* pag 103.

CAP. XV. 1. *Tota* Ilias *Homeri, &* fabulæ de Troiano bello, *ordine temporis de Solyma narrantur.* 2. Iliados *fabulis, Euangelium Christi, vitam, atque mortem, & quæ hanc secuta, summatim exponi.* pag. 109.

CAP. XVI. *Acta Apostolorum* eadem Iliade *Homeri, atque* Historijs de Troiano bello, *plenius contineri.* pag.117.

CAP. XVII. *Bellum Iudaicum cum supremo excidio Solymæ, à Iosepho Historico relatum, iisdem fabulis de* Ilio & Troia *esse comprehensum.* pag. 120.

CAP. XVIII. Aeneide *seu* Nauigatione Aeneæ, *Cathedram Antiochenam, nec non iter Petri in Latium, & Romam, clarissimè prædici.* pag. 129.

CAP. XIX. Aeneide *rursum &* Nauigatione Aeneæ, *sicut* Odyssea, *cursum nauis Petri (Ecclesiæ) describi.* pag.138.

CAP. XX. 1. *Aduersos casus nauis Ecclesiæ, eadem* Aeneide, *atque* Odissea *esse præmonstratos.* pag.145

CAP. XXI. Aneæ *in* Latium Aduentus *multifariam prædictus, nec non* longa bella ob Lauiniæ nuptias, *eiidem Aeneam Petrũ esse clamitant.* p.157

CAP.

CAP. XXII. Troiani *ad extremum* cum Latinis in Latio permixti,& Aeneæ pietas, *Templa, sacra, Ritus, mors, Apotheosis, Petrum esse* Aeneā *aperte confirmant*. pag.167.
CAP. XXIII. *Cur Italia* tellus Laurentia, Lauinia, & Daunia *olim appellata, Italique* Daunij, Lauinij, *ac* Laurentes? *Vbi perillustre* Venetorum Etymon, *aliorumque Latii populorum, nec non* Historia Lauretanæ Domus *à doctis fabulis ante Christum natum prædicta monstratur*. pag. 177.
CAP. XXIV. Per Romulum *&* Remum *Vrbis Conditores, Apostolos* Petrum *atque* Paulum, *Romanæ Ecclesiæ (non Vrbis) Authores prædictos*. pag. 195.
CAP. XXV. *Quid* Reges *Romuli successores velint? quidue ijdem eiecti?* pag. 210.
CAP. XXVI. *De primis* Romanæ Historiæ *Annalibus, à* Romulo *ad* Magni Alexandri *Imperium, &* Punicum bellum, *sententia Authoris*. 2. *De Bellis* Punicis *item, primo & secundo*. 3. *Vbinam* Historiæ Romanæ *incipiat veritas seu fabula desinat?* pag 216.
CAP. XXVII. 1 *Anacephalæosis superioris doctrinæ, quam vel sacræ paginæ innuere videntur*. 2. *Hac recepta, scriptores de primordiis Romæ summè discrepantes, summè conueniunt*. 3. *Reditus ad parentem Orbis Europæi, atque Vrbis* Iaphet, *cur* aureum Sæculum *illo Romæ regnante?* 4. *Opera ab eodem in Vrbe perfecta*: Palatium, Sacræ Aedes, Porticus, Argiletus, *vbi Argo Classis diu conseruata, tandem computruit*, Rostra, Via Appia. pag.233.
CAP. XXVIII. *Quantùm Latus Parens, primis in* Germaniam, Galliam *Transalpinam*, Belgium, Britanniam, *cæterasque* Hispaniæ *atque* Africæ partes *coloniis transmissis, primæui Latini Imperii fines dilatarit?* pag. 240.
CAP. XXIX. *Europæ* nobilitas *omnis, atque* dignitates *ab Iaphet profectæ*. pag. 246.
CAP. XXX. 1. *Quam longæuus is* Princeps Latinus? 2. *Et* Sibylla *coniux seu* Mater Carmentis? *Vbi de* Sibyllis *&* Libris *earum certiora docentur*. pag. 248.
CAP. XXXI. *Chronologica Tabula Historiæ Romanæ, à Diluuio Terrarum ad Christi Natalem*. pag.257.
CAP. XXXII. *Residuæ Quæstiones, quæ ad Latij, & Europæ Annales quadantenus spectant*. pag. 264.
CAP. XXXIII. *Vindemia è doctis fabulis, seu* Sibyllæ *Foliis, pro Romanæ Ecclesiæ ritibus, sacris, & dogmatis, aduersus Atheos, Gentiles, Iudæos, & Heterodoxos*. pag.281.

 PRO-

PROMVLSIS
BENIGNO LECTORI.

A CVM primus hic Liber (Beneuole Lector) non solùm ad hoc tempus ignotos Romanæ Vrbis natales reuelet, sed eadem opera, ipsa argumenti necessitate compulsus, complurima mysteria exponat, quibus Atheismum, Gentilismum. Iudaismum, & hæreses hodiernas iugulet: visum operæ pretium non mihi dumtaxat, sed & grauissimis viris, qui Romæ versantur, si quæ de Poëtis ac Sibyllis passim disputantur, rursum hoc initio operis (tametsi magnam partem excusi) ita præmunirem, vt nullius calumnia conuelli, aut moueri possent. Itaque ijs in limine statim occurrendum duxi, qui forsitan sentirent, prophanis gentilium dogmatis sacra mysteria confirmanda non esse, vt hæc opinio non modò Patribus, sed etiam Scripturis, ac consuetudini in Ecclesia receptæ, aduersa ostendatur. Id verò ex sola D. Hieronymi Epistola ad Magnum oratorem Romanum abundè probatur, qui cum ex eodem Hieronymo quæreret, cur prophana atque sæculari gentilium doctrina libros inspergeret, se Scripturarum consilio & exemplo adductum, atque plurimorum eius interpretum, seu Ecclesiæ Patrum id facere respondet, adeo vt contrariam suæ opinionem, appellare prauam non dubitet: *Quod quæris in calce Epistolæ tuæ, cur in opusculis nostris sæcularium literarum interdum ponamus exempla, & candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus,*

B *numquam hoc quæreres, si Scripturas sanctas legeres, si interpretes earum euolueres*. Deinde hoc propositum suum compluribus Scripturis, ac amplius quadraginta Patrum exemplis confirmat, & sese in ijs non omnes mortuos ac viuëtes ait enumerare, quòd *diues materia* Epistolæ *angustiis* includi non possit. prauè ad extremùm sentire, qui putent, contra gentes agendo, id esse licitum, aliàs cum Christianis, non

Ib. item: *Nec statim praua opinione fallaris, contra gentes hoc esse licitum, in aliis disputationibus, dissimulandum, quia omnes penè omnium libri eruditionis, doctrinæque* (Gentilium) *plenissimi sunt*. Et quamuis hæc Hierónymi Epistola ad nostrum institutum probandum oppidò sufficiat, cum non soliùs Hieronymi, sed Scripturarum, ac tot Ecclesiæ Patrum, testimonijs abundet, libet tamen ad maiorem lucem, Scripturas & loca quorumdam Patrum in medium afferre, quibus Hieronymi responsio innititur, additis pauculis, quæ ob epistolæ angustias omisit. Ac quod quidem ad Scripturas attinet, Moysem & Prophetas docet, ex

Ib. gentilium libris quædam mutuatos. *Quis* (inquit) *nesciat, & in Moyse & in Prophetarum voluminibus, quædam assumpta de gentilium libris?* Illud quoque prouerbiorum Salomonis: *Animaduertet Sapiens parabo-*

Cap. 1. *lam & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum*, de Philosophis gentilibus propriè dictum asserit. Apostoli quoque exemplum adducit: *Paulus Apostolus Epimenidis Poetæ abusus versiculo est, scribens ad Titum, in alia quoque epistola Menandri ponit senarium, Ara-*

tum

tum testem vocat, *inscriptionem fortaitam* (Atheniensiū idololatrarum) *arte torquet in argumentum fidei*. Mysteria item plurima Scripturæ idem probantia congerit: *Dauidis extorquentis de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncantis*. Illud item Deuteronomij mysticè ad rem suam confert: *Mulieris radendum caput, supercilia, omnes pilos, & vngues corporis amputandos, & sic eam habendã in coniugio*. Vnde infert: *Quid ergo mirum, si & ego sapientiam sæcularē de ancilla atque captiua Israelitidem facere cupio? & si quid in ea mortuū est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado, & mixtus purissimo corpori vernaculo, ex ea genero Domino Sabaoth? labor meus in familiam Christi proficit, stuprum in alienam auget numerum conseruorum*. Idem Osee fornicantis, Esaiæ radentis, Ezechiel tondentis quoque typis confirmat: *Osee accipit vxorem fornicariam Gomer filiam Debalaim, & nascitur ei de meretrice filius Iezrael, qui vocatur, Semen Dei*. *Esaias nouacula acuta barbam, & crura radit peccantium*. *Et Ezechiel in typo fornicantis Hierusalem tondet cæsariem suam, vt quidquid in ea absque sensu & vita est, auferatur*. Hactenus Hieronymus propositum suum Scripturis conglobatis defendens. Cui adstipulatur D. Augustinus, qui quod in Exodo factum memoratur, vt Ægypto discedens populus Israelis, ab Aegyptijs aurea & argentea vasa commodata auferret, id profanas gentilium doctrinas ad vsum Christi prædicandi olim adhibendas, procul dubio designasse affirmat. Item Clemens Alexandrinus, vbi *Ioannis* 10 *Christus* sese *ostium* nominat, & *quotquot ante se venerunt, fures & latrones*, omnes Philosophos, ac Poetas antiquos vocari in hunc modum asserit. Fures quidem, quia ex Prophetis, aut Scripturis sacris sua furati sint: Latrones autem, quod ijs sacratis dogmatis perperam intellectis, *Idololatrarum*, quos imbuebant, animas occiderint: *Scriptum est, omnes qui fuerunt ante aduentum Domini, sunt fures & latrones*, *Omnes autem vniuersè intelliguntur, qui in eloquentia & doctrina sunt versati, ante susceptam à Deo carnem*. Item: *Latrones & fures fuerunt, qui sunt apud Græcos Philosophi, qui ante Domini aduentum, à Prophetis Hebræis partes veritatis id minimè agnoscentes, sumpserunt*. Rursum: *Cum ergo apertè ostensum sit, quomodo fures à Domino dictos esse Græcos, sit audiendum*. Amplius: *Quod totius scripturæ Græci dicti sint fures, satis, vt opinor, pluribus ostensum est indicijs*. Quis igitur non inique vetet, à Gentilibus ea furta repeti, quæ Christus detexit? Hinc factum, vt Petrus *fabulas* antiquorum, *doctas* appellarit, ijsque *Christi virtutem ac præsentiam notam fieri posse* subinsinuarit, vt Paulus *Poetam*, qui de *Cretensium* moribus prouerbium scripserat, agnominet *Prophetam*, puta, quod à Prophetis vaticinium furatus siue mutuatus, vt Ecclesiasticus *sapientiam omnium antiquorum* à sapiente *exquirendam* admoneat, & *narrationem virorum nominatorum* ab eo *conseruandam*, quòd non solùm de sacris Authoribus dictum, sed & de prophanis, ipsi communiter interpretes docent. Atque hæc, opinor, ex Scripturis tum veteris tum Noui Testamenti testimonia producta, propositum nostrum abundè confirmant. Etenim longum esset, ampliùs quadraginta Patres, aut Scripturæ Interpretes ab Hieronymo laudatos, vti supradictum, in medium adducere, qui iam inde ab Apostolorum tempori-

C
1. Reg. 17.
c. 21.
cap. 1
cap. 6
cap. 5.
L. 2. de Doctr. Christ.
Strom l. 1
5. 6.
Strom l. 1.
D
Ib.
Lib. 6,
Lib. 6.
2. Pet. 1. 8.
1. Tit.
Cap. 39.

E poribus, quatuor ferè sæculis, ad ipsum vsque floruerant. ex quibus primæuæ etiam consuetudo Ecclesiæ cernitur, gentilium scriptis ad Euangelij vsus adhibendis. De quibus ita Hieronymus: *Qui omnes in tantum*
Sup. Ep. ad Magnum. *Philosophorum doctrinis, atque sententijs suos inferciunt libros, vt nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Screpturarum?* Illud quoque de Origine permirum adiungit: *Origenes decem scripsit Stromateas, Christianorum, & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia* (obserua hanc vocem) *nostræ religionis dogmata, de Platone, & Aristotele, Numenio, Cornutòque confirmans.* Ac quoniam supra cæteros Patres B. Clementem Alexandrinū
Ib. extollit his verbis: *Clemens Alexandrinæ Presbyter Ecclesiæ, vir meo iudicio omnium eruditissimus, octo scripsit* Stromatum *libros. quid in illis indoctum? imo quid non è media philosophia est?* ob hanc, inquam, laudem, eius Patris illustres quasdam sententias de hoc argumento, silere non possum, quibus sanè docet, prophana gentilium dogmata, tametsi necessaria haud sint, neque fidem contineant, at qui ea spernant, imperitos, et margaritas tanquam porcos calcare, ex Verbi namque Theologia illa esse decerpta, atque ex Prophetis furtiuè sublata, eademque admirabilia, & Deum maximè inspirantia vocat, denique ijs Apostolos Petrum atque Paulum Christo prædicando olim vsos esse. de quibus nobis sigillatim idem audiendus: *Non me latent*, inquit, *ea etiam, quæ*
Strom. l. 1. *ab aliquibus imperitè tumultuantibus iactantur, qui dicunt oportere in iis versari, quæ sunt maximè necessaria, & quæ fidem continent. externa autem, & quæ sunt superuacanea, transilire, quæ nos frustra centerunt, & detinent in eis, quæ ad fidem nihil conferunt.* quibus sic respondet:
Ib. *Barbara ac Græca Philosophia æternæ Veritatis auulsam quādam particulam ex Verbi Theologia decerpsit. qui autem diuisa rursus composuerit, & perfectum vnum Verbum fecerit, scias futurum, vt veritatem ci-*
Ib. *tra periculum contempletur.* Rursum: *Nunc adhuc vereor, vt ait*
F (Christus) *ante porcos iacere margaritas, ne eas conculcent pedibus. Est enim difficile, de vero lumine verè puros & perspicuos ostendere sermones suillis & indoctis auditoribus. His enim* (Philosophorum, & Poetarum dogmatis) *vix possunt apud vulgus vlla magis audiri ridicula, rursus*
Lib. 6. *autem apud ingeniosos, magis admirabilia, & Deum magis inspirantia.* Item: *Hæreses, quæ sunt in barbara Philosophia, etiamsi vnum Deum dicant, etiamsi Christum celebrent, id ex comprehensione dicunt, non ex veritate* (nēpe fidei) *nam cū eo alium Deum inueniunt, et Christum non excipiunt, sicut tradunt Prophetæ.* Rursum: *Quod Deus Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos à vulgo secreuit, præter Petri prædicationem, declarabit Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, & Hytaspem sumite & legite, & inuenietis Dei filium multò clarius & apertiùs esse scriptum* (*& quemadmodum aduersus Christum multi Reges instruent aciem & eius fideles*) *& eius tolerantiam & aduentum.* quem eumdem locum Baronius in suo apparatu ad Annales laudat. Ibidēm quoque Clemens Græcis Philosophiam prophanam, veluti Testamētum & Scripturam diuinitùs concessam affir-
Ib. mare audet: *Minimè errabimus, si dicamus ipsam Philosophiam Græcis velut proprium datam esse Testamentum.* Ad cumulum quædam Augu-

stini

ſtini ſententiæ accedant, quibus hanc quæſtionem de gentilium dogmatis ad ſacra adhibendis, vti Hieronymus, alijque ſupradicti Patres, apertè decidit: Nam de Ciuitate Dei: *Quisquis alienigena* (inquit) *id eſt, non ex Iſrael progenitus, nec ab illo populo in canonem ſacrarum literarum receptus legitur aliquid prophetaſſe de Chriſto, ſi in noſtram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari poteſt, non quòd neceſſarius ſit, etiamſi deſit, ſed quia non incongruè creditur, fuiſſe & in aliis gentibus homines. quibus hoc myſterium reuelatum eſt*. Item de Doctrina Chriſtiana: *Doctrinæ omnes gentilium liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores continent, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ erucrunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obſequia Dæmonum abutuntur, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelii*. Item ibidem enumeratis pluribus Patribus Orthodoxis, qui id perfecerint, mox illud ſubiungit: *Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa gentium conſuetudo diſciplinas, quas vtiles habebat, numquam commodaret, ſi eas in vſum vnius Dei colendi, quo vnus idolorum cultus extingueretur, conuerſum iri ſuſpicaretur, ſed dederunt aurum, & argentum & veſtem ſuã exeũti populo Dei ex Aegypto, neſcientes quemadmodum illa quæ dabant, in Chriſti obſequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, ſine dubio figuratum eſt, vt hoc præſignaret*. Rurſum: *Philoſophi qui vocantur, ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vendicanda*. Cauſam etiam hanc præclaram affert: *Quiſquis bonus veruſque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, vbicumque inuenerit veritatem*. Sed quid pluribus opus? vel inde ſuum errorem agnoſcant, qui prophanas gentiũ diſciplinas ad ſacra probãda inutiles credunt, aut damnare audent, quòd propheticis gentium libris complures gentiles ad Chriſtum adducti, qui iccirco etiam à Cæſaribus Romanis, ac Senatu olim interdicti, contra quas ſanctiones etiam acerrimè Patres declamarunt. Teſtis Cæſar Baronius: *Ac quod ad ipſos gentiles pertinet, ſuis ipſorum Propheticis libris, ad Chriſtianam religionem ſectandam iidem impellebantur*. Et idem: *Antoninus Pius, quòd intelligeret occaſione Sibyllinorum carminum, & aliorum gentilium vatum, ac prophetarum, qui multa de Chriſto prædixiſſe viſi eſſent, complures à patria ſuperſtitione deficere, & ad Religionem Chriſtianam confluere, eiuſmodi librorum lectionem penitus vetuit, appoſita pœna mortis. De quo quidem edicto nonniſi odio hoſtis humani generis promulgato Iuſtinus Chriſtianus Philoſophus apud eumdẽ Imperatorem grauiter conqueritur*. Ad extremum nonne S. Patres Ioſephi Iudæi pro Chriſto Iudæis prubando de eodem Chriſto elogium adducunt? non & hodierni Hæreſum impugnatores gentilis & blaſphemi hominis, & Chriſtianorum oſoris atque irriſoris Luciani ſcriptis, atque Lampridij, Ammiani item Marcellini, atque aliorum, hodiernos Chriſtianorum ritus ac templa defendunt? Itaque ex hactenus dictis non ſolùm mens Patrum, ſed etiam Scripturæ, & Eccleſiæ vetus atque recens conſuetudo, ſcriptis Gentilium ad ſacra vtendi perſpicuè elucet. Et quamuis Poëtæ, cum gentilium fabulis, ijs generatim comprehenſi cernantur (nec enim fabu-

L. 18. c. 47.
G
L. 2.
H
Ad annum Chriſt. 243
Ad ann. 57.

I fabulæ ad solos Poëtas, sed & Philosophos, Historicos, & totum vulgus ethnicorum pertinent; qui omnes poetica Numina atque fabulosa, Iouem, Dianam, & similes, vt liquet, vná coluere, ac de his fabulas innumeras scripsere) idem tamen argumentum, quatenus ad Poetas spectat, & gentium fabulas, paulò vberiùs pertractare iuuat, ac de his monstrare (ne quis calumniæ locus relinquatur,) non solùm historias Testamenti veteris, sed & maximè noui, antequam euenirent, vel liquidò expressisse, vel fabulis suis tanquam velis quibusdam obscurè obtendisse, ideòq. Patres poeticam doctrinam atque fabulosam tanquam à Prophetis sumptam vsurpasse atque explanasse, præsertim cum contra Gentiles aut Iudæos agerent. Quod enim ad vetus Testamentum attinet, vel ex Metamorphosi Ouidij liquet, quàm consona Mosaicæ Genesi à Poetis tradantur. De hominis rursum formatione prima ab ijs descripta ita Lactantius:

De orig. er. ror. l. 1. *De hominis fictione Poetæ quoque, quamuis corruptè, tamen non aliter tradiderunt, nempe hominem de luto à Prometheo factum esse dixerunt; res eos non fefellit, sed nomen artificis.* Aquarum item à terris separationem, & Moysis colloquium cum Deo, fabulis Oceani & Thetidis, ac

Strom. 5. Minois Iouem alloquentis, ab Homero narrata Clemens Alexandrinus in hunc modum refert: *Homerus describens per paraphrasim aquæ a terra separationem & manifestam aridæ detectionem, dicit de Thetide & Oceano: Tempore nam longo cessauit inire cubile Alter in alterius.* Item

lib. 2. de Moyse: *A Græcis quidem celebratur Rex Minos, qui nouem annis familiariter cum Ioue est versatus, cum audiuissent, quemadmodum Deus*

K *cum Moyse loquebatur.* Idem quoque Stromatum libro sexto Apologũ de *Aeaco* pluuiam Græciæ precibus impetrante, ex Samuelis historia ac

Apol. 2. facto sumptam esse narrat. Noam item à gentilibus *Deucalionem* nominatum ait Iustinus Martyr: *Diluuiũ neminem reliquum faciens præter vnum cum suis, apud nos cognominatum Noem, apud vos Deucalionem.* Iam Dionysius, nempe Areopagita, fabulosam gygantum pugnam Genesi explicari his verbis ostendit: *Quis cõmemorabit illam gygantum pu-*

Ep. ad Tit. *gnam, quæ in Genesi exponitur?* Atque hæc de veteri Testamento satis, veniamus ad nouum, in quo res maiorem admirationem habebit, ideo enim necesse fateri Poetas & Gentiles olim à Prophetis instructos, vtpote qui à Christo docenda & gerenda, quæquè in Ecclesia erant euentura, tantò ante eiusdem aduentum & Euangelium orbi promulgatum, clarè præuiderint. Quod Iustini Martyris, Tertulliani, Clementis dicti Alexandrini, Lactantij, Eusebij, Minutij felicis, Epiphanij, Hieronymi, Augustini, atque aliorum Patrum testimonijs planum faciemus. Nam Iustinus Martyr, qui discipulis Apostolorum ætate par fuit, de Poetis antiquis, & gentium fabulis luculenter illa pronuntiat: *Sed quoniam priusquam*

Apol. 2. *ille Christus homo inter homines esset, nonnulli per poetas, ista* (ad Christum spectantia) *perinde atque iam facta essent, fabulis compositis inclusa referre occuparunt, refutationem huiusmodi instituimus; primò cum congruentia cum Græcis afferamus, soli tamen odiis expetimur propter nomen Christi.* Et in eadem Apologia pro Christianis: *Omnia quæ de animæ immortalitate, aut suppliciis post mortem, aut cælestium rerum contemplatione, aut similibus doctrinis & Philosophi & Poetæ dixerunt, a Prophetis argumento sumpto & intelligere ea & explanare potuerunt.*

Quo-

Quocirca apud omnes semina veritatis esse videntur, sed comperiũtur non exactè ea cognouisse, quandoquidem sibi ipsis contraria proferunt. Et clarius ibidem de Christo fabulis Poetarum incluso: *Audito, Christum à Prophetis deprædicatum, aduenturum esse, atque per ignem impios homines discruciatum iri, multos qui Iouis dicerentur filij, in medium* Poetæ *produxerunt. efficere se posse* (per Poetas) *dæmones sunt rati, vt homines pro fabulis prodigiosis, poeticisque narrationibus, res Christi haberent.* Rursum: *Quod autem dicta prophetarum audientes, sensum eorum non rectè intellexerint, sed hallucinantium more res Christi sint æmulati, explicabimus. Ab Moyse* ita *prophetatum est. Non deficiet Princeps ex Iuda, & Dux de lumbis eius, donec veniat &c. & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vitem pullum suum, lauans stolam suam in sanguine vuæ. His verbis auditis Dæmones, Dionysium Iouis filium esse dixerunt, inuentoremque vitis prodiderunt, & asinum in mysteriis & arcanis eius sacris duxerunt, & dilaniatum eum ascendisse in cælum docuerunt.* Et paulò infra idem author: *Bellerophontem quoque ipsum hominem ex homine genitum, in equo Pegaso in cælum peruenisse promulgarunt. Cum autem accepissent ex Virgine nasciturum, & per se ipsum in cælum conscensurum esse, vti Perseus celebraretur, inuenerunt. Atque vbi etiam cognouerunt, prædictum esse in iis ipsis vaticiniis, vt tanquam robustus Gygas curreret viam, Herculem fortem, qui omnem peragrarit terram, prædicarunt. Vbi verò rursus intellexerunt vaticiniis promissum illum, omnem morbum curaturum, & mortuos resuscitaturum esse, Aesculapiũ subintroduxerunt.* Item: *Quin & Mineruam consimiliter filiam Iouis nominarunt, non ex concubitu genitam; Quia enim cognouerant Deum, per Rationem ac Verbum condidisse mundum, veluti primam intelligentiam siue notionem, Mineruam appellarunt.* Rursum ibidem: *Sin peculiariter genitum* (Christum) *à Deo rationem ac Verbum dicimus, commune hoc nobis sit vobiscum, qui Mercurium verbum à Deo internunciũ nuncupatis.* Hactenus Iustinus, qui similia in Dialogo cum Triphone Iudæo repetit, imo Virginis partum refellenti illi, tanquam Danaes fabulæ planè consimilem, reponit Iustinus, ex fabulis, vnde refelleret, Christum demonstrari: *In Græcorum fabulis dictum est, Perseum è Danae Virgine in auri forma in illam eo, qui apud ipsos Iupiter vocatur, fluente, prognatum esse. Ac vos* (Christiani) *eadem cum illis dicentes, erubescere, & non ita prodigiosa loqui debetis, vt ne pariter cum Græcis desipere coarguamini. Atque ego* (Iustinus) *ad ista respondi: ò Trypho, quin potiùs ego, ex quibus refutationem proferre putatis dictis & rebus* (fabulosis) *ex eisdem verborum meorum, cum sacrarum literarum attestationibus, perficiam demonstrationes.* Tum fabulis supra memoratis easdem conficit, iisdemque in medium adductis ita protestatur: *Neque nos propterea, quòd eadem, quæ illi* (Poetæ, ac Philosophi) *dicimus, sed quod veritatem ipsam profitemur, suscipi, ac probari petimus.* Idem quoque exhortatione ad Gentiles, iudicium extremum Poetas prædicasse ait: *futurum post huius vitæ finem iudicium, Poetæ simul & Philosophi deprædicant.* Idem quoque superiore Apologia pro Christianis scripta ad gentiles Cæsares, horum edictum Lectionem Poetarum prohibens, quòd clariùs de Christo locuti, de quo supra Baronius, in dæmonum instinctum,

L

M

In dialog

Apol. 2.

Apol. 2.

O ctum, vt causam, refundit; *Opera & instinctu malorum dæmonum: mortis suppliçium aduersus librorum Hidaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores constitutum est*. Neque eiusdem egregium Poetarum encomium hic prætereundum, ex quibus vnum Deum Monarcham demonstrat: *Demonstratione ex Poetica, in quam antiquitus Græci omnē contulere scientiam, petita vtar*. Neque solas fabulas, sed & gentilium Symbola, ritus atque sacra, Christi mysteria, vti signum crucis, cæteraque signasse, idem Doctor ait: *Quin & signa vestra figuræ huius* (Crucis Christi) *vim præferunt ac delarant. vexillorum signa dico, aliorumque insignium & tropæorum, per quæ progressus à vobis in publicum quouis locorum fiunt, Imperii & potestatis indicia in hisce ostendentibus, licet hæc non intelligentes faciatis. Et qui apud vos moriuntur, Imperatorum imagines, forma ista* (Crucis) *consecratis, & Deos inscriptionibus nominatis*. puta quod nemini beatitudinem, nisi per Crucem Christi obuenturam in prophetis legissent. Iustino Martyri Tertullianus in omnibus consentit, nam ex eo quoque, quod Baptismi ritus, Confirmationis, & Eucharistiæ à Prophetis acceptos, Gentiles suggerēte Dæmone in suis sacris fuerint æmulati, exinde colligit, eosdem Propheticas Scripturas, quas quidem *instrumenta* vocat, suæ quoque prophanæ fidei accommodasse: *Ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum, in idolorum mysteriis æmulatur* (Dæmon) *Tingit & ipse quosdam vtique eredentes & fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit. Signat illic in frontibus milites suos,, celebrat & panis oblationem* &c. ex quibus deinde concludit: *Qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit exprimere, vtique & idem & eodem ingenio gestiit & potuit, instrumenta quoque diuinarum rerum, & Sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, Parabolas de parabolis, prophanæ & æmulæ fidei attemperare*. Cum verò hic dicitur *dæmon tingere, celebrare, signare*, & similia agere, metonymicos intellige, atque hæc dæmonem non per se, vtiliquet, sed per gentiles, quibus suggesserit, demum effecisse. qua simili phrasi Iustinus supra *Aesculapium, Perseum, Bacchum* & similes Deos dixit à *Dæmone inductos*, eò quòd Poetas atque gentes ad hoc instigasset. Sed Tertulliani de Poetis ethnicis illud percelebre Apophtegma extat: *Quis* Poetarum, *qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit?* Et cum Euangelicum dogma attulisset de æterno igne, in quem Christi iussu amandādi impij, *Hæ sunt* inquit, *quæ in nobis solis* (Christianis) *præsumptiones vocantur, in Philosophis &* Poetis (vestris) *summæ scientiæ & insignia ingenia*. Item: *Omnia* (gentilium sacra, & dogmata) *aduersus veritatem, de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ suborta, ab his quædam etiam fabulæ immissæ, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potiùs euincerent, vt quis iccirco non putet Christianis credendum, quia nec Poetis, nec Philosophis, vel ideo magis Poetis & Philosophis existimet eredendū, quia non Christianis*. Et paulò post: *Ridemur* Deū *prædicantes iudicaturum, sic enim & Poetæ, & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si Gehennam comminemur, proinde decachinnamur, sic enim & Pyriphlegeton apud mortuos amnis est. Et si* Paradisum *nomina-*

De Monar. c h. Dei.

Apol. 2.

De Præsc. c. 40.

P

In Apolog.

Ib.

Ib.

minamus, Elysij campi fidem occupauerunt. Vnde hæc Philosophis & Poetis, tam consimilia? nõnisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, vt de prioribus, ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt. Hactenus Tertullianus, cui omnino consonat Clemens Alexandrinus, qui in Stromatis Poetas, & in his Homerum, atque Hesiodum, vti Theologos à Prophetis instructos cōmendat, tametsi Theologiam suam obscuro fabularum velo atque Symbolorum sæpè occultarint: *Poetæ, qui à Prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa, multa philosophantur. Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus, & Hesiodus, & qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est poetica delectatio, somniaque, & Symbola, quæ sunt omnia hominibus obscuriora.* Idem quoque, vt supra ostensum, passim in ijsdem Stromatis, *Poetas* atque Philosophos, *fures Prophetarum,* ait à *Christo* appellatos, vti & Eusebius Cæsariēsis de illo confirmat: *Clemens noster in sexto aduersus gentes, Poetarum furta præ oculis ponit, reque ipsa ostendit, quæ nobis per sanctos viros miraculosè tradita sunt, imitatos, fabulis implicuisse.* Porro idem Clemens Origenis Magister, per *Apollinem* Poetarum, mysticè *vnum Deum* signari affirmat: *Apollo quidem certè, qui mysticè ex priuatione multorum* (ab α priuatiuo & πολλων *intelligitur*) *est vnus Deus.* Item & per Iouem: *Qui & Poetarum versibus, & ijs, quæ soluta scripta sunt oratione, canitur Iupiter, in Deum refert cogitationem.* Ad illum denique Apostoli locum, vbi Cretenses mendaces vocantur, illud pro Poetis epiphonema subiungit: *Vides quomodo etiam Apostolus in Græcorum* Prophetis *dat aliquid veritatis? nec erubescit vti græcis poematibus?* Iam verò Lactantius superioribus concinens, de ijsdem Poetis siue de fabulis gentium istud asseuerat: *Quæ Prophetarum vaticinio tradita, in Sacrario Dei continebantur, ea de fabulis collecta & deprauata, carminibus suis comprehenderunt.* Per veterum item Iouem, Deum significari: *solent Iouem, pro Deo accipere, sed nihil obstant verba, cum sententia congruat veritati.* Suffragatur ijsdem Minutius Felix inter supradictos Patres a Hieronymo citatus: *Admonentur homines* (Gentiles) *doctissimorum libris, & carminibus Poetarum, illius ignei fluminis, & de stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, de oraculis Prophetarum cognita, tradiderunt.* Et fabulā Pythagoræ de transmigratione animorum in alia corpora, quamuis corruptè & dimidiatè, significasse corporum resurrectionem ait in Prophetis lectam: *Illi Philosophi de Diuinis prædicationibus Prophetarum, vmbram interpolatæ veritatis imitati sunt. Sic etiam conditionem renascendi* (in resurrectione) *Pythagoras & Plato corrupta, & dimidiata fide tradiderunt.* Quid Epiphanius? an non Poetarum fabulis, doctrinam resurrectionis adstrui, earumque plurimis fidem confirmari disertè asseruit? *Admiratio*, inquit, *animum meum subit de incredulitate Græcorum atque aliorum barbarorum decepta per omnia mente, quod in fabulis suis non verentur resurrectionem omnibus declarare, & de resurrectione sæpe canere, velut fabulæ ipsorum describunt.* Multis inde productis in medium fabulis, id ipsum subiungit: *Multa de his dici possent ad confirmandam nostram fidem, atque ipsos redarguendos.* Iam verò Constantinus Cæsar *tota Ecloga quarta Virgi-*

Q

Strom. l. 5.

De præp. Euang. l. 10. c. 1.

Strom. l. 1

Ib. Strom. 5.

R

De orig. error. l. 1.

De ver. sap. lib. 4.

In Octauio

Ib.

In Anchor

lii Christum nasciturum cani, atque eius facta atque mysteria, oratione habita ad sanctorum coetum, planè persuadet, vti infra monstramus. Huius porrò sensum ac interpretationem Augustinus confirmat, quando Poetam eumdem de Christo Saluatore ait Vaticinos versus a Sibylla Cumana haustos edidisse: *De quo Christo etiam Poeta nobilissimus dixit: Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri, Irrita perpetua soluent formidine terras*. Mox subdit: *Quæ* (scelerum vestigia) *nonnisi ab illo Saluatore sanantur, de quo iste versus expressus est. Nam hoc vtique non à seipso dixisse Virgilius, in Eclogæ ipsius quarto fermè versu indicat, vbi ait: vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum esse, incunctanter apparet, & quæ sequuntur*. Deniq. idem Augustinus per *Elysios campos* gaudia beatorum fabulosè putat esse descripta: *Platonicè videtur dixisse Virgilius, in Campos Elysios purgatas animas missas. Quo nomine tanquam per fabulam videntur significari gaudia beatorum*. per Iouem quoque ethnicorum, Deum designatum esse pronuntiat: *Ipse est Deus, quem Varro doctissimus Romanorum Iouem putat*, quamuis *nesciens quid loquatur*. A Diuo Hieronymo item, quid ijsdem Poetis aut fabulis gentilium tributum, ex Epistola superiore ad Magnum satis innotescit. Nam Iulianum Augustum, vulgò Apostatam dictum, suo se ense lacerasse ait, dum Poetarum fabulas in septem libris contra Christum adduxit. *Iulianus Augustus septem libros aduersus Christum euomuit, & iuxta fabulas Poetarũ, suo se ense lacerauit*. quod qui explicatur, si non suis mysterijs fabulæ Christum deprædicent? quid, quod Cyprianum ibidem memorat reprehensum, quòd aduersus Demetrium ethnicum, Philosophorum atq. Poetarum dogmatis vti neglexerit? *Cyprianus mordetur, cur aduersus Demetrium scribens, testimoniis vsus sit Prophetarum & Apostolorũ, quæ ille ficta & commentitia esse dicebat, & non potiùs philosophorum, & Poetarum, quorum authoritati, vt ethnicus, contraire non poterat*. An non rursum in Poetis ethnicis inesse pro Christo testimonia asseruit? Per illam porrò supra descriptam *mulierem captiuam*, quæ in Deuteronomio duci in vxorem ab Israelita sinitur, eodem Hieronymo teste, gentilium Poesis significata est, quæ *decaluata, & vnguibus resectis*, vti supra mysticè explanatum habes, *multos tibi fœtus dabit, & de Moabitide efficietur Israelitis*, hoc est, sacra de prophana, quemadmodum ille ad Pammachium scribit. Et verò fabulam illam Virgilij, quod Iustitia terras derelinquens, extrema per agricolarum campos, & segetes vestigia fixerit, de Christo, qui vera iustitia futurus, vaticinium idem esse credit, vtpote, qui terris egressurus, cælumque ascensurus, peregre sit profectus, & in monte Olineti, non in vrbe Solymæ, suprema, quæ in terris fecit, vestigia impresserit. Sic enim Hieronymus in Amos: *Ego puto*, inquit, *ex hoc loco* (Amos, vbi Deus iustitiam dicitur posuisse in terra) *etiam gentilẽ Poetam furatum fuisse, quæ de rusticorum simplicitate, & beatitudine differens, intulit, extrema per illos, Iustitia excedens terris vestigia fecit*. Dies me deficiat, si Patrum vniuersa loca consectari studeam, vbi in Poetis, aut gentilium fabulis sacra mysteria, imo Euangelica, inclusa esse docẽt, quãuis sępe trũcatè, ac defloratè, Verũ quid necesse? quãdoquidem ex hactenus adductis, prope ad nauseam res confirmata sit? Clamant S. Patres

S

Apud Euf. Cæsar.

De Ciuit. Dei l. 10. c. 27.

Ib. c. 30.

De Ciuit l. 19. c. 22.

Epist. ad Magn.

Ib

T

Ib.

In c. 5. Amos.

tres

tres, & pro Christianis aduersus Gentiles & Iudæos ad rauim declamant: *Ante Christi ortum, mysteria eiusdem fabulis compositis inclusa atque comprehensa*, Christianos *cum Græcis poetis* atque Philosophis *congruentia imo eadem dicere*, horum autem quæ dicunt, *à Prophetis argumenta sumpsisse, pro vno Christo* Dei filio à Prophetis *audito, plures Iouis filios ab ijs produci*, eorumdem opera Dæmones *perficeres conatos*, vt pro *poeticis fabulis, homines res Christi haberent*, vt *veritatis fides infirmaretur*, vt *quis non putaret Christianis credendum, quia nec poetis*, & cum secus eueniret, vt multi ob eos *ad Christum venirent*, alio dæmonum instinctu *eorundem libris interdictum fuisse*, per *fabulas Bacchi, Persei, Bellerophontis, Aesculapij, Herculis, Mercurii, Mineruæ, atque aliorum, Christi generationem æternam, ortum de Virgine, miracula, passionem, mortem, & ad vitam reditum* cum *ascensione in cælum* prædicta, item *mundi iudicium*. ex *dictis & rebus* fabulosis *demonstrationes* pro Christo formari, nec fabulas solum, sed & *gentilium sacra atque ritus à Prophetis acceptos & in vsum prophanum inductos, & instrumenta diuinarum rerum* ijsdem *expressa*, Poetas omnes non extremis labijs, sed *omnino de Prophetarum fonte potauisse, omnia* gentiliū seu sacra seu dogmata *contra veritatem* Christianam structa siue fabrefacta, *de ipsa* eadem *veritate constructa*, quædam *disciplinæ salutaris adulteria* esse, *Aeaci* apud inferos *tribunal*, ignem *Phlegetonta, stygem* seu *stygiam paludem, Elysios campos*, iudicij post mortem, ignis inferorum, atque Paradysi *imagines* esse, & quidem *de nostris sacramentis prioribus sumptas & expressas*. quid plura? *Homerum, Hesiodum*, ac similes ab ijsdem *Prophetis Theologiam edoctos*, per *arcana* fabularum *sensa multa Philosophari*, eosdemque iccirco Prophetarum *fures* à Christo appellatos, *per sanctos viros miraculosè tradita, & quæ in sacrario Dei continebantur, fabulis implicita* atque *comprehensa, Apostolum græcis poematis vsum*, per *Pythagoræam, transmigrationem* animorum in corpora, resurrectionem, *per Apollinem, & Iouem* mysticè *Deum* significari, à *Marone* tota ecloga quarta *natales Christi* apertè describi, & de eodem *peccata mundi ablaturo à Sibylla instructum* clarè præcinere, Iulianum Augustum *fabulas* Poetarum *contra Christum* armantem, proprio gladio *sibi nocuisse*, aduersus gentiles, qui scripturas rident, *Philosophos, & Poetas solos* opponendos esse, fabula *Iustitiæ* per *agricolarum* campos *extrema vestigia imprimentis*, Christi *ascensionem* è monte Olиueti esse adumbratam, *Poeticam* denique in Deuteronomio *mulierem captiuam* mysterio appellatam, cum qua quibusdam resectis, verus *Israelites* homo Christianus *cum maximo fructu commisceri* possit. Illa, illa, inquam, à tot primarijs primææ Ecclesiæ Patribus quasi vno ore prolata quis carpere audeat? quis non venerari? Ne quis autem de paucis fabulis hæc interpretetur, etiam atque etiam has gnomas perpendat: *Totius scripturæ* propheticæ, siue prophetarum *fures omnes Poetas* atque Philosophos *à Christo vocatos, plures Iouis filios*, qui vnicum Dei filium Christum adumbrarent, & quem ipsi à prophetis audissent, *Poetas commentos, Omnia aduersus veritatem*, puta Christianam, *de ipsa* eadem *veritate structa*, eo quòd de *veris* Prophetarum oraculis effic̃ta, qui Christum canebant, *Omnia religionis nostræ dogmata* quatuor ethnicorum testimonijs, Hieronymo teste, olim *confirmata, omnes*

nes

nes Poetas de prophetarum fonte omnino bibisse, *Homerum*, *Hesiodum*
Y & similes ab ijsdem *Theologiam* edoctos, *per arcana sensa* fabularum *mul-
ta philosophari*, *mulierem captiuam* Deuteronomio expressam, ab *Israe-
lita*, hoc est, Christiano *vxorem acceptam*, *multos fœtus dare*. Adde,
quòd ob nexum fabularum inter se, & cognationem, vel vnica data,
quæ Christum designet, per hanc quasi rimam innumera propè cæterua
inducatur, vti infra planum faciemus. Verùm quid miramur Christi my-
steria de gentium fabulis tanquam de metallis & diuitibus venis ac fodi-
nis à Patribus erui, quandoquidem Petrus ante illos, easdem *fabulas*,
doctas nuncuparit, ijsdemque Christum *notum* fieri posse & Christi virtu-
tem innuerit? *Non enim* (inquit) *doctas fabulas secuti, notam fecimus
vobis virtutem, ac præsentiam Domini nostri Iesu Christi*. Nam si qui-
dem vanas, inanes, aut stultas easdem vocaret, æquissimam consilij cau-
sam afferre dicendus. Sed cum *doctas* vocet, & res doctas sequi in do-
cendo omnis homo soleat, qui non imperitus, cur doctis his rebus ma-
gistris, docenda, ac manifestanda virtute Christi abstineat Petrus, mirum
videatur, nisi se maiora atque firmiora sequi velle ostenderet, cuiusmo-
di illa sunt, *vox* atque *visio* in monte *audita*, & *conspecta*, & *propheticus
sermo* præterea *firmior*, nedū re à se visa, aut audita, verùm *doctis fabulis*.
Quamobrem ex dictis abundè perspectum, quidnam de poetis, aut fabu-
larum gentium mysterijs nō Patres dumtaxat, sed Scripturæ senserint. ex
quo porrò intelligitur, cum alij aut ijdem Patres à nobis laudati, veteres
Poetas, aut poemata infamant, & fabulas gentiliū vt vanas, fatuas, blas-
phemas, impias, lasciuas, & turpes traducunt, ea non in sensu suo vero
ac germano ita despicere (nam cum Scripturis aliàs secumque pugna-
rent) sed in gentilium sensu ac significato, qui hæc non ad Christum aut
res sacras vnquam referebant, verùm ad literam cuncta explicabant, aut
certè res naturales, aut prophanas morales, aut ciuiles harum mysterijs
Z inclusas credebant. Nam Iouis fabulam exempli causa, si de Deo, aut
Christo ita explanassent, vt vel nomen duci à *Ieoua* dicerent, quod est
vocabulum Hebraicum Dei, & ideo Patrem violasse fingi, aut cælo expu-
lisse, quod Christus Deus Adæ filius, hunc suum parentem Paradyso reum
exterminarit, ipsum autem Iouis Patrem Adamum filios deuorasse atq;
occidisse, quod ob pomum voratum, peccato originis posteros suos omnes
enecarit, Iouis verò adulteria, incestus, & stupra cum varijs, Virgineas
atque sanctas animas omnis sexus & ordinis expressisse, quas Deus vti
sponsas amarit, Iouis item filios Mercurium, Martem, Æsculapium,
Bacchum cæterosque, vnum Dei filium Christum designare, si hoc, inquā,
modo Iouis fabulam veteres explicassent, quis adeo demens, qui non vi-
det, hos ambabus vlnis Patres amplexuros fuisse, qui toties antiquo-
rum Ioue Deum significari, & Christum eiusdem filijs supra affirma-
rint? Cum verò literalis sensus veteres deceperit, quid mirum si Iustinus
Martyr, tametsi gentilium fabulas à Prophetis natas cum cæteris Patri-
bus supra agnouerit, hanc fabulam Iouis ita repudiet: *Longè absit à sa-
na & casta mente cogitatio de Diis huiusmodi, videlicet Iouem parricidā
& Patre tali genitum, ac præ amoris impotentia à malis fœdisque volupta-
tibus victum, ad Ganimedem & permultas adulteriis & stupris imminu-
tas fœminas venisse, & liberos suos similium facinorum patratores susce-
pisse.*

piſſe. quis enim niſi excors propterea putet, hunc Patrem inconſtanter loqui, & ſecum pugnare, & fabulas eodem ore laudare, atque impobare, dum quod in myſterio probauit ac verum agnouit, ad literam inculpat? An non hanc Scripturam, *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, & honorem*, ſimiliter ad literam ſumptam, vt idololatriæ plenam condemnaret? Et vnde hodierna Iudæornm impietas oritur, niſi quod Scripturæ ſacra myſteria Chriſtum ſonantia, cuncta ad literam adhuc interpretantes, admittere recuſent? Sic eſt in fabulis, quarum pretioſum nucleum gentes ferè neſciuerunt, inutilem & noxium corticem ſolùm amplexatæ. At dices, fabulam quoque Iouis, & cæteras Deorum explanarunt myſticè. Iouem enim imbrem interpretantur, vnde Virgilius

A a

Apoc. 5.

> *Tum Pater omnipotens, fæcundis imbribus æther,*
> *Coniugis in gremium lætus deſcendit.*

& Apud Arnobium ethnicus ei ſic loquitur: *Erras & laberis, nam iſtæ omnes* (Deorum) *hiſtoriæ, quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pernere diuinam, myſteria in ſe continent ſancta, rationes miras atque altas. Itaque qui dicet, cum ſua concubuit Iuppiter matre, non inceſtas ſignificat, aut propudioſas veneris complexiones, ſed Iouem pro pluuia, pro tellure Cererem nominat. Et qui rurſus perhibet, laſciuias eum exercuiſſe cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, ſed pro imbris nomine ponit Iouem, in filiæ ſignificatione ſementem.* Quis negat, myſticè (myſterio nempe rei naturalis) Iouem antiquorum, paucos Philoſophos excuſare conatos, maximè quando eius facta ignominioſa & Deo indigna Chriſtiani carpebant? quis neſcit vocabulo *Cereris* panem appellatum, *Bacchi* vinum, *Martis* bellum, *Veneris* coitum, ab iiſdem ethnicis? vnde hos irridens Arnobius ait: *Erubeſcitis panem & vinum nominare & pro coitu Venerem non metuitis dicere*. ergo rei diuinæ, non naturalis myſterium in Iouis fabula, & Deorum, Patres requirebant, ac iccirco authorem pluuiæ Deum, non pluuiam. Iouis vocabulo ſignari aiebant, & horum interpretationes in literali, naturali, ciuili, aut morali ſenſu, tanquam vanas explodebant. Itaque idem Arnobius ſuperiori obiectioni reſpondens, *Argutiæ ſunt*, inquit, *atque acumina hæc omnia, quibus fulcire ſolemne eſt malas in Iudiciis cauſas*. Multis autem de cauſis ſenſus ſupradictos, qui non ſupra rerum naturas aſſurgunt, à Mythologia Deorum Patres excluſere, quarum præcipuæ duæ ſunt: primùm, quia vniuerſum ethnicorum vulgus, ſi paucos Philoſophos forſan exceperis, Iouis illa ſtupra, adulteria, inceſtus & cætera crimina, ſine myſterio ad literam crederet, vti Auguſtinus totis paſſim libris de Ciuitate Dei acerrimè diſputat, vbi Deos iratos ludis ſolere placari, in quibus adulteria illa, ſtupra, ac crimina repræſentarentur, Philoſophis, aliiſque obiectat. Alterum verò fuit, quod omnia & ſingula, exempli cauſa, quæ de Ioue fabulæ antiquorum tradunt, imbri ſeu pluuiæ affingere nequirent, ſeu accommodare. Nam hanc æquiſſimam, atque certiſſimam regulam interpretationis rectæ fabularum Patres ſtatuebant atque ab ethnicis ſemper exigebant, quæ etiam cuilibet ænigmati ſoluendo ſolet adhiberi, vt niſi partes omnes explicaris, ſeu rei, quam ſignificari vis, bellè adaptaris, fabuloſi ænigmatis laudem aut præmium diſſoluti non feras. Itaque hanc

L. 5.

Ib.

B b

Ib.

nor-

Cc normam ſecutus idem Auguſtinus, Philoſophis, qui hoc minus præſtarent, in hunc modum inſultat: *Cum conantur vaniſſimas fabulas velut naturalibus interpretationibus honorare, etiam homines acutiſſimi tantas patiuntur anguſtias, vt eorum quoque vanitatem dolere cogamur.* horum enim anguſtiæ erant, quia cogebantur cuncta explanare. rurſum hac regula, in fabula Iouis enucleanda à capite ad finem, aduerſarios gentiles ſic Arnobius vrget: *Si ad finem à capite, textus omnis expoſitionis, & ſeries obtentionibus allegoricis* (rei naturalis) *clauſa ſunt, monſtrate, quid pro rebus ſingulis, quas vnaquæque eloquitur fabula, ſupponere debeamus & promere.* Et mox: *Vt enim Iouem pro pluuia, Cererem verbi cauſa, pro terra vultis audire, ita dicere vos conuenit, quid pro Tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque ira, quid ſibi velit Brimo verbum, quid Iouis ſolliciti ſupplicatio, quid allegati cælites nec auditi*, & cum plurima horum enumeraſſet, *Quod ſi pro his omnibus*, inquit, *quod oporteat ſubiici, rerum immutatione monſtratis, erit, vt vobis aſſenſum ſuper tali aſſeueratione tribuamus.* Et infra: *Aut igitur debent allegorico genere* (rei naturalis myſticæ) *omnia eſſe ſcripta & poſita demonſtrandaque vniuerſa nobis, aut genere iſto conſcriptum eſt nihil.* Ex qua regula Patrum obſeruata ſanè efficitur, vt is minime verus ac perfectus Iouis fabulæ, exempli cauſa (quo Deum ſignari ijdem tradidere) interpres exiſtat, qui omne Deorum fabuloſum genus & genealogiam (quorum is Iuppiter aut Pater, aut Auus) ſimiliter Chriſtiano ſenſu explicare nequeat. Rurſum forſitan dices, ſi Euãgelica Chriſti myſteria & dogmata fabulis illis ethnicorum clauſa fateamur, cum fabulæ fuerint ante Chriſtum natæ, periculum cauendum, ne quis ſuſpicetur, Chriſtiana dogmata à fabulis orta, cum hæ preceſſerint. Hanc obiectionem, verius calumniam, à gentibus pridem excogi-

Dd tatam, quæ non ſolas fabulas, verùm vniuerſim Chriſtiana ſacra, ritus, & dogmata incurſat, & Patres ſoluerunt, & Chriſtus contempſit, cum doctrinam traderet de æterno igne, de Purgatorio, peccatorum pœnis, dæmonum lapſu & ruina, cæteriſq. plurimis, quæ certò ſciebat Platonem ante ſe, atque Philoſophos, (vt Patres teſtantur) quoque docuiſſe. Neque illud idem quidquam penſi habuit ipſe Spiritus Sanctus, quãdo Apoſtolis & horum poſteris hos ritus ſuggeſſit, quos maximam partem in prophanis ſacris gentes vſurparant. Verùm iſti calumniæ Patres ſupra occurrerunt, cum aſſeruere, Philoſophos, Poetas, atque gentilium ſacrorum primos inuentores, ſua illa dogmata etiam fabuloſa, ſuos illos ritus nobiſcum communes, à Prophetis hauſiſſe, & furatos eſſe, qui Chriſti doctrinã & ſacra Eccleſiæ eius prænuntiauere. de quo Auguſtinus, qui Ambroſium citat, rurſum audiendus: *Quantam noſter Ambroſius quæſtionem ſoluit, calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus, qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, de Platonis libris eum didiciſſe, quoniam longè ante humanum aduentum Domini, Platonem fuiſſe negari non poteſt. Nonne memoratus Epiſcopus probabilius eſſe oſtendit, quod Plato potius noſtris literis fuerit imbutus, vt illa poſſet dicere & ſcribere?* Et infra: *Ita fit multò credibilius iſtos potius de literis noſtris habuiſſe, quæcumque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis* (literis) *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quod dementiſſimum eſt credere.* Atque eodem modo Minutius Felix ſupra pronuntiat: *Non quod*

[Marginal notes: De Ciuit. Dei l. 7. c. 18. — cap. 5. — Vide Tert. ſup. et Barõ ad an. Chr. — De Doctr. Chriſt. l. 2.]

quod simus eorum (Philosophorum) *vestigia subsecuti, sed quod illi de diuinis prædicationibus Prophetarum, vmbram interpolatæ veritatis imitati sunt.* Sed quid pluribus opus? nonne cum tędio propè, ex Patribus audisti, Philosophos, & Poëtas Prophetarum fures, ex ijs bibisse, hausisse, nostra sacramenta atque ritus exinde æmulatos esse? Hinc igitur Hęretici discant, quanta iniuria atque calumnia hodiernos Romanæ Ecclesiæ ritus & ceremonias carpant, tanquam à prophanis gentilibus ortas, quòd harum plurimis priores sunt vsi, cum de Christi dogmatis idemipsis obijci queat, quod, vt Augustinus ait, *dementissimum credere*. Iam verò si quæras, quibus è Prophetis, Hæbreis? an verò Sibyllis, quas Patres gentium Prophetissas dicunt, illæ nobiscum communia dogmata ac mysteria prompserint? id verò haud perinde, atque superius, in eisdem liquet. Nam alij de Prophetis Hebręis dubitanter asserunt, confidentius alij, alij de Sibyllis, alij partim de Hebræis, partim de Sibyllis, generatim plures de Prophetis sine discrimine. Origenes quidem contra Celsum disputans de iudicio extremo, de Prophetis hebræis fluctuanter in hunc modum loquitur: *Nescius* (Celsus) *vel Græcorum nonnullis id visum, quod ex antiquissima forsitan Iudæorum gente acceperant, fore, vt ignis ad purgationem mundo sit inferendus.* Ac Iustinus Martyr, vti Clemens Alexandrinus, tametsi sæpius in Moysem & Prophetas Hebræos inclinent, Sibyllam tamen ij Patres non vno loco cum ijs coniungunt, eiusque scripta inter Propheticas Scripturas reponunt: *Tempus est venire ad Scripturas Propheticas. Prophetissa itaque Sibylla nobis prima canat canticum salutare.* Item Clemens Alexandrinus: *Iis, qui dicuntur sapientes &* *Poetæ* (apud Græcos) *ostensum est nobis, Mosen esse antiquiorem. Neque verò is solus, sed etiam Sibylla dicitur Orpheo antiquior.* Tertullianus, Minutius felix, Lactantius & alij ferè in genere loquuntur, *de nostris Sacramentis, de ipsa veritate, de fonte, oraculis, Theologia, vaticinijs, diuinis prædicationibus Prophetarum, de sacrario Dei*, & simili phrasi, vti supra sæpius habes indicatum. Certè Constantinus Cæsar, atque Augustinus, Virgilij versus quarta Ecloga allatos, in quibus Saluatoris ortus ac vita descripta, de Sibylla Cumana depromptos incunctanter aiunt. Alijs verò locis idem Augustinus, vti Ambrosius, in genere loquitur, & indefinitè, *de nostris literis, de quibusdam diuinæ prouidentiæ metallis*, & consimiliter. satis enim Patribus fuit indicasse, Gentiles Poëtas atque Philosophos non à seipsis illa esse commentos, verùm de Prophetis mutuatos esse, qui fidei illa mysteria priores ipsis prædixerāt. Itaque in hac ambigua, & inter Patres controuersa doctrina (quę quidem ad particulares hos Prophetas attinet) illa sententia nobis præferenda visa est, & vti verior cæteris amplectenda, quæ fabulas & omnia Gentilium sacra & dogmata nobiscum communia, de solis Sibyllinis folijs excerpta asseuerat. Nam & ij Patres, qui hæc in hæbræos vates deriuarunt, ferè dubitanter istud affirmarunt, quòd non essent nescij, Homeri & Hesiodi fabulas, imo Platonica dogmata siue simplicia, siue fabulosa, versionem Hebraicæ Scripturæ per 70. Interpretes factam temporibus Ptolomæi Regis, diu antecessisse. qui igitur harum fabularum ac disciplinarum inuentores Græci, ab Hebræis sumerent, qui hebraicè nescirent, & nondum hebræos Prophetas in græcam linguam conuersos haberent? Nam quod

Marginal notes: E — Vide sup. — lib. 5. — Exhort. ad Gentes. — Strom. l. 1. — Ff — Vide supr.

Gg quidam aiant, Græcos in Ægypto ante Scripturas translatas vatum Iudæorum commercio vsos ea didicisse, enimuero gratis, & nullo satis idoneo teste antiquo profertur. Esto, liberaliter istud concedamus. Quanta in veterum seu Philosophorum, siue Poëtarum scriptis reperimus, quę aut non omnino, aut certè non cum iisdem adiunctis & circumstantijs, in toto veteri Testamento legas? cuiusmodi sunt, quæ de Angelorum peccato & lapsu, mundi excidio & conflagratione, de Iano, hoc est Ianitore cæli, cæterisque sexcentis, noster Apparatus. & Rome origo infra exhibebit. Vel illud Iudicij extremi, in quo *terræ*, hoc est, terrenorum hominum *lis diiudicanda*, & *quo* illi *nomine* appellandi veniant, benedicti, anne maledicti? vbi in Prophetis, vel in toto veteri instrumento extat? quod Ouidius nihilominus in tela Mineruæ canit acupictum, hæc enim

Met.l.6. *Pinxit & antiquam terræ de nomine litem,*
Bis sex Cælestes (duodecim Apostoli) *medio Ioue, sedibus altis*
Augusta grauitate sedent, sua quemque Deorum
Inscribit facies, Iouis est regalis imago.

Quid multa? vbi Hebræorum codices Prouerbij eius meminere, quod de Tit.1. *Cretensibus semper mendacibus, malis, atque pigris* à Poeta iactatum, quasi *Propheticum* Paulus veneratur? ex aduerso autem, libros Sibyllinos ab omnibus non solùm Scriptoribus ethnicis, sed etiam Patribus, atq. Christianis propheticos habitos, semper apud Gentes conseruatos liquet, & Sibyllam non tantùm Alexandro Magno, Platone, Herodoto, Hesiodo, Homero, & Troiano bello, siue vero siue fabuloso, priorem ferè vniuersi admittunt, sed & diluuij tempore extitisse, imo antiquissimum Poetarum Homerum suos inde versus quamplurimos furatum, tum vniuersa lib.3. Græcorum schola, tum & hodierna, quæ circumferuntur, Sibyllæ oracula nos docent. in quibus sic Sibylla de se

Siquidem cum dilueretur
Hh *Mundus aquis, cum vir solus probus exuperauit,*
Eius ego nurus, eius item de sanguine nata.

Ac eadem quoque de Homero hæc canit:

Ib. *Quidam deinde senex falsorum scriptor, & ipsam*
Mentitus patriam, nascetur lumine captus,
Hic res Iliacas scribet, non sicut habebunt,
Sed clarè verbisque meis vtendo, modisque,
Primus enim voluet librorum scripta meorum.

Inde ergo Homerum, inde Græcos & Latinos, & quoscumque primos fabularum authores atque inuentores sua dogmata & fabulas, hinc quoque sacrorum præsides atque antistites, quorum custodiæ libri Sibyllini crediti, ritus Christianorum similes, atque sua sacra, mutuatos liquet. Hincquoque Dęmones futurorum ignaros, quando ex Moyse nihil, aut Prophetis hebræis elicere poterant, idolorum oracula, magorum, aruspicum, augurum, & astrologorum (quæ quidem fuerunt) vera prognostica emungere solitos, vero simillimum, qui, vt scitè Tertullianus, *æmu-* In Apolog *lantes diuinitatem*, studiosè à prophetis omnibus *furati sunt diuinationem.* Nam ab Sibyllinis libris Romani Christum Incarnandum, & totius orbis Regem nasciturum quondam didicere, imo Reipublicæ prosperos & aduersos casus, ãtequam euenirent. Quo factum, vt tantùm apud

eos

eos promerita Sibylla, vt publicè libros inclusos seruarent, & in omnibus euentis paulo grauioribus eosdem adirent. Cur ergo, inquies, vt etiam à Sibylla Homero supra exprobratum, tot falsa scripsere, quibus vera magistra verissima scribendi materiam atque argumentum daret? Locus hic postulat, vt vnde in fabulas & cætera gentilium dogmata (tametsi à Prophetis sumpta Patres docuerint) irrepserit vitium, aperire conemur. Ac de solis fabulis gentilium agendo (eò quod haud multùm cæterorum dissimilis ratio) multos erratorum fontes Patres indicarunt. quorum alia ad authores pertinere noscuntur, qui easdem primi excudere, alia ad interpretes seu posteros eorum, qui eas editas in lucem fouere, & educauere. Ac prima primorum hæc authorum culpa, quòd non simpliciter prophetica dogmata suis tradiderint, sed obscuris velis allegoriarum atque ænigmatum, vnde fabulæ existunt, ea inumbrarint, atque offuscarint. Nam siue id quadam inuidia caballistica fecerint, siue religionis falsa specie decepti, vt augustiora mysteria traderent, siue etiam legentiū animos oblectandi gratia, prauo hoc dæmonum instinctu fecisse S. Patres docent, vt supra ostensum. Id enim suggestum, vt propheticis verbis atque sententijs ænigmaticè expressis, & adulteratis, ad literam, verbi causa, historias Iouis, Mercurij, Bacchi, atque similium posteri accipientes, Christum ijs significatum minùs perciperent, & sic ad idola fœdè laberentur. quam quidem causam & alias similes Patres aperiunt, cum dicunt, *operatos spiritus erroris hanc æmulationem, vt homines pro poeticis atque fabulosis narrationibus, res Christi haberent, vt infirmaretur fides veritatis, vt ideo non putarent Christianis credendum, quia nec Poetis* vtpote prioribus, *magis, quam Christianis*. Eamdem insaniam allegoricè atque fabulosè res Christi tractandi & inobscurandi, in Valentino illo Hæresiarcha Patres improbarunt. Nam sic Irenæus: *Accusabit eos* (Valentinianos) *Homerus proprius ipsorum Propheta, à quo eruditi talia inuenerunt*. Ac Tertullianus: *Ouidius metamorphoses suas deleuisset, si hodie maiorem cognouisset*. Quis deinde in ijsdem fabularum figulis, impuri dæmonis opus non agnoscat, dum videt lasciuis ac turpibus tropis, ac figuris mysteria casta ac diuina inuerti, & stupris, vi, raptu, adulterijs, incestu signari? Itaque Petrus Apostolus non pias, non castas, sed *doctas fabulas* cautè nominauit, quòd doctrinam quidem propheticam continent in significato, verum pietatis & castimoniæ sæpissime expertem in phrasi, seu signo, ita vt inuolucro turpi & immundo res mundæ tegantur. Quare Arnobius in fabula Martis & Veneris inter se vinctorum, & colligatorum, artem hanc dæmonis prodit, *vt prius animum turpitudo, quam religionis alicuius perstringat authoritas*. Ad hanc indignitatem atque crimen refer, quando, verbi causa, *Iouem parricidam, meretricem Floram, in morte insanum & furentem Herculem*, qui Christus, inducūt, illius amorem immensum pro hominibus mortem oppetentis, furorem prauè agnominantes, quæ quidem contra Philosophos grauiùs Patres incusarunt, tametsi ijs ænigmatis innoxia, atque casta tradi, nec indigna Deo hi profiterentur. Hæc igitur sunt non leuia crimina primorum authorum, qui fabulas commenti. Venio ad errores, quibus supradictus mendacij pater illas inquinauit, propter quos Scriptura *firmiorem* fabulis *Propheticum sermonem* iure merito appellat, quamuis de Prophetis, vt Patres testati, originem ducant. Quanquam primis authoribus illis

K K

l. 4. c. 58.

Aduers. Valent.

lib. 5.

Ll in hoc maior venia danda, quod ob mysteriorum sublimitatem & altitudinem in Sibylla lectam, ac minùs perceptam nonnumquam prolapsi, vti hæreticis ferè vsuuenit, quando Scripturarum sacrata limina ausi sunt ingredi. Hinc factum, vt quæ de Christo futura illa præcinebat, (phrasi forsitan prophetica decepti, per quā tēporis præteriti vocibus non rarò futura signantur) quasi iam transacta ferè acceperint. Sicque *Deum vini Liberum* (hominum Christum liberatorem, cuius diuinitas sub vini specie latere debebat) *in cunis natum, educatum, cruciatum, discerptum ac mortuum ascendisse in cælum*, vti supra patuit, scriptis prodidere. quem quidem errorem Iustinus Martyr, hisce verbis notat: *Priusquam ille Christus homo inter homines esset, nonnulli per Poetas, ista perinde atque iam facta essent, fabulis compositis inclusa, referre occuparunt.* Chronologiæ autem seu temporis vitia non pauca in iisdem obseruare licèt, quòd ferè Prophetæ etiam reticeant tempora, ex quibus sua petiere. quod semel Sibylla in resurrectione euenturum canit, vt animę post mortem in alia corpora, hoc est, meliora seu deteriora essent migraturæ, id semper vnicuique fieri post mortem sunt interpretati, vnde Pythagorę æ transmigrationis fabula ac somnium exordium sumpsit, quod Minutio teste, *conditionem renascendi* (in resurrectione) *corrupta & dimidiata fide tradiderunt.* Iam Topographiæ, qua rei narrandæ describitur locus, exigua aut nulla apud ipsos ratio. Græci Mythologi ad suam Græciam omnes prope Sibyllinas historias trahunt, *Heliam* Hierusalem ad *Ilium* seu T*roiam* in Minori Asia, feracem *frugum* Palęstinam, vtpote tunc lacte & melle manantem, ad *Phrygiam* seu *Phryges*, *Iudæ* montes ad *Idam*, *Iordanidas* Iudæos ad *Dardanidas*, quorum etiam situm ac etymon ignorant, ob quæ & similia prudenter Sibylla Homerum insimulat falsi, vti supra patuit, in quo Topographiam, & Chronologiam ferè confusam videmus. Sic *Gygantum pugnam* in Olympum & cælum, hoc est, Babylonium opus excelsiùs elatum, ad Græciæ montes *Olympum*, *Ossam*, & *Pelion* quoque transtulere. Prauo quoque eodem intellectu Sibyllæ, ij fabularum artifices primi, non rarò inter se pugnantia Scripsere. Hinc Iustinus Martyr: *Poetæ à Prophetis argumento sumpto & intelligere ea*(sacra mysteria) *& explanare potuerunt. sed comperiuntur non exactè ea cognouisse, quandoquidem sibi ipsis contraria proferunt.* Sic *Floram* meretricem alij, alij (vt in Ouidio cernitur) Virginem castissimam fecere, & sic de cæteris. Quanquam hic monendum, plurima in fabulis contraria videri, quæ solummodo in speciem repugnent, vti toto passim hoc opere monstrandum. Nominum autem similitudo interdum illusit. Nam H*eliam* Prophetam Ἥλιον Solem interpretati, Soli igneos equos currumque affinxere, qui Heliæ competunt, vti D. Chrysostomus tractatu *de Ascensu Heliæ*, & Venerabilis Beda quoque obseruarunt. Non rarò rem vnam aut personam in plures diuidunt, & interdum plures in vnam conflarunt, ex vno Dei filio Christo, *hallucinantium more*, vt Patres obseruant, *plures Iouis filios* mundo inuexere, *Mercurium*, *Herculem*, *Aesculapium*, *Bacchum*, cæterosque sic ex vno diluuio plura confixere, ex vno, & trino Deo, & Sibyllis paucioribus, plures. Ac contra, ex multis Saturnis, (Patriarchis longæuis) vnum aut pauciores, sic aurea sæcula nunquā distinxere. Quanquā omnes illi postremi errores (si primos duos exceperis) non tam primis

Vide sup.

Supra

Mm

Supra

Vide sup.

autho-

authoribus illis, quam posteris eorum, Historicis, Philosophis, Poetis, forsan imputandi, qui prauo harum intellectu fabulas corruperint, & genio suo indulgentes verisimilia potius, quam vera adiuncta eis affinxerint vti præcipuè ex poematijs, Tragædijs, Comedijs liquet, vbi contra Numinum decorum atque maiestatem, non pauca effutire solent. quis verò miretur, in ea caligine gentium, plerumque ante rerum euenta, Sibyllarum lectores atque interpretes sæpe cęcutire, nec vsquequaque cuncta peruidisse, atque in errores, dęmonum inuidorum opera, pręcipites actos, cum vel hodiernos Scripturę interpretes in tanta Euangelij luce, non pauca effugiant, & aciem perstringant, ac iccirco labi nonnunquam contingat? Hoc verò inter primos illos fabularum fabros, & posteros eorum, qui fabulis à se non fictis abusi, discrimen notandum, quod priores illos necesse sit, prophetica Sibyllarum scripta attigisse, & in eis mysteria fidei Christianę legisse. (qui enim aliàs suis fabulis ea inclusissent?) ideòque veri ac mystici sensus harum notitia extitisse pręditos, ijsque gentilibus ante Christum natum idem obtigisse, quod plurimis ethnicis post eumdem Christum, vt dogmata fidei quidem cognouerint, at non crediderint, aut ijs parere, atque vitam conformare prorsus neglexerint. de quibus illa Apostoli dicta esse apparent: *veritatem Dei in iniustitia* ab ijs *detentam*, tametsi *quod notum est Dei, Deo manifestante*, imo *Deum ipsum cognouissent, non glorificasse, non gratias egisse, sed euanuisse, & dicentes* ob vera Dei mysteria cognita, *se esse sapientes, stultos factos esse*. At alia posterorum ratio, qui fabulas ab his prioribus fictas, quasi traditione quadam accepere, non enim hos omnes asserere necesse, Sibyllarum libros vmquam inspexisse, tametsi fabulas ab eadem ortas vel metro incluserint, vel aliter scriptis suis miscuerint, & inseruerint. Itaque de Poetis illis primorum posteris, illud Lactantij est intelligendum: *Nullas literas veritatis attigerant, sed quæ Prophetarum vaticinio tradita, in Sacrario Dei continebantur, de fabulis collecta & deprauata, carminibus suis comprehenderunt*. Verum autem fabularum sensum, qui de Christianis mysterijs erat, omnino ignorarunt, & absurdo errore, ac ipsorum proprio, vel has ad literam ferè interprerati, vel ad naturales sensus malè detorserunt. vti etiam fasti Ouidij declarant, vbi fabularum origines ineptas, literales, Physicas, aliasque commentum videmus, quem Mythologorum innumerę cohortes deinceps secutæ. Horum porrò omnium siue primorum seu posteriorum vniuersos errores in Stromatis breuiter & disertè Clemens complexus est: *Græci alia quidem sunt suffurati, alia verò malè audierunt* (nempe a Prophetis) *In alijs autem aliqua quidem dixerunt imitantes, sed ea non reddiderunt perfecta, aliqua autem humana coniectura, & ratiocinatione, in quibus item labuntur*. Ob hęc igitur vitia Deuteronomium Moysis in *sua muliere captiua*, quæ Poeticā atque sęcularem sapientiam gentium, grandi mysterio, teste Hieronymo, adumbrat, priusquam cum ea verus Israelites Christus coeat, *& vngues errorum, & crines* libidinum *præcidi*, & *vestem mutari* (phrasim literalem ac Physiologicam, in allegoricam, seu ęnigmaticam, quę quidem, vti indumentum mysteria sacra conuestit, ac velat) *& Patrem, & Matrem* eiusdem *lugeri* pręcepit, hoc est, primos authores ac superstitiosam quoque gentilitatem, qui quidem sine fide Christi, tametsi in Sibyllis lecti

Nn

Rom. 1.

Oo

L. 2. de orig. error.

Lib. 6.

cap. 21.

cti, & agniti, miserè perierint, atque istis modis poesim correctam si fueris amplexus, *multos tibi fœtus hæc captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis*, hoc est, de captiua libera, sacra de prophana. Superest vt de fabularum antiquitate obiter etiam inquiramus. nam tametsi de tempore incertum, quo primùm natæ lucem aspexerint, vetustissimam tamen originem earum fateri debemus, quando temporibus Asæ Regis Iuda, fabulosi Priapi idolum extaret, & multis sæculis ante Iudæ Reges Iobus, quem Moysi æqualem ætate quidam opinantur, quædam vocabula Deo tribuerit, quæ non aliunde, quam de Parnasso fabuloso gentium, Hieronymo eodem testante, manarunt. *Deus*, inquit Iobus, *qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas*, quem quidem locum in hunc modum Hieronymus explanat: *Arcturus, & Orion, & Pleiades in Iob, & cætera his similia*. (Vallis Titanorum in Regnorum Libris, Syrenæ & Onocentauri in Esaia) *quæ vtique vocabula gentilium fabularum & causas, & origines habent*. Hæc verò scitè Gregorius, quidnam sibi velint, in suis Moralium libris, ita explicauit, vt *Arcturus* Christi Ecclesiam designet, *armatus auro* vel aureo ense fabulosus *Orion*, Ecclesiæ *Martyres*, quorum certe aureus, hoc est, pretiosus gladius, mors est pretiosa, Dei causa suscepta, *Hyadum* denique seu *Pleiadum* nomine, quæ post *Orionas* surgunt, eiusdem Ecclesiæ Doctores dicat figuratos. Adeo verùm ergo est Christi mysteria in fabulis latere! Atque hic præfationis nostræ siue promulsidis sanè longioris finis esse potuit, nisi quosdam audirem adeo obstinatos, ac temerarios, qui negare auderent Sibyllam aut Sibyllas vmquam extitisse, aut certè oracula earum in dubium vocarent. Tametsi enim ingenuè fatendum, multa de ijsdem fabulosiùs sanè, quam veriùs ad literam narrata, ac de harum numero, temporibus, ætate, vita, religione, ac consimilibus, olim, & hodie controuersiam esse & fuisse, nemo tamen scriptor vetus atque recens, sacer ac prophanus, quem non Sibyllarum imbuerit veritas, nemo verè pius, qui eas fuisse aut etiam de Christo scripsisse quamplurima negarit. Nec dissimulandum temporibus Syllæ Dictatoris, Sibyllinos codices Romæ custoditos, Capitolio incenso, vnà conflagrasse. Hanc tamen iacturam, vti horum temporum Scriptores testantur, priuatorum libris Italia tota conquisitis, imo legatione in Græciam decreta, reparatam esse, atque Sibyllinos versus restitutos (licet non pristina mole & integritate) & oracula plurima de Christo aut Euangelio in his lecta, sub Varrone, Tullio, Iulio Cæsare, Virgilio, Octauio Augusto, nemo nisi demens atque prorsus excors infitias ibit. Etenim Lactantius aduersum Gentiles, *His*, inquit, *testimonijs* (Sibyllæ de Christo) *quidam reuicti, solent eò confugere, vt dicant non illa esse carmina Sibyllina, sed à nostris ficta atque composita. Quod profectò non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasque commemorant, ex quorum libris ista exempla proferimus, qui auctores obierunt, antequam Christus secundum carnem nasceretur*. Cicero certe quidem a Lactantio hoc loco citatus, suo tempore Sibyllinos versus non solùm in Vrbe seruatos, sed etiam *obseruatos* ait: *Sibyllæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur*. Idem deinde ibidem *Sibyllinæ Acrostichis* meminit, *Regisque* in eadem prædicti, *quem Romani recipere deberent, si salui esse vellent*. Illa verò *Tulliana Acrostichis* à Con-

Pp

Qq

Vide sup.

cap. 9. Comment. Ep. ad Galat.

L. 9. c. 6.

L. 4. c. 15.

L. 2. de Diu

à Constantino Magno Imperatore sic explicata est, vt cuiuscumque versus primę literæ collectæ hanc Græcè sententiam redderent: *Iesus Christus Dei filius, Saruator, Crux, eamque commentarijs* M. Tullij *insertam*, idem Imperator ait *apud omnes in confesso esse*. Quid, quod idem Tulius *Libros Sibyllinos* affirmat *iniussu Senatus haud legi*? quid, quod Varro M. Tullio suppar, *eosdem* in libris diuinarum rerum Caio Cæsari Maximo Pontifici inscriptis, *quindecim Virorum* etiam cum alijs memorat *custodiæ commissos*? Atque de re Rustica: *Ad Sibyllæ libros tot annis post* (mortem) *publicè solemus redire, cum desideramus, quid faciendum sit nobis ex aliquo portento*. Cuius vero dementiæ fuerit, non dico credere, verùm suspicari, hos viros Consules siue Consulares in oculis Vrbis atque Orbis hæc scripturos esse, si nulla tunc temporis Sibylla, hoc est, nulli Sibyllini libri tum Romæ extarēt? Nisi fortè cuperent, ridiculos, mendaces, atque fabulosos se vulgo præbere, à quo apertissime falsi argui possent. Virgilius porrò ijsdem pæne par, & quem diu ante Euangelium Imperij Tiberij Cæsaris anno XV à Ioanne in Iudæa vulgatum, obijsse constat, nonne ex Sibyllæ Cumanę fatidico carmine, Christum *nouam progeniem, cælo dimittendum* canit, idque *vltima ætate* ab eadem Sibylla prædicta, quæ natales Christi non longè antecessit? quo quidem effectum, vt clarè non modò vaticinium Sibyllæ, sed etiam illius interpretationem à Poeta vulgatam probaret euentus, probaret, inquam, *priora sæcula*, & Alterum Adamum in Christo *redire*, item alteram *Virginem* in eius parente, omnium, vti Eua, viuentium matre, verùm viuentium verè ac spiritualiter, puta, fidelium seu Christianorum. *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo, Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.* probaret *ferream*, hoc est, bellatricem *gentem desituram*, quod quidem toto orbe pacato sub Augusto euenit. probaret *auream plebem*, hoc est, Christianam, *toto mundo spargendam*: *Tu modo nascenti puero, quo ferrea primùm desinet, & toto surget gens aurea mundo, casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo*. Christum enim verum gentilium *Apollinem* affirmat, quem doctæ fabulæ propterea *intonsum*, hoc est, Nazaræum produnt, & casta Lucina *Diana sorore* (seu diuinitate) ei *obstetricante*, lucem aspexisse. probaret etiam hunc puerum nascentem, vt Deum victurum: *Ille Deum vitam accipiet*. Dei filium fore: *Chara Deum soboles, magnum Iouis* (seu Ieouæ) *incrementum*. homines in diuos relaturum, inter quos ipse spectabilis: *Diuisque videbit permixtos Heroas. & ipse videbitur illis*. Petrum Apostolum tanquam nouum Typhim seu Rectorem (Nauis Ecclesiæ) in Latium adueuturum, & alios ei à Iasone (IESV) adlegendos Socios siue Argonautas: *Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argo delectos Heroas*. Altera item ad Ilium seu Troiam. hoc est, Æliam Solymam bella, & alterum Achillem, qui eam euertat, eò esse mittendum, quod sub Tito contigit; *erunt etiam altera bella, atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles*. plurima autem supra naturam ab eodem Christo miracula edenda, non per illa quoque prodigia expressit? *duræ quercus sudabunt roscida* mella? *incultis pendebit sentibus vua*? *Assyrium vulgò nascetur amomum*? *Occidet & serpens & fallax herba veneni*, & consimilia? Quam verò eiusdem illud: *Nec magnos metuent armenta Leones*, cum hoc Esaiæ vaticinio cognatum, *habitabit lupus cum Agno, Leo*

&

Rr In Orat. ad Synod apud Euseb. supra.

Apud Lactantiū de fals. Rel. l. 1.

L. 1.

Eclog. 4.

Sf

Esaiæ. 11.

Tt *& ouis simul morabuntur?* Sed id maximè illustre, quod puerum illum homines iustificaturum, & terrarum crimina aboliturum canit: *Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri, irrita perpetua soluent formidine terras.* Ad quem locum commentans D. Augustinus, *Scelerum vesti-*
Vide sup. *gia*, inquit, *nonnisi ab illo Saluatore sanantur, de quo iste versus expressus est. Nam hoc vtique non à seipso dixisse Virgilius indicat. Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet, & quæ sequuntur.*
Epist. 156. Et in Epist. ad Martianum: *Omnino non est cui alteri, præter Dominum Christum, dicat genus humanum: Te duce, si qua manent sceleris vestigia* &c. *Quod ex Cumæo, id est, Sibyllino carmine se fassus est transtulisse Virgilius.* Neque verò Augustinus solùm, sed & illo prior Constantinus Cæsar hac Virgilij Ecloga Christum asseruit, eamque commentario
Orat. ad S. Cætum. doctò illustrauit, cuius illud epiphonema: *Arbitretur ista quispiam insipientium de genere mortalium dici?* Nam hanc quidem Eclogam paulò prolixius explanare visum est, vt vel ex paucis illis Virgilij versibus quiuis obstinatus cernat, non modò Sibyllam fuisse, sed et complurima, imo & maxima Christi mysteria, ante eius ortum ac Euangelium, gentibus clarè reuelasse, neque immeritò eamdem tota passim Ecclesia depingi, atque decantari. Et verò ad Augusti imperium, sub quo Christus natus, eiusdem peruenisse libros, eius temporis scriptor Halicarnassæus testis est locuples: *Nihil Romani seu religiosum, seu sacrum tam diligenter custo-*
L. 4. *diunt, quàm Sibyllina oracula.* Et infra: *Qui nunc extant libri Sibyllini, à multis locis comportati sunt.* Ac Strabo, qui eodem Octauio impe-
L. 17. rante Romam è Gręcia aduenit: *Id tantùm adijcimus*, inquit, *ea* (omnia quę ad diuinationem spectaut) *admodum negligi, Romanis in Sibyllæ oraculis acquiescentibus.* quid, quòd idem Cæsar magno Christianorum
Vu commodo, Sibyllinos libros repurgari iussit, ac deinceps studiosiùs recō-
In Oct. c. 31 di? Vnde Suetonius: *Augustus* (inter fatidicos libros) *solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis, sub Palatini Apollinis basi.* idque negotium eos emendandi, Sacer-
Annal. l. 4. dotibus commissum Tacitus attestatur: *Dato Sacerdotibus negotio, quātùm humana ope potuissent, vera discernere.* Sed non omnia syncerè re-
Ant. Rom. l. 4. stituta esse idem, qui supra, Dionysius declarat. *Qui nunc extant libri* (Sibyllini) *à multis locis comportati sunt, in quibus inueniuntur aliqua supposititia.* Cauit item Augustus, ne quis priuatim haberet: *Sanxit*
Tacit. l. 5. *quem intra diem ad Prætorem Vrbanum ferrentur, neque habere priuatim liceret.* Quod autem secundò sæculo post Christum natum, adhuc Romæ seruarentur, propterea Iustinus Martyr Gentiles exhortans, ad eos-
Orat. ad Gent. dem prouocat: *Perfacile vobis erit rectam religionem ex parte aliqua à veteri Sibylla, ex afflatu quodam mirifico, per sortes ac responsa vos docēte, percipere.* Et vberius infra: *Ad dicta Sibyllæ animum aduertentes, cognoscite tandem, quorum vobis illa bonorum futura sit conciliatrix, Seruatoris nostri Iesu Christi aduentum disertis verbis verè prædicens*: addit præterea eiusdem libros toto orbe dispersos: *Credite, sicut dixi, antiquissimæ & priscæ admodum Sibyllæ, cuius libri in vniuerso extant orbe, de futuro nostri Iesu Christi aduentu, ac de rebus ab eo gerendis, liquido & apertè vaticinanti.* Ac secunda sua Apologia pro Christianis ad Cæsares & Senatum Romanum, grauiter questus de pęna capitis legentibus

codices

codices Sibyllinos statuta, se pena contempta, eosdem ipsis Cæsaribus offerre ita profitetur *Non absque timore tantùm huiusmodi scripta legimus, verùm etiam vobis ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus*. Eodem sæculo B. Clemens Alexandrinus per eamdem Sibyllam, quasi adhuc superstitem, gentes adhortatur: *Libros Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura*. Ac tertio sæculo eamdem vixisse (puta Sibyllinos libros) ex Rescripto Cęsaris Aureliani ad Senatum cognoscis, & quanta inde Christiani pro Christo asserendo argumenta prômerent, ex timore Senatus libris eius aperiendis, perspicuum euadit: *Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis Libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in Templo omnium Deorum tractaretis*. & paulò post: *Inspiciantur libri*. Lactantius postmodum filij Constantini præceptor, atque morum institutor, Sibyllam adhuc suo tempore extare, hoc modo testatur: *Sibyllæ libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllo, nisi à quindecim viris inspici fas est*. Idque in Lactantio dignum obseruatu, quod ex eiusdem carminibus, Romanæ Vrbis interitum diu ante prędicat, ob Christum tamdiu ab ea reiectum, & Martyres eiusdem necatos: *Sibyllæ apertè interituram esse Romam loquuntur, & quidem iudicio Dei, quod nomen eius habuerit inuisum, & inimica iustitiæ* (Christianæ) *alumnum veritatis populum trucidarit*. cuius vaticinij veritas postmodum patefacta sub Honorio Imperatore. Tum verò pereunte Roma atque concremata, proditione ac culpa Stiliconis Ducis, qui etiam propterea dictus Sibyllam cremasse, quidam quasi Sibyllini cineres atque reliquiæ à quibusdam Christianis collectę, ad nos vsque deuenerunt: *Carminum Libri Octo*, vel veriùs fragmenta, atque rapsodiæ, de quibus infra dicendum est. Itaque ex dictis apparet, neminem nisi antiquitatis rudem, temerarium, ac planè dementem, vaticinia Sibyllæ ante Christum edita, de eodem Christo atque Christianis dogmatis, rebus atque sacris, posse infitiari, vt qui Virgilio de his simul atque Christo apertè canenti, ac tot grauissimis testibus, in quibus primarij Ecclesiæ Patres primorum quatuor sæculorum, ac Romani Consules ac Imperatores, qui de libris illis suo tempore extantibus, atque à se visis, & lectis testantur, fidem derogare audeat, imo mendacij notam inurere. Sed quorsum, inquies, quorsum in limine operis, ista tam prolixa? causam in genere initiò dixi, ne quis deinceps negaret, Sibyllam, & Poetas gentiles, qui de hac, tanquam Caballino fontè, vniuersi bibere, tam multa de Christo, ac Ecclesia eius olim cecinisse, atque speciatim, ne quis miraretur, me primordijs Romæ enarrandis, fabulis Iani, Æneæ, ac Romuli, atque similibus, Petrum Romanæ Ecclesiæ Parentem asserere prædictum, quando pręter euidentiam rei, non modò Scripturam in hoc ducem atque Patres sequar, sed et magnopere illustrem. Cum enim & Scripturæ & Patres fabulas tanquam quosdam fontis Prophetici riuulos, tanquam Prophetica furta, tanquam diuites etiam doctrinę Propheticæ venas, & fodinas, & salutaris disciplinę adulteria esse, nobis indicarint, nostrum inde haurire, furta repetere, abdita eruere, mixta discernere. quò enim pluribus fabularum exemplis, Christum atque Christi Ecclesię dogmata, ac sacra in ijs inclusa monstraro, hoc sanè Scripturas magis explanarim, atque

Xx

Strom. l. 6.

Flau. Vop. in Aurel.

De Diuin. præm. l. 7

Ib.

Yy

Zz que veriores esse ostenderim, quæ easdem fabulas *doctas* appellarunt, iisdemque *notum* posse *fieri Christum* innuerunt, quæ antiquos *omnes*, qui hunc præcessere, *fures* nominarunt, quæ sapientiæ prophanæ *ænigmata* à *sapiente inuestiganda* esse monuerunt, quæ *mulierem captiuam* magno mysterio *fieri* docent *Israeliten*, & *vasa aurea*, & *argentea*, ab Ægypto *asportanda*, & *Goliat* proprio mucrone *cædendum*, & consimilia. Sed & Patrum scriptis quoque enucleandis labor noster proficit, qui vnanimi cum Scripturis labio, *Poetas* perhibēt de fonte Prophetico atque Sibyllino largè potauisse, eosdemque inde Theologiam edoctos, per arcana fabularum sensa multa philosophari, & Christi inde mysteria accepta, fabulis suis inuoluisse, qui denique omnia contra veritatem fabrefacta dogmata, de ipsa eadem veritate structa atque fabrefacta esse asseuerant. Iis porrò interpretandis, regulam ac normam ab iisdem Patribus datam sic obseruauimus, vt singulas atque vniuersas fabulosi ænigmatis partes, vsque ad ipsas nominum etymologias, clarè explicaremus. Hæc igitur ratio cum Scripturis ac Patribus bellè explanandis conducat, tum etiam Atheis, gentilibus, Iudæis, atque Hæreticis præcipue nocet, quorum falsam doctrinam, & iniquam populorum messem hæ vulpes Sampsonis, hæ versutæ fabulæ, & ænigmata astuta inuicem deuincta atque colligata; face seu lumine explicationis ad caudam admoto, vti messem Philistim, Deo dante, comburent, ac omnino perdent. Denique admonemus, quæ de iis fabulis Scriptura atque Patres tradunt, minimè ad aniles, aut peculiares quorundam Scriptorum, verbi causa, Æsopi fabulas esse referenda, sed ad eas tantum, quas maiorum gentium, ac præcipuè Græcorum atque Latinorum Philosophi, Poetæ, atque Historici communiter amplexi, cum de Diis, aut religione ante Christi ortum olim pertractarent. His igitur
Aaa præmissis, quę non solum huic primo libro, sed & alteri de Theologia Sibyllæ apprimè conducunt, nunc ad Apparatum in Annales Latij, ac Romanæ Vrbis tandem accingamur, vbi nostræ huius præfationis plurima, ob causas iam dictas, repetita cognosces, & quædam etiam fusiùs explanata.

Syllabus quorumdam recentiorum Authorum, qui superiorem Patrum sententiam de Poetarum doctrina & fabulis, quoque confirmarunt.

AVgustinus Steuchius Eugubinus S. R. E. Bibliothecarius, totis libris *De perenni Philosophia* Paulo III Pontifici dicatis, mysteria Trinitatis, Aeternæ Generationis Verbi, Processionis Spiritus Sancti, Angelorum ruinę seu lapsus, Inferorum, Purgatorij, Iudicij extremi, aliaque complurima dogmata, gentilibus ante Christum natum fuisse manifesta demonstrat, quamuis notiora post Christum, idque ex doctrina Philosophorum, ac fabulis Poetarum conficit, aitque antiquorum *Iouem*, à *Ieoua* Dei vocabulo manasse.

Benedictus Pererius è Soc. IESV *c.18. in Genesim* plurimas Veteris Testamenti historias in eorumdem Poetarum fabulis latere ostendit.

Martinus Roas Cordubensis ex eadem Soc. *Rerum, ac Locorum Singularium*

larium Libro 5. etiam de noui Testamenti historijs siue mysterijs, idem his verbis affirmat: *Quid? nonne multa etiam ex fidei nostræ mysterijs apud Poetas reperias?* testimonium item D. Petri Apostoli ibidem adducit, qui *fabulas* gentium *doctas* appellarit. Bbb

R. P. Philocalus Caputus, Carmelitarum Ordinis Diffinitor, *In Panegyrico D. Augustini, Concionum par.* 3. illam S. Patris doctrinam de Gentium fabulis mirificè extollit, vbi & ampliùs sexaginta fabularum exempla coaceruat, in quibus Christianæ fidei mysteria claudantur.

Benedictus Arias Montanus S.T D. in *Præfatione ad Biblia Regia, omnem rerum humanarum atque diuinarum cognitionem in fabulis gentiles* ait *occultasse*.

Maphæus Cardinalis Barberinus, qui deinde Pontifex, VRBANVS VIII appellatus fuit, *in Oda ad Fratrem* fabulis Poetarum idipsum confirmat.

Idem *Theologicæ Gentium Enarrationes*, per Raymundum Briganium de Ripa.

Idem Mutius Pansa Pinnensis, *de Osculo Ethnicæ & Christianæ Philosophiæ*.

His adde innumeros *Virgilii Commentatores*, *qui Eclogam* 4. *eiusdem Poetæ*, De Christi ortu, Generatione æterna, miraculis, ac rebus gerendis, planè interpretantur.

TESTIMONIA VETERA Ccc

Ac noua conglobata, quæ Romam ante Romulum conditam, eiusque historiam fabulosam demonstrant.

VETERA.

CRispus Sallustius, Romanæ Historiæ princeps in præfat. ab Bellum Catilinarium: *Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere initio Troiani, qui Aenea Duce profugi, sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines.*

P. Virgilius Ianum & Saturnum conditores memorat Aeneid. lib.8.

Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit Vrbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Idem ibidemque Euandrum.

Tum Rex Euander, Romanæ conditor Arcis.

Et aliquantò ante, Arcades Euandri subditos

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine, Pallantæum.

Et mox

Muros, arcemque procul, & raxa domorum

Tecta

Ddd *Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo*
Aequauit, tum res inopes Euander habebat.

Dionysius Halicarnassæus Antiquit. Rom. lib. 1. *Auctores multùm variant tam de tempore, quo Vrbs sit condita, quam de ipsis Conditoribus.*

Idem ibidem: *Cephalo Gergitius, Scriptor maximè antiquus, secunda ætate post Bellum Troianum ait conditam ab ijs Vrbem, qui cum Aenea ex Ilio elapsi erant.*

Idem ibidem: *Possem equidem & alios multos Græcorum scriptores adducere, qui de Vrbis Conditoribus variant.*

Rursum ibidem: *Quod si quis rem altiùs velit repetere, tertiam etiam Romam his antiquiorem inueniet, vt quæ ante Aeneæ, Troianorumque in Italiam aduentum extiterit.*

Et infra: *Teste itaque Syracusano hoc Scriptore, antiqua quædam inuenitur Roma, Troianis temporibus prior.*

Plutarchus in Romulo: *Ingens Romæ nomen, quod gloria est apud omnes gentes decantatum, haud conuenit inter Scriptores, à quo Vrbs, & qua de causa, inuenerit.*

Idem ibidem: *Alij tradunt, capta Troia, nonnullos profugos, cùm alios habuisse honores Romæ* (mulieri) *tum eius, vt auctoris, Vrbi nomẽ indidisse.*

Idem ibidem: *Horum pleraque* (de Romulo) *cum & Fabius referat, & Peparethius Diocles, qui primus putatur de conditione Vrbis Romæ*
Eee *aliquid prodidisse, quidam suspectam habent eam narrationem, vt fabulosam, atque commentitiam.*

Iuuenalis Satyra 5. . . . . *Romanorum omnia Regum*
Friuola.

Seruius ad Aeneid. lib. 1. *De Origine & Conditore Vrbis, diuersa à diuersis traduntur.*

Phylargyrus in scholijs ad 1. Virgil. Eclog. *Roma ante Romulum fuit.*

Solinus historiar. cap. 1. *Sunt qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, cum oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat iuuentus Latina.*

Idem ibidem: *Heraclidi placet, Troia capta, quosdam ex Achiuis in ea loca, vbi nunc Roma est, deuenisse per Tyberim, deinde suadente Rome nobilissima captiuarum, struxisse mœnia, & oppidum ab ea Romam vocauisse.*

S. Epiphanius in Anchorato: *Iaphet tertio filio* (Noe) *nascuntur Iapyges, Calabri, Hippici, Latini, & qui ROMANI, & Tyrrheni.*

Annianos Authores Catonem Portium, Sempronium, Fabium Pictorem, & Berosum Chaldæum superioribus planè concinentes, hic omittere visum, quod minoris fidei vulgò habeantur. qui plura volet, pag. 234. huius libri consulat, vbi circiter triginta Authores Vrbis Romanæ à Romulo diuersos reperiet, tum à superioribus, tum à Festo Pompeio, Aurelio Victore, Pausania, cæterisque antiquis laudatos.

NOVA.

Onuphrius Panuinus de Vrbe Roma: *Multæ variæque sunt veterum Historicorum sententiæ, à quibus, & quo tempore Vrbs ipsa condita sit,*

Idem

cum multi ante ipsum Romulum, eam ædificatam fuisse scribant. tum varijs authoribus in medium productis; *Quorum opiniones*, inquit, *cum nec refellere, quod antiquissimæ sint, nec affirmare audeam* &c. F ff

Idem ibidem: *Sicut variæ sunt Veterum Scriptorum de ijs, qui Vrbem condiderunt, & de Romulo ipso sententiæ, ita etiam diuersæ sunt opiniones de anno, in quo condita fuerit*.

Ioannes Temporarius Chronologic. Demonstrat. lib. 3. *Temporum Epochæ, quæ Cyri ætatem antecedunt, valdè incertæ sunt, nimirum euersionis Troiæ, Agonis Olympici, Romæ conditæ*.

Idem ibidem: *Infitiamur Romulum vmquam in rerum natura fuisse*. tum varijs de eodem absurdis allatis, sic infert: *Ecquis sanæ mentis ista de Romulo figmenta inter aniles fabulas non reposuerit? Illud in ambiguo esse non debet, Poetas vaniloquos, cum Vrbis nescirent originem, a Roma Romulum confinxisse, atque vt Vrbis ortus mirabilior esset, & conditoris fabula plausibilior, Dei filium fecerunt* &c.

Idem ibidem: *Latronum colluuies ad Deos referre voluit originis suæ caput, ideoque mira & portētosa mendacia commenta est, quæ nullam habent veri speciem, sed stuporem credulis tantùm & admirationem pariūt.*

Idem ibidem: *Romuli Romæque principia, veteris historiæ, cælique testimonio carent*. *Proinde* Romam *à* Romulo *fundatam fuisse, atque adeo ipsum Romulum in rerum natura vmquam extitisse, merito infitiari possumus. Romam enim multis sæculis ante fuisse conditam, quam Romuli nomen fuerit excogitatum, aut confictum, scriptores antiquissimi testantur, qui à Dionysio, Plutarcho, Onuphrio, & aliis indicati sunt.*

Philippus Cluuerius Italiæ antiquæ lib. 3. *Falsus Vrbis Romanæ conditor Romulus*. Ggg


Idem ibidem: *Romuli, Mehercules, Historia nihilo certior est primis illis compluribus, variisque Græcorum fabulis, auditu absurdissimis, ac maximè ridiculis, putidisque*.

Idem ibidem: *Quidquid de Romulo & Remo Romani, seu Græci prodiderunt, mera est fabula per se satis absurda, & inepta*.

Idem ibidem: *De Romæ Origine & Conditoribus summa apud antiquissimos etiam rerum Scriptores controuersia fuit, vnde omnium vetustissima esse tandem despicitur*..

Similia omnino apud Albertum Læandrum, Carolum Sigonium, cæterosque inuenies, qui accuratiùs de Romæ Primordijs scripsere.






In Romæ Natales, Ramo Aureo reperto in Gemina Quercu, fauſtè adinuentos.

Quis Genitor? quænam magnæ Cunabula Romæ?
Et quo creuerunt mænia lacte, rogas?
Hæc dabit Auricomo quæ frondet Virga Metallo,
Noſcet ALEXANDRO ſub Patre Roma Patrē.

A P-

APPARATVS
IN ORIGINEM ET ANNALES
LATII VEL ITALIAE
AC ROMANAE VRBIS.





EGINÆ gentium olim ac Dominæ Orbis *Italiæ*, quæ *Latium* ab ipſo ſui exordio vocata, vnde *Latina* gens ac *Latinum* nomen, primum à diluuio terrarum Incolam, Patrem, aut Colonum, alium atque alium antiquitas finxit. *Ianum* monſtrum biceps, à quo Ianiculum ad Tyberim ciuitas fuerit ædificata, *Saturnum* metu filij Iouis ibi latitantem, à cuius latebra *Latium* ortum putant, *Euandrum* profugum ex Peloponneſo, alioſque complures, quos recitabimus. Et quod riſu dignum (niſi myſterium fortaſsis excuſet) *Faunos*, atque *Nymphas*, *& arborum truncis*, *atque dura quercu* quondam *natos homines*, pro primis ſuis etiam indigenis vetuſtas agnouit, vnde Virgilius

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant, Aeneid. 8.
Genſque virum truncis, & duro robore nata.

Pari inconſtantia ſuæ Vrbis Authorem Scriptores Romani multiplicem fecere, ferè ad triginta, in quibus *Italum*, cuius filia Roma, eoſdem *Euandrum*, quem *Romanæ arcis conditorem* idem Maro vocat, *Saturnum* Regem Aboriginum, vnde *Saturnia* hæc Vrbs appellata, *Ianum*, *Aeneam*, *Vlyſsem*, vulgò autem *Romulum*, atque *Remum* fratres, quos Marte creatos, Pici volucris, ac Lupæ alumnos in morte ſacrarunt, ac cælo donarunt. Qua opinionum varietate conſtat, eius regionis, ac Romanæ vrbis adhuc in obſcuro, & nondum detecta primordia latere, idemque vſu veniſſe, quod incertis prolibus, vt dum plures vno aſſignantur patres, nullo potiantur. Quo fit, vt non leuis materia ſe offerat, principem hunc terrarum populum, & antiquam Vrbem demerendi, ſi ſuum vtrique indubium parentem, longo vetuſtatis obliuio ſepultum, quaſi rediuiuum, noſter labor reddat, quem & amplexari, & exoſculari impoſterum

hæc gens, hæc ciuitas orbis prima teneatur. At quemnam parentem? obſcurum forſitan, aut plebeium hominem? nullo natalium, aut proprio ſuo ſplendore illuſtrem? Europæ Monarcham, eumdemque Patrem, Monarchæ orbis vniuerſi, cunctis mortalibus diluuio exſtinctis, diuinitus ob innocentiam conſeruati filium, quem à pietate ſacræ Paginæ laudant, diuino quondam alloquio clarum, Sibylla coniuge, Læta propagine, ac fœcunditate, aureo demum imperio, ac Sæculo nobilem, qui Iouis & Herculis diuinos honores, ſua dignitate quondam ſit adeptus. Hunc (inquam) primum Latij incolam, eumdemque Romæ conditorem hic Liber demonſtrat, quem Scriptura innuit, priſca atque vetus probè explanata hiſtoria adſtruit, docta Poëtarum atque fabularum farrago confirmat, hac perſpicuitate, aptitudine inter ſe, ac inuicem conſenſu, vt nihil æquè ſolidè probatum adhuc in Annalibus (ſacros excipio) atque monumentis vllis reperias. Quidnam ergo inquies? vllum in Poëtis, & eorum fabulis, ad aliquam faciendam fidem, momentum, aut pondus ineſſe arbitraris? Equidem grauiſſimum. nam Sibyllæ oracula plerumque ſub cortice fabulæ in his clauſa latent. vnde *vates* dicti, quod Sibyllina vaticinia canerent, & quod his frequenter ſuas allegorias, aut ænigmata affingant, *Poëtæ*, fictores à ποιέω
Lib. 5. fingo, etiam appellati. Itaque Clemens Alexandrinus in ſuis Sromatis non ſolum Poëtas Theologos facit, ſed de horum fabulis, ſeu Arcanis ſenſibus, vti eas vocat, honorificè in hunc modum ſentit: *Poëtæ, qui à Prophetis didicere Theologiam, per arcana ſenſa multa philoſophantur*. Neque alia de cauſa Græcum quemdam vatem, qui de Cretenſium moribus idoneum prouerbium
1. Tit. ſcripſerat, non iam vt Poëtam Apoſtolus laudat, verum vt *proprium ipſorum prophetam*. Quid, quòd idem Paulus ex cuiuſpam alterius Græci verſiculo, homines *genus eſſe Dei* conficere voluit? ac ne leuiter dictum, tanquam a Poëtâ, quiſquam repudiet, id rurſus aſſumens, aliud inde ad mores grauiſſimum con-
Act. 17. cludit: *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro aut argento aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile*. Quærat nunc aliquis, num ex Poëtis, quidpiam ad probandum poſſit adhiberi, cum gentium Doctorem, ex eorum ſcriptis aduerſus idola, atque horum cultum audit declamantem. ſed quod ad fabulas eorumdem attinet, haud ſcio, an quidquam ad earum laudem illuſtrius aut dignius queat excogitari, quam
2. Petr. 1. quòd D. Petrus Pontificiæ & Apoſtolicæ vocis oraculo has *doctas* vocarit *Non enim* (inquit) *doctas, fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis* mirum præconium! *Philoſophiam* gentium vt *inanem*, ſeu doctrina vacuam Paulus aſpernatur: *fabulas* gentilium Petrus eruditas, ſeu doctrina plenas profitetur. Et quiſpiam modò dubitabit, num harum doctrina, quæ vel Chriſtum docent, atque manifeſtant, queat erudiri? cur igitur idem Apoſtolus Petrus has ſequi detrectat? Non alijs de cauſis, quàm quas ipſe affert, ſe *in monte Sancto ſpeculatorem Chriſti magnitudinis*, ſeu humanitatis transformatæ *fa-*
Ibid. *ctum* vti & *diuinæ auditorem vocis* de illo teſtantis, vnde teſtimonio fabularum doctarum minus indigeat, *habere* ſe inſuper *firmiorem propheticum ſermonem*. firmiorem (inquam) non re à ſe viſa, non voce audita (hoc enim ſuſpicari nefas) ſed *doctis fabulis*, vti ſanè liquet, quæ humanis vocibus, ſententijs, figmentis expreſſæ, nonnullis etiam interdum mendis inquinatę exiſtunt, vt mox oſtendemus. verum qui maiorem ad Chriſtum probandum Prophetico Sermoni firmitatem tribuit, ſuum doctis fabulis robur non ademit, imò potius auxit, quando propheticis ſcriptis, licet maioribus, eas comparauit. Lubet

bet modò quęrere, vnde fabulæ ipsæ hanc doctrinam hauserint, vt etiam à Petro *doctæ* nominentur? vt *virtutem Christi*, atque *præsentiam*, puta olim in carne, & nunc in Eucharistia *notam facere* queant? id enim paulò diffusiùs nobis explicandum, ne quisquam miretur, tot tantaque arcana non solum de historijs, ac gestis veteris testamenti, sed etiam de Christo, Euangelio eius, atque Ecclesia, imò adiaphoris alijs, ac prophanis rebus Poëtas olim, ante Christum natum, assecutos esse, sicut toto hoc Libro passim enarramus. Nam nonnulli Patrum antiqnorum doctas illas fabulas, de propheticis veteris testamenti libris natas opinantur, illa potissimum ratione adducti, quod plurimæ eius historiæ his continerentur. at parũ solida hæc ratio, salua tantorũ Patrum reuerentia, videtur. Exempli causa: Angelorum malorum coniuratio, & lapsus, conflagratio orbis vniuersi aliquando euentura, & Iudicium extremum, in quo quidem cum Christo Iudice duodecim etiam Apostoli sedebunt, quæ pluribus, & disertis fabulis Poëtæ expresserunt, nusquam autem vetus Testamentum, aut vlla ex parte, aut certè cum ijs verissimis adiunctis, quæ ijdem afferunt. Angelorum siquidem praua rebellio, & aduersus Deum seditio, ab vno capite Lucifero exorta, in Ouidio elucet, qui Iouem (Ieouam) eamdem memorantem inducit: Met. l. 1.

Iustinus mart. Tertull. Euseb. &c.

Non ego pro mundi regno, magis anxius illa
Tempestate fui, cum centum quisque parabat
Inijcere Anguipedum, captiuo brachia cælo.
Nam quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab vno
Corpore, & ex vna pendebat origine bellum.

Agnoscis *Anguipedes*, seu serpentinos Dæmones, ab vna origine Lucifero commotos, centum brachia tentantes inijcere cælo? Eamdem Luciferi pugnam, ac supplicium post victoriam inflictum, per Arachnen quoque, Deam Mineruam seu Palladem in certamen operis textrini, seu acupictorij superbè vocantem, eleganter quoque significarunt, vbi victa Arachne, atque à Pallade in fronte percussa, in Araneam, hoc est, in Dæmonem veneno noxio, ac pestifero plenum, pulchra ex Virgine, atque sapiente, repente mutatur, non ablata vita, sed in supplicium acerbum conuersa, nam perpetuo pendula, seu suspensa viuit, hoc est, in cruciatu, pristinum opus inutile texendi, seu aduersus Deum frustra dimicandi numquam intermittens, vnde ad Arachnen Pallas: L. 6.

Viue quidem, pende tamen improba, dixit,
Lexque eadem pœnæ (ne sis secura futuri)
Dicta tuo generi, serisque nepotibus (malis hominibus) *esto.*

In qua quidem fabula, cum multa præclara, tum illud eximium, quod Arachne Palladem, seu Mineruam Deam Sapientiæ, quæ ex Iouis (Ieouæ) Patris capite enata, ad singulare certamen peritiæ prouocet, quia quod ob Verbum Interpres Patris (quod vox Mineruæ ab Ἑρμηνεύω & eiusdem ortus è cerebro Iouis egregiè declarat) seu Sapientiam Æternam olim incarnandam, Araneus Lucifer potissimè Deo rebellarit, è Sanctis Patribus plures tradidere. Idem Luciferi cum coniuratis suis exitium, ac pænas, per Titanum prælium Virgilius demonstrat, quos non solum in Tartarum præcipites agit, sed *in imum eius fundum*, vti Theologus, sapienter demergit: Aen. 6.

Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantùm, tenditque sub vmbras,
Quantus ad æthereum Cæli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,

Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.

Aptè equidem *Titanes* illi Angeli dicti, quòd *supernè positi*, siue collocati, nimirum in cælo Empyreo fuerint, nam *Titan* à Τίθημι ἄνω hoc est, *sursum pono* nomen habet. Quod autem similiter cum terra ex nihilo initio creati, ideo *genus terræ antiquum*, quasi ignobiles ex nihilo facti, & eiusdem cum terra generis, quò ad hoc, quod sint ex Nihilo facti, rectè appellantur. Eumdem præterea Luciferi casum *Typhoæi* fabula, quem alij *Enceladum* vocant, disertè explanat, cui etiam de cælo deiecto ob simile facinus, Trinacriam Insulam, ob illius caminos ardentes, ingerunt & superimponunt, quibus sanè Inferos bellè descripsere, & Dæmonis in his supplicium flammas ore vomentis. Sed Insulæ crebros terræmotus eidem fabulosè assignant, quandocumque corpus, aut latera commouet, vnde Ouidius

Met. 5. *Degrauat Aetna caput, sub qua resupinus arenam*
Eiectat, flammamque fero vomit ore Typhoæus,
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ,
Inde tremit tellus.

Typhoæus Lucifer à superbiæ *typho*, quo erat inflatus, idem *Enceladus*, quia Ἄγγελος siue Ἄγγελος Ἅδης, hoc est, Inferorum Angelus. Cuius præcipitium, & ruinam etiam per *Pyrenæi Regis* horribilem casum Ouidius expressit, qui quidem *Pyrenæus* dictus à cælo *Empyreo*, in quo creatus est, & vbi tanquam Princeps Angelorum regnauit. Is autem *Musas*, id est Angelos bonos, in illo palatio suo violare aggressus, quando aduersus Deum rebellandum frustra incitauit. Nam è domo eius euolantes, virgineæ illæ mentes, siue musæ, (ad conspectum Dei) ipsum frustratæ sunt, insequi autem illas consimili volatu parans Pyrenæus, in terram collapsus, seipsum elisit, & eamdem terram *sanguine scelerato* tinxit, sceleratis nempe Dœmonibus, qui in hac versantur. Iuuat Ouidium de hoc rursum audire:

Met. 5. *Claudit sua tecta Pyreneus*
Vimque parat, quam nos sumptis effugimus alis,
Ipse secuturo similis, stetit arduus arce,
Quaque via est vobis, erit & mihi, dixit, eadem.
Seque iacit vecors &c.

Idem denique per *Coruum* malum delatorem, seu *calumniatorem*, (quod nomen *Diaboli* sonat) rursus Naso docet, qui candidus olim, ob crimen suum in nigrum mutatus:

Cum candidus ante fuisses
Met. 2. *Corue loquax, subitò nigrantes versus in alas,*
Nam fuit hæc quondam niueis argentea pennis
Ales, vt æquaret totas sine labe columbas.
Lingua fuit damno.

Lingua calumniatrix, vnde Diabolus est dictus. Itaque loca nobis proferant ex omni Moyse, aut veteris Testamenti codice, qui fabulas inde ortas opinantur, vnde hanc Theologiam de Angelorum crimine, ruina, atque supplicijs, cum omnibus adiunctis, Poetæ veteres ante Euangelium promulgatum hauserint? quod cum facere nequeant, agnoscant Sibyllam, quæ hos oraculis suis instruxerit. Iam conflagratio Orbis vniuersi, quæ etiam teste D. Petro, *ipsos* Ep. 2. c. 3. *correptura cælos*, vbi etiam in illo Testamento legitur? atqui Iupiter apud eumdem Nasonem,

Esse

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus, Met. 1.
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia Cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et apud eumdem mundi Iudicium extremum agnoscis, sub nomine *litis terræ decidendæ*, in quo duodecim Cœlestes Apostoli, cum Christo Ieoua, seu Ioue, sunt sessuri Iudices. Nam Minerua aduersus Arachnen in sua tela, præter cætera, Met. 6.

Pinxit & antiquam terræ de nomine litem; vbi
Bis sex Cœlestes, medio Ioue, sedibus altis,
Augusta grauitate sedent, sua quemque Deorum
Inscribit facies, Iouis est regalis imago.

Dies me deficiat, si omnes fabulas velim recensere, quæ non solum Christianæ fidei mysteria tradunt, nusquam in veteri Testamento expressa, sed adiaphora, imo & prophana, quæ post Christum natum demum euenere. Præterquam quod superuacaneum illa modo afferre, cum totus hic liber passim ea referat. Nihil de Trinitatis augustissimo mysterio loquor, quod altero libro ostendemus, eosdem scitè descripsisse. Nihil de Christi Domini ortu, gestis, miraculis, morte, resurrectione, in cœlum ascensu, quæ etiam hoc opere ab ijsdem enarrata leges, D.Petri nauigatio Romam, & Cathedra duplex, cum alijs gestis, morte, apotheosi, & quæ hanc secuta, quæ quidem fabulis Iani (Ianitoris cœli) Æneæ, Vlyssis, ac Romuli à Poetjs tradita, vti toto hoc libro amplissimè docemus; vbi in veteri Testamento extant? vbi in eodem, omnia aut pleraque Christianæ Ecclesiæ euenta, casus, & successus, vt præcipue Homeri narrat Odissea? vbi Apostolorum acta siue gesta? vbi, verbi causa, D.Bartholomæi nondum nati corpus, in Insulam Tyberis olim aduehendum? vbi excidium Solymæ sub Vespasiano, Æneidos, & Iliados fabulis potissimè contentum? vbi Lauretanæ domus Translatio tot fabulis prædicta? vbi America, siue nouus Orbis olim detegendus? vbi Peruuianæ auri & argenti in ea fodinæ, quas per Hesperidum hortos, atque sua poma aurea, aliasque fabulas Poetæ describunt? alij igitur fontes, quam veteris Instrumenti paginæ, nobis proferendi, vnde illi biberint, nimirum Sibyllini versus, quos in sua carmina passim transfudere, vnde à vaticinijs eiusdem *vates* nominati. Nec enim aliunde Maro, vt ipse testatur, nasciturum Christum verè præsagijt,

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Eclo. 4.

Quem quidem locum, atque totam Eclogam, oratione habita ad sanctorum cœtum, *Constantinus Cæsar* pro Christo Gentilibus probando, sicut & *Lactantius*, grauissimè inculcant: adeo ergo verum est, quod Petrus supra insinuauit, *Doctis fabulis*, Christum *notum* fieri posse. Non aliunde ergo quam ab istis *Prophetis*, puta, Sibyllinis (quas Patres *gentium Prophetissas* appellant) *Theologiam* suam, & *arcana sensa* cæteri vates *didicere*, vt B.Clemens Alexandrinus supra affirmauit. Quam quidem Sibyllam, quod primi olim Romæ Christiani ad Christum probandum, Gentilibus afferre solerent, *Sibyllistæ* vulgò nuncupati. Vnde quidam Imperatores Libros Sibyllinos, quos maiores antea in Capitolio, & publico ære, atque summa cura cautè conseruarant, cum alijs quibusdam Poetarum operibus, quod nimium apertè Christum loquerentur, cremandos curarunt. Quamobrem ad Sibyllarum laudem accommodatè D.Hieronymus, in hunc Psalmi versiculum: *Dominus narrabit in scripturis populorum*,

Iustinus Mart in Apolog. ad Antonin. Baron. ad Ann. 143.

eas

eas populorum Gentilium ſcripturâs, Sibyllarum carmina interpretatus eſt, quibus vti propheticis ſcriptis de Chriſto, Gentiles ante Euangelium fuerint inſtructi, atque præformati. *Dominus* igitur de Eccleſia ſua (vt Dauid affirmat, & nos ſupra oſtendimus) alijſque rebus, vti de Romani Imperij euentis, atque ſucceſſibus, Sibyllis *narrauit*, Sibyllæ Poetis, & Poetæ nobis. *Narrationem*
Eccli. 39. ergo horum *virorum nominatorum* non abijciamus, verùm *conſeruemus*, *&*
Aen. 6. *in verſutias parabolarum* (fabularum illorum) *ſimul introeamus*. Horum enim commenta, quaſi *centum aditus*, quaſi *oſtia centum*, *vnde ruant totidem voces*,
Met. 14. *reſponſa Sibyllæ*. ſunt & *tenuis vox* eiuſdem Sibyllæ, quoniam grandia eius olim volumina, ad has pauciores fabulas ſunt redacta, quibus tamen adhuc loquens agnoſcitur, iuxta illud vaticinium eiuſdem.

Ibid. *Tempus erit, cum de tanto me corpore paruam*
Longa dies faciet, conſumptaque membra ſenecta
Ad minimum redigentur onus, nullique videbor,
Voce tamen noſcar, vocem mihi fata relinquent.

Cuius quidem vaticinij ſenſus cap. 30. infra explanatur, vbi de Sibyllis etiam vberiùs. Nemo ergo reprehendat, aut minoris ducat, ſi de primordijs Italiæ, ac Romæ ſcripturi, præter cætera, tum à ſcripturis, tum à prophanis hiſtorijs præſidia, Poëtas teſtes adducamus, quos liquet ſua à Sibyllis erudita commenta, & vaticinia eſſe mutuatos, & earum verſibus ſua olim opera plerumque exornaſſe. Quod duplici ferè ratione, ac modo fecerunt: ſimpliciter, atque figuratè. Simpliciter, cum Sibyllæ dictum nudè, ac ſine fabulæ vllius ornatu in medium adducunt, vti mundi Geneſim, ac hominis creationem, quē
Met. l. 1. *effictum* narrant *ad effigiem moderantum cuncta Deorum*, & cuius animum
Horat. *affixum humo*, ideſt terræ limo, *auræ diuinæ particulam*, quod mentem *ſpi-*
Gen. 2. *raculum* vitæ, in faciem Adæ Deus *inſpirauit*. Sic & Orbis diluuium ob hominum ſcelera ſimpliciter, & ſine fabula olim expoſuere, necnon ſupremum eius excidium, ſeu conflagrationem, & cætera innumera. Figuratè porrò oraculum Sibyllæ, per fabulam ijdem, & apologum exprimunt. Eſt autem fabula, obſcurior quædam allegoria, ænigmati ſimilis, quæ ferè rem incredibilem ſibi habet adiunctam, vt Saturnum filios deuoraſſe, Romulum, & Remum à fera lupa educatos eſſe, Gygantes cælos expugnaſſe, & ſic de cæteris. Fabula autem poëtica, phraſim fictam habet, & modum loquendi à Sibyllino ſolùm diſcrepantem, rem autem, & ſenſum Sibyllæ. Exemplis aliquot totum illuſtremus: Narrauit Sibylla, marito Adæ pomum vetitum ab Eua oblatum, quo ab eo admorſo, omnia mala, atque miſeriæ in mundum intrarint. Idem figuratè, ſiue fabuloſè enarrans Poëta, à Pandora (Eua omni dono naturæ ornata) thecam, aut pixidem ait Epimetheo traditam, in qua orbis vniuerſi mala clauſa forent, qua demum aperta (dente Epimethei in pomum defixo) in mundum omnia illa inuolarint. Narrauit Sibylla, ob pomum illud ab Adamo commorſum, omnes filios eius morti obnoxios effectos. At narrat Poëta, à Saturno (qui eſt *Satur Annis*, ſeu longæuus Adam) filios eius omnes deuoratos eſſe, quaſi in illo pomo cuncti incluſi fuiſſent. Narrauit Sibylla, eiectum ob id Paradyſo Adamum à Deo, qui poſtea carne hominis ſuſcepta eius filius fuit. At narrat Poëta, Saturnum à filio Ioue, (qui Ieoua) cæleſtibus regnis exterminatum. Narrauit Sibylla, filios Noë turrim Babel olim extruxiſſe, qua vſque ad cælos peruenire poſſent. At narrat Poëta Gigantes (terra homines genitos) congeſtis montibus, atque cumulatis, cælum affectaſſe, & contra ſuperos olim pugnauiſſe. Narrauit

rauit Sibylla Ionam à Ceto absorptum, in eius aluo incolumem, & saluum mansurum. At narrat Poëta, *Derceten*, idest, belluam Cetum, à θήριον & κῆτη in hominem mutatam, squammis tamen retentis, quibus stagna incoleret, atque suos artus humanos velaret, iuxta illud Ouidij

Cogitat, & dubia est, de te Babylonia narret
Dercete, quam versa (squammis velantibus artus) Met. 4.
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Narrauit Sibylla, eumdem Ionam Ceti aluo liberatum, senem in terra victurum, atque moriturum. At narrat Poëta eiusdem Ceti filiam columbam in turribus extremos annos exegisse, allusione ad nomen Ionæ (quod est hebraicè columba) qui quòd ex vtero Ceti sit egressus, ingeniosè eiusdem filius, ab Ouidio hic fingitur:

An magis, vt sumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos? Ib.

Venio ad historias noui Testamenti. Narrauit Sibylla, Mariam Virginem, solam cubiculo inclusam, de Spiritu Sancto in eam superuenturo, olim concepturam. At narrat Poëta, Danaen (Iordaneam, seu Iudæam) Virginem in turri conclusam, cælesti & aureo Iouis (qui Ieoua) imbre impraegnatam esse, factum id Poëta credens, quod olim futurum, quia forsitan Sibylla verbo præteriti aut præsentis temporis pro futuro vsa, prophetarum more. Narrauit Sibylla eamdem Virginem, nullo hospitio receptam, Christum Deum & hominem, in stabulo publico parituram esse. At narrat Poëta, Latonam omnibus terræ hospitijs exclusam, & exigua sede ad partum negata, in Delo (publico siue manifesto loco à verbo Δηλόω) geminos Apollinem, & Dianam edidisse: quorum ille Christum hominem signat, Diaboli exterminatorem, à voce ἀπόλλυμι, extermino, perdo, hæc autem Diuinitatem, seu diuinam mentem à Δια & Νοῦς, cui etiam ob Tres Diuinas Personas, tria ora affingunt. Latona enim Deipara appellata, quasi Latina à Latio, in quod eius effigies, atque Nazarena Ædes erat transferenda. Narrauit Sibylla, eumdem Christum in Caluariæ monte, ob hominum salutem, acerbos cruciatus laturum, imo se victimam in ara Crucis Patri oblaturum, sed à morte rediuiuum, glorioso corpore, cælos ascensurum. At narrat Poëta, nempè fabulosè, eumdem Herculem Deum, in Oetæo (tantum non Iudæo) monte, inter sacrificandum, veste (suæ humanitatis) flamma (charitatis in homines) correpta, & clauæ impositā ceruice (Cruci, quæ ob clauos eidem affixos claua appellata) diuturnos cruciatus tulisse, & illo igne tandem consumpta re (mortalitate) quam à matre acceperat, illæso manente, quod erat a Ioue (seu Ieoua) parente, postea renouatum, ac multò augustiorem, quam antea effectū, quadriiugo curru in cœlos euectum. Narrauit Sibylla, Spiritū Sanctū in Apostolos simul congregatos olim descēsurū. At narrat Poëta, Vulcanū Deum ignis (Amoris diuini) à Ioue deiectum in terras, in *Synthies*, hoc est, vnà congregatos, viros decidisse. Possem infinita eiusmodi afferre, verùm ad fabulæ vim aperiendam, illa sufficiunt, nec non ad docendam, & manifestandam harum authoritatem, quæ tot mysteria Christianæ fidei suis inuolucris seu figmentis tegant. quamobrem enim illas aspernemur, quibus etiam Spiritus Sanctus, in Scripturis vti dignatus est? vnus iste locus erit instar omnium, vbi *ligna agri* seu arbores ad creandum Regem comitia celebrant, regnumque oblatum renuente *Oliua*, *Rhamnus* arborum pessimus, & ineptissimus, hoc sceptrum capessit. Porrò duæ causæ occurrunt, cur istis figmentis tantoperè Poëtæ olim delectati,

ctati, vt pleraque Sibyllæ oracula ijs obuelarint. Primo vt suauiùs istis allegorijs in animos illa influerent, nam voluptatem omne ænigma ferè habet adiūctam, vel potiùs, vt Sacra mysteria jis quasi velis cooperta, Sacratiora vulgò
Li. 5. strom. haberentur. Nam vt sapienter B. Clemens Alexandrinus ait: *Temeratur, quod tritum est, & eò ampliùs, quæ per ænigma designantur, multò magis æstimantur, vt corpora maiora, densioraue ad oculos fiunt, quæ ex aqua aut per nebulam intuemur*. At falsa plurima in his fabulis tradunt. Quis infitiatur? nam Sibyllarum prauo intellectu, in eorum scripta errores non pauci irrepsere, quos etiam toto illo libro passim detegimus. Et Homerum, vt insignem suorum carminum deprauatorem, in Sibyllinis, quæ circumferuntur, acriter Sibylla redarguit. Nec solus Homerus, sed etiam Hesiodus, & cæteri ferè, Sibyllæ versus ità confudere, nulla propè habita ratione loci, aut temporis, Topographiæ seu Chronologiæ, ordinis rerum, vt Iliadem, Odisseam, Aeneidem, Fastos, Metamorphosim, Thebaidem, Argonautica, aliaque similia opera, Sibyllinos centones quosdam, atque rapsodias nominare possis. Quod etiam Virgilius
Aen. 3. subobscurè fatetur, quando à cardinis seu *ianuæ vento, folia Sibyllina* asserit ita *perturbari*, vt nullo labore, atque industria, in pristinum ordinem *restitui queant*, qua quidem fabula, Interpretum Poëtarum vitia & errores, eleganter notat, qui ad obscurum Sibyllæ antrum, quasi ianuæ quædam nobis extitere. Cur ergo, inquies, hæ *doctæ fabulæ*, quas tot menda inquinant? Quòd etiam in earum erroribus, mendacijs, & mendis, Sibyllæ doctrina clarè pelluceat. Non enim, si falsam quamdam circumstantiam loci, aut temporis, personæ, aut rerum historicus interdum narrando afferat, continuò Summariæ veritas historiæ labascit. Sic est in Poëtis, vt historiæ Sibyllinæ corpus semper in his agnoscas, tametsi interdum adiunctis non veris vsquequaque constans, quæ hi adiecere, vel peruersa interpretatione decepti, vel quòd genio suo indulgentes, verisimilitudinem potiùs, quàm verum sequantur. Quid, quod & iidem interdum plus errando docent, quam si non errassent? quis enim Eucharisticis Sacris verum Christi Corpus contineri non magis credat, cum *gaudere feris altaribus Hesus*, hoc est, *Iesus*, ab ipsis dicitur, quam si sacra & diuina altaria illa vocitassent? Item *Thyestæam Cœnam*, cum feram & crudelem nominant, ob quam postridie *sol lumen negarit*, in vltima Christi Cæna Corpus eius fuisse errando demonstrant, qui verus *Thyestes*, hoc est, *cibum immolans*, à θύω & ἑστία, *fratri* Apostolo, *sub occulta dape filios epulandos obtulit*, pridie quàm sol deficeret, eò quòd hostias panis atque vini, tanquam suas proles, ipse Apostolus conficere debebat, consecrare, atque consumere, à Christo ipsis tunc in cæna oblatas. Itaque fabulas *Sibyllarum Echones* rite appellaris, quæ sæpius perfectum, nonnumquam imperfectum, numquam non aliquem harum sonum reddant. Non rectæ autem interpretationis, nempè Sibyllarum, plures in Poëtis causas deprehendo, quarum hæc maxima, mysteriorum obscura altitudo, quæ Sibylla tradidit, quæ minùs illi capientes, in errores lapsi; sicut ex sublimibus scripturarum arcanis innumeras hæreses exortas videmus. Hinc ex Trinitatis augusto mysterio in Sibylla lecto, praueque intellecto, plures illi Deos, seu Polytheismum orbi inuexere, vti altero libro fusè explicandum. Hinc Saturnum Adam Deum credidere, quod Dei Incarnati parentem futurum ex Sibylla discerent; hominem Dei Patrem, Deum malè interpretati, ob Incarnationis mysterium minùs comprehensum. Hinc *Deam Floram*, castissimam Virginem, *Nazaræam* matrem (quod nomen hebraicè *floram*, seu *floridam* designat) eò quòd extra connubium nem-

nempè consummatum, parituram filium ex Sibylla nossent, scortum putauere, Mysterium Virginis summa integritate quondam concepturæ, haud percipientes. Hinc & *Ianum* Petrum, *cæli Ianitorem* (vti Ouidius sanè interpretatur) Carnam Virginem (Ecclesiam Romanam eiusdem Iani Virginẽ Sponsam) constuprasse asserunt, & concubitus præmium ius cardinis (Ecclesiæ claues, quibus cardo cæli, ac ianua clauditur, atque referatur) Carnæ illi dedisse, mysterij ignari, Ecclesias Sponsas Pontificum esse, & Episcoporum, vt Sibylla quidem ipsos docuerat, verum virgineas, & Spirituales, quod ignorauere. Simili ratione ob mysterij sublimitatem minimè comprehensam, cum Deum (Iouem seu Ieouam) plures animas Sanctas in terris olim dilecturũ, ex Sibylla vate percepissent, easq; in Sponsas suas adlecturum, eumdem Iouem, seu Ieouam (quem maritum Iunonis, secundæ Trinitatis personæ ideo credidere, quod ex vtroque Spiritus Sanctus processisset) sæpius adulterum, & virginum castarum stupratorem fecere, spiritalem amorem, spiritales nuptias, spiritales Sponsas, ad carnalem & lasciuũ amorem, & coitum, per ignorantiam summam transferentes. Ex eadem inscitiæ radice, Iunonis odium, & Zelotypia aduersus has animas Ioui caras profecta, quòd Sapientia Æterna electos suos aduersis multis, & filios ad se spectantes castiget, quod illi in odium & Zelotypiam, carnali & humano more refuderunt. Sic tanquam Spiritualium rudes & ignari, spiritales pugnas atque victorias aduersus vitia, vitiosos homines, & animæ hostes, carnem, ac dæmonem, carnali sensu quoque explicarunt, vti in Achille Christo, ad Ilium, seu Æliam Solymam (apud Homerum) obuios quosque cædente, & Virgiliano Ænea (quem Petrum esse demonstramus) cum Latinis adhuc idololatris, pro Sponsa sua Lauinia (Ecclesia Romana) acriter depugnante liquet. Non rarò antem in Sibylla, nominum & vocabulorum magna cognatio, seu similitudo Poëtis illusit. Ita pro *Helia*, Ἥλιον solem in ea legere, & Heliæ Currum, & igneos equos, quos illi Sibylla cum scriptura dabat, Ἡλίῳ soli tribuere, sic *Iuppiter* ab eis pro *Iapheto* in eadem lectus, quem in Taurum Europam vehentem propterea mutarunt, quia in Tauricam primùm translatus est, & Europam (filios Europæos à se summopere dilectos) per mare deuexit. Haud absimiliter *Paridem* (Adam *Paradysæum*) qui pomum discordiæ causam inter Deum & homines, Veneri suæ Euę donauit (hoc est, in gratiam eius manducauit) spreta Dea Minerua (Sapientia Æterna) & Iunone (quæ verbum Patris, seu filia mens, ab Νοῦς & Νῦς) cum *Pari Idæo*, hoc est, *Pharisæo Iudæo* confundunt, à quo (Christus) Achilles cæsus, & Helena (vna Diuinitas) Menelao (populo Lunari Iudæo) per mortem erepta, eadem nominum cognatione in errorem inducti. Sic duos *Saturnos*, & duas *Veneres*, & duas *Medeas*, duplicem item *Argonautam*, vt hic Liber monstrat, in vnum conflarunt, quod quidem nomen appellatiuum, aut proprium, vtrisque commune in Sibylla legerent. Contrario errore, rem vnam plerumque aut personam, in plures diuidunt, ac quasi discerpunt. Verbum Patris, Sapientiam Aeternam, in Iunonem, & Mineruam, seu Palladem, Iaphet in Saturnum, Euandrum, Oenothrum, Herculem &c. D. Petrum, in Ianum, Aeneam, Vlyssem, & Romulum &c. imò Christum in Apollinem seu Phœbum, Mercurium, Martem, Bacchum, seu Liberum, Achillem, Herculem, aliosque complures, malè dissecantes, vti toto hoc opere ad oculum monstratur. Sed antequàm fabulas missas faciamus, breuiter nobis diluendum, quod ex illo Apostoli vaticinio aduersus easdem inferri videtur: *Erit tempus* (inquit) *cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros* 2. Tim 4.

2. Epist. c. 1. *prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila.* Quis tam hebes & rudis, qui hoc vaticinium ad *fabulas doctas* Poëtarum transferat, quæ, tantùm abest, vt *sanæ doctrinæ* aduersentur, vt eam magnoperè confirment, vt supra monstratum, & Christi *virtutem*, atque *præsentiam*, ipso D. Petro clarè insinuante, *notam facere* queant? De *fabulis* igitur, vt ex textu liquet, *magistrorum prurientium auribus, qui sanæ doctrinæ contrarium docebunt*, locus intelligendus, sicut idem Apostolus Epistola ad Titum, Iudæorum doctrinam *fabulas Iudaicas* nominat, cuiusmodi *fabulæ* (cum ad orientales vaticinium istud dirigatur) fuere Arriana dogmata, & Nestoriana, & eorum, qui Spiritus Sancti Personæ, & Processioni iniuria scripsere, ac potissimè Mahumeti doctrina, quibus corrumpendos Græcos, atque Ephesinos Apostolus prædicit. Nam si *doctæ fabulæ* id vitium ac crimen haberent, vt doctrinæ sanæ repugnarent, an doctas illas Petrus appellasset? an non potius rudes, imperitas, vanas, pestiferas, noxias? an Prophetico sermoni, licet inferiores, illas comparasset? sic & Apostolus Paulus, non *doctas*, sed *aniles fabulas deuitandas* ait, quas anus de rebus sacris superstitiosè comminisci solent, & quæ sunt de *genealogijs interminatis*, quæ quæstiones magis, quàm ædificationem in fide Christiana præstant, quibus sanè animum intendere vetat, non verò Poëtis, quos non vno loco ad res grauissimas confirmandas adhibet, vt supra ostensum. Hæc igitur de fabulis satis, de quibus hactenus copiosè præfati, vt earum pondus atque authoritas ad quamuis historiam probandam, magis innotescat. Tum quòd plures veterum historiæ, quibus nostri operis institutum firmatur, fabularum potius, sicut ostendemus, quã historiarum nomen mereantur. Vnde Annianos Authores, tanquam fabulosos, quoque recipimus, vbi horum figmenta in hoc argumento, cum alijs fabulis siue historijs, bellè consentiunt. De vtilitate porrò, atque fructu operis, præfari omittimus, quando argumenti dignitas atque pondus, ex proximè allato summario pateat, quod non solum Europæ, Italiæ, ac Romanæ Vrbis primordia adhuc ignorata promittit, sed & plurima fidei Christianæ, ac Ecclesiæ Romanæ confirmanda dogmata, ac traditiones, ex Sibyllæ folijs, atque oraculis, quæ Euangelium atque Christi ortum diu præcessere. Totum vero hoc opus in duos libros diuisimus, quorum hic primus Veteris, ac Primæue Italiæ quasi Annales refert, tametsi quæstionibus varijs crebrò interruptos. Alter autem Theologiam explanabit, antiquis Latinis, atque Europæis à Sibylla traditam, vbi de natura atque origine Deorum Gentilium, Deo dante, agemus. Interim primo Lector fruere, dum bonis auibus atque auspicijs, alter similiter in publicum prodeat.

VERA



VERA ATQVE NOVA HISTORIA ROMANA
SEV
ORIGO LATII VEL ITALIAE AC ROMANÆ VRBIS
E tenebris longæ vetuſtatis, in lucem producta.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

1 A Noë filio, qui dicitur Iaphet, *Europæos* tanquam à parente, ſuam & ſui nominis originem ducere.
2 Ab hoc item *Latium*, & *Latinum* genus, ac ſermonem.
3 Quatenùs docta antiquitas ſuum hunc *Europæ*, ac potiſſimè *Latij* Patrem agnouerit, aut ignorauerit?

1 

RIMVM omnium ſatis ex Moyſe conſtat, tres Noe filios Semum, Cham, & Iaphet, ante diluuium ſuſceptos, & ex Arca poſtmodum cum parente egreſſos, omne hominum genus in vniuerſum orbem diſſeminaſſe. Quorum duo priores, cùm Aſiæ, ac Lybiæ (poſtea Africæ dictæ) vacua occuparent, Iaphetum in Europam tertiam orbis partem, filiorum, & nepotum colonias duxiſſe, eadem Scriptura annuente didicimus, eò quòd ab eo, & quatuordecim liberis *diuiſas gentium inſulas* eſſe tradat. Quas quidem Europæas fuiſſe nemo dubitabit, quiſquis perſpexerit, in Aſię, atque Africæ continente, celebres, aut paulò am-

Gen.c.9.

Cap.10.

 pliores

pliores nullas, aut vix vlſas certè reperiri, & Europam iiſdem Inſulis propemodum vniuerſam conſtare. Taurica nempè Cherſonneſo, Thracia, tota Gręcia, cuius ſunt *Inſulæ Ionio in magno*, Italia, Hiſpania, cæteriſque quam plurimis. Nam *Inſulas Gentium* à Moyſe iſto loco dici, terræ tractus ingentes, ad quos primi homines non niſi nauigio commodè è Syria traiecerint, quamuis non vndique mari præcingantur, plurimos ſacros Interpretes authores habemus. Scripturæ conſentit Ioſephus Antiquitatũ Iudaicarum lib. 1. cap. 6. vbi ampliſſimas Iaphetiorum ſedes, à Tauro & Amano montibus, in Aſiá maiore, ad vſque Gades Hiſpanicas porrigit. Cui adſtipulantur plurimæ eorumdem locorum regiones, quæ Iapheti atque filiorum, quos Scriptura memorat, appellationibus vetuſtis etiam hodie gaudent, vti infra monſtrandum. Sed *Europæ* nomen ab eiuſdem *Iaphet* vocabulo deductum, omni dubitationi locum certè eximit. Illud enim græcè, hoc autem hebraicè *Latitudinem*, vel *Dilatationem* ſonat. Nam *Europa* ab Εὐρὸς ποιεῖσθαι, quod eſt fieri latum, ſiuè dilatari, & *Iaphet* à radice *Iapatah*, latum, ſiue dilatatum hebraica voce ſignificat. Quo fit, vt ad illum Geneſeos locum: *Dilatet Deus*
Cap. 9. *Iaphet*, primùm interpretes id notandum ducant, iiſdem literis *Iaphet*, & *dilatet* hebraicè efferri, ne *lati* ſiue *dilatati* ſignificationem dubites illi tribuẽdam. Tum hanc elegantem paronomaſiam obſeruent: *Dilatet Deus latum*, ſeu latum nomine Iaphetum, Deus quoque Latum reuera efficiat, & ſit *Europæus*, hoc eſt, dilatatus. Quod quidem vaticinium minùs explicatur, niſi Europæorum Patrem illum agnoris, qui præ Aſiaticis, atque Africanis immensùm aucti atque propagati, in tabernaculis Semi tandem habitarunt, vti & hodie per Turcas Europæos habitant. Congruunt his ad amuſſim *fabu-*
2. Petri c. 1 *læ doctæ* Poëtarum, quibus Sibyllina oracula contineri, in Apparatu ſupra oſtendimus, quæ *Iapetum* Patrem *Dilatatorum*, hoc eſt, Europæorum, vti ingenioſè, ſic etiam ingenuè fatentur, dum prolem eius fingunt, hominibus è luto formatis, Græciam & Europam omnem impleuiſſe. Huc quoque ſpectant Deucalionis, & Pyrrhæ (quæ Iaphetum, eiuſque coniugem appellatiua ſua voce referunt) fabuloſi lapides poſt terga proiecti, *vnde homines nati, du-*
Orpheus in Argon. *rum genus*, hominum iacturam diluuio factam, in eadem Græcia inſtaurarunt. Sed & Argonautarum nauigatio prima, omnium fere antiquorum ſcriptis celebrata, in quibus *Latinus*, *Iphys*, & *Iphytus*, vt celebres heroës, quoque memorantur, ſuo curſu à Phaſidis oſtio ad Pontum Euxinum, per duos Boſphoros Cimmerium & Thracium, hincque per Græciam, in vtramq; Heſperiam, Hiſpaniam, & Latium, an non perſpicuè per *Latinum*, *Iphym*, & *Iphy-*
In tab. Eur. Gen. 9. *tum*, Patrem *Iaphet* colonum Europæ teſtatur? quid plura? ab Iapheto & fratribus Semo atque Chamo Scriptura Sacra omne hominum genus vniuerſæ terræ *diſſeminatum* à diluuio prodidit. Ab eodem Iapheto & filijs eius, *diuiſas* quoque *gentium Inſulas* eſſe. Et vt de Inſulis Europæis dictum id cre-
Gen. 10. deres, eidem pro filio *Iauan*, pro nepotibus *Eliſam* & *Cethim* aſſignat. *Iauan* porrò Septuaginta Ἰωυὰν vocant, Hebræi ſine punctis *Ion*, ne *Iones* & *Ionios* Græcos dubitares ab hoc appellatos, præſertim cum & hodie Græci *Iauan* & *Iauanim* hebraicè vocentur. Nunc iidem Græci Ἕλληνες, imo Ἕλλησι in dandi caſu appellati, nonne ab *Eliſa* nepote Iaphet deſcendere videntur? vnde
Mach. 1. porrò Alexander Magnus egreſſus ad orbem domandum à Scriptura dicitur, non de *terra Cethim*? Itaque per *terram Cethim*, qui Iapheti nepos, eamdem Græciam Scriptura deſcribit; vt intelligeres, in qua parte orbis Iaphetij & Ia-

phet olim cõmorati, nempè in Europa. imò quoties vocabula *Cetim* & *Cytim* in ijſdem literis ſacratis occurrunt, ea per *Græcos* vel *Italos* toties Septuaginta verterunt, vt edoceremur in diuiſione terrarũ, Europam pro ſorte atque portione Iapheto obtigiſſe. Itaque maneat exploratum, quod Hiſtoricorum omnium prophanorum (qui quidem nunc extent) antiquiſſimus Herodotus illis verbis negant: *Europa, vnde hoc nomen acceperit, neque quis nominis author extiterit, ab aliquo mortalium compertum eſt*. Etenim ſi pluribus etiam indicijs opus eſt, In Tabula Europæ. Lib.4.

2 *Latium* in Europa, atque adeo orbe vniuerſo primaria regio, ab ipſo Iaphet primum inhabitatum, & ab eodem Parente *Lato* Latium appellatum, ſicut & *Latini*, & *Latina* lingua, omnem facile coniecturam vincit, Europam ab eodem cultam atque nominatam. Nam præter apertiſſimum Etymon nominis *Latij*, ac *Latini* à *Lato* cuius eſt Synonymum hebraicum *Iaphet*, Italiam in qua vetus atque nouum Latium, olim *Iapygiam*, quaſi *Iapyciam*, ſiue *Iapytiam* (vbi quoque promontorium *Iapygis*, & ventus *Iapyx* ab Italia in Græciã ſpirans) à vetuſtiſſimis Hiſtoricorum dictam accepimus. Item *Auſoniam*, quæ etiam *adauctam*, ſiue *dilatatam* Græcè ſignificat, à verbo Α'υξέω. Item *Oenothriam*, quaſi *Oenothrij* ditionem, hoc eſt, Iapheti, qui à Patre Noë, ſeu Oenothro vini inuentore (nam οἶνον Græci vinum dicunt) *Oenothrij* nomen deriuauit. Iam verò eadem Italia, antiquorum *Arcadum*, & *Aruntum* ſiuè *Aruncorum*, et *Aboriginum*, & *Euandri* à Romanis Scriptoribus decantata Sedes, quid niſi per denſas vetuſtatis nebulas, in primos illos Latij Inquilinos, Iaphet atque Coniugem, quaſi digitum intendit? qui quod ſoli inter Europæos, in Arca paterna, tempore diluuij incluſi manſerunt, *Arcadum* nomen obtinuerunt, atque etiam *Aruntum*, ſiue *Aruncorum*, vnde *Aruntes*, *Aurunci*, vel *Arunei* orti, veteres quidam Italiæ populi, à radice hebraica *Aron* vel *Areuna* Arcam deſignante. Quid *Aborigines*, quos *auctores* atque *conditores Romani generis*, & *Italiæ* primos *indigenas*, cum alijs Scriptoribus pluribus, Dionyſius facit, quoſque *Arcadicos* eſſe ſuſpicatur, an non ijdem *Iaphet* atque *vxor*? qui quia à nullo Europæo geniti, *Aborigines* dicti, tanquam *abſque origine* homines, nempe in Europa, vel quòd *ab* his omnes Europæi *originem habeant*, & *inde geniti* ſint, hinc *Aboriginum* & *Indigenarum* ſingulare fuerint vocabulum adepti, vti & *Arcadum* ab *Arca* paterna, in qua olim clauſi. Conſonat & *Euandri* ſedes in eodem Latio, hoc eſt, hominis boni, vel hominis lati, ab εὖ ſeu ab εὐρὺς ἀνὴρ, qui idem *Romanæ conditor Arcis* à Marone canitur, nam à bonitate ſiue pietate in parentem nudum, ipſæ Sacræ Literę Iaphet commendarunt. Nec ipſum *Italiæ* aut *Aetaliæ* nomen, ab ἀετὸς ἁλὸς hoc eſt, Aquila marina deductum (vnde forſitan Aquilæ Romani Imperii inſignia fluxere) tantillum à noſtro propoſito abludit. Nam quia Iaphet maria omnia Europæ, quaſi Aquila quædam peruolarat, in iis generosè prouocans proles ad volandum, ſuiſque nauibus, atque comitatu paternò deducens, eaſque quaſi alis ſuis in totam Europam, ac Latium poſtremò importans, regioni illi ſuæ occidentali, ſiuè Heſperiæ, *Aetaliæ*, quaſi Aquilæ marinæ (quæ conuerſo modo *Halyætus* dicitur) præter nomen, inſignia dediſſe, haud temerè arbitramur. Cui accinit ex parte Virgilius Halicar. Ant.Rom. lib.1. Aen.8. Geneſ 9.

Eſt locus (Heſperiam Graij cognomine dicunt)
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ, Aen. 3.
Oenothrii coluere viri, nunc fama, Minores

Ita-

Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Hinc enata fabula de Aquila Promethei ad Caucasum iecur arrodente, qui quidem Prometheus Noe censendus est, verus *Prometheus*, hoc est, *Propheta* per excellentiam, centum annis ante diluuium illud præsagiens, tum insueti ædificij labore, tum frequenti verbo, atque concione ad populos ipsum irridentes, quasi in fabrica Arcę insaniret. Sed quia filius eius charissimus Iaphet in terrarum diuisione, æternùm ab ipso diuellendus erat, ab ipso (inquam) Caucasi montibus alligato manente (vbi eius cubile, teste Appiano in Mithridaticis, magnus olim Pompeius inuisit) hunc Promethei dolorem, curam, pro filio iter longissimum, & periculosum maris capessente, vt diuino dicto de *terra replenda* obediens esset, per Aquilam iecur exedentem Vates expresserunt, tanquam si Aquila maris Iapetus, seu Romana Aquila à Patre discedens, continuo desiderio sui, cura, atque metu, patrium animum, pectusque affecisset. Neque contemnenda quoque coniectura Argonautarum nauis residua tabula, ad Martialis Poëtæ vsque tempora, sub Domitiano, Romę conseruata, cuius in eamdem Epigramma hoc legitur

Genes.9

Epigr.lib.7

Fragmentum, quod vile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici Sæuior vnda freti,
Sæcula vicerunt, sed quamuis cesserit annis,
Sanctior est salua parua tabella rate.

Ex quo intelligimus, primorum Europæ colonorum cursum, ex Colchide per Scythicum seu Euxinum Pontum, in Latio demum substitisse, vbi extracta classis post Romam fundatam, in *Argileto* tandem computruit, & quasi letho quodam defuncta est Fatidica illa pinus, & vocalis Argo, vnde Romanum *Argiletum* sibi nomen fecit. Atque vt nos illa grauissima omnia deficiant, cùm sanè alicubi terrarum præcipuo humani generis Amplificatori, et Augusto Patri, diuino Oraculo teste, suus ac præcipuus locus debeatur, vbi potiùs eum collocemus, quam in eo terrarum tractu vacante, & à nemine possesso, qui nomen eius hebraicum (Lati) in istis vocibus *Latij*, ac *Europæ*, post tria annorum millia supra octingentos, adhuc hodie retinet? quique inter omnes Orbis regiones, atque Monarchias, maximè dilatati Imperij decus sibi peperit? His ergò adducti *Latum*, & augustum proprio nomine Iaphet, & diuinitùs etiam reapse *dilatatum*, *Latij* regionem cum *Latino* nomine, & sermone, sibi vendicare iure permittimus, eique vt vero parenti, omnes Europæos, tanquam proles damus, quos sine plagio nemo illi auferat. Nam quod ad Latinum sermonem attinet, sanè vel ex nominis notatione liquet, non alia lingua Iaphet vsum fuisse (præsertim cum hi primi homines, vti Moyses docet, iuxta *Linguas varias* terram secuerint) atque adeò primigeniam esse, & soli hebraicæ de antiquitate palmam concedere. Declarat id inscriptio Crucis Dominicę apud S. Lucam, vbi *Latinæ* Literę hebraicis proximè apponuntur, à quibus Gręcę remotiores, ab his minoribus ad illas maiores, quasi quodam gradu, & ascensu facto. Ac tametsi in suo textu Euangelico Ioannes, Gręcanicum titulum Latinò præponat, non est is censendus ordo dignitatis, verùm mysterij, eò quòd hebraica Biblia in Gręcum sermonem prius, quàm in Latinum fuere conuersa. Latinum porrò Idioma cum Græco, & alijs in confusione

Genes.9.

Genes.10.

Cap.23.

Cap.16.

fusione Babylonica exortum, vsque ad Barbarorum irruptionem in Latium, ibidem intactum, & sincerum in vsu permansit. Quod quia Patris Latinorum, ac Europæorum vernaculum erat, omnibus tùm Græcorum, tùm aliorum, vt pote filiorum ac nepotum, linguis precellebat.

3 Antiquissimum autem hunc splendorem Latini generis, nominis, atque linguæ, temporum situ, & rubigine infectum ac inobscuratum, quisquis demiratur, neque propterea ad notitiam eius, amplam & sagacem Græcorum veterum, atque Latinorum eruditionem olim peruenisse, velim animaduertat, ipsam vetustatem hebraici sermonis, & literarum sacrarum penitus rudem & ignaram, Sibyllinorum nihilominùs adminiculo librorum, Iaphetum generis Europæi post diluuij aquas instauratorem, & Latij parentem fuisse odoratam, vti hæc nomina *Iapeti*, *Iapygis*, *Ausonis*, *Oenothri*, & *Euandri* testantur; *Regis Latinorum*, *Aboriginum*, *Arcadum*, *Aruntū*, *Aruncorum*, nec non *Deucalionis*, *Latini*, *Iphiti*, seu *Iphis* Argonautarum, ac maximè *Saturni* primi Italiæ parentis, & coloni. Nam *Iapetum* Homerus Scripturæ sacræ prorsus accommodatè, apposito *dilatati* ornat, dum Ἰάπετον Εὐρυτηΐδη vocat. *Saturnus* item, quasi *satur annis* Marco Tullio interprete, ab antiquis dictus, à quo non abludit Annianus Xenophon, (quisquis demum Scriptor ille extiterit, qui *de Aequiuocis* vulgò circumfertur) *Saturni dicuntur familiarum nobilium Regum Senissimi*. Ideò forsitan ad etymon alludens, Saturnum quoque Virgilius *Senis* epitheto affecit: *Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago*. Quamobrem isto nomine ob prouectam ætatem, & quandam vitæ quasi saturitatem, *Iaphet* insignierunt, quem longæuum fuisse sacratæ Paginæ non obscurè indicant, cum fratrem eius Semum asserant ad sexcentos annos vitam produxisse, et omnibus ante diluuium hominibus natis, vsque ad miraculum ætatem protogent. Quibus consentaneè à Virgilio à Sybilla edocto, *Longæuus Iapyx*, idem Iaphet canitur, terminatione Latina, vt Hebręus, donatus. Verùm antiquorum hæc prima ignorantia fuit, quòd Etymologiam eius hebraici nominis non sunt assecuti, deinde plurimorum nominum, quæ in Sibylla legebant, significatione decepti, proque appellatiuis propria intelligentes, vnum hominem Iaphet in in plures personas malè discerpserunt, & eadem de causa, puta, Sibyllarum prauo intellectu, varias historias inter se miscuerunt, atque confuderunt, & Poëticis figmentis, atque mendacijs vera inspergentes, vti noster supra monuit apparatus, liquidos hosce Sibyllinæ veritatis fontes sæpius turbauerunt. Quod etiam in exemplo *Saturni* manifestè cernitur, nam duos Saturnos, Adam atque Iaphet, in vnum conflantes, commune hoc nomen ob longissimam suam ætatem adeptos, vni illi non solummodò falsa, sed maximè etiam diuersa affinxerunt, vt ex illo carmine Virgilij patet:

2. de Nat. Deorum.

Gen. 11.

Aen. 12.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo, Aen. 8.
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis,
Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Item ex Ouidio Fast. 1.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Cœlitibus Regnis à Ioue pulsus erat.
Inde diù genti mansit Saturnia nomen,

Dicta quoque est Latium terra latente Deo.

Nam *Saturnus Adam* maritus *Opis*, hoc est, *Euæ*, opem & adiutorium præstantis ad simile sibi generandum, qui cęlitibus regnis, & ęthereo Olympo, hoc est, Paradyso, à *Ieoua* filio (Ioue antiquorum) depulsus & eiectus fuit, & qui Χρόνος dictus, quia temporis ab ipso, et annorum mundi Chronologia incœpit, quique (vt fabulę quadamtenus quoque meminerunt) suos filios omnes misero illo vetiti pomi morsu occidit, et quasi inclusos in hoc deuorauit, is (inquam) *Saturnus*, in Eden, seu India post exilium suum è Paradyso, non autem in Latio vixit. At *Saturnus Iaphet* in eodem Latio, non quidem vt Deus, sed vt homo & parens Latinorum post diluuium regnauit, non verò ignobilis latuit, & ipsos Italos non dispersos ferarum more inter montes altos, aut iuga Apennini, vti fabulantur, verùm à se è Syria deductos, nulliusque humanitatis expertes, docilesque composuit. Huius verò Saturni effigiem cani senis forma, cum falce pro sceptro, atque alis Aquilę, erudito Symbolo antiqui pinxere, vt canities senium, et longam ętatem, falx aureum sæculum, atque belli expers regnum, ob nondum conflatos in gladium vomeres, qui hostes arceret, aut sontes puniret. Pennæ verò Aquilæ, Romanæ ditionis & Vrbis authorem signarent, quibus Aquila insigne, eumdemque χρόνον, seu *Tempus* dixere, quod ab hoc Saturno annorum post diluuium Epocha, & Chronologia in Europa cœperit. Hinc enim *Iphiti*, tãtum non Iapheti, *Olympias* orta, hinc *Aera Latina*, ab eodem εὐφὺς, siue *Lato* Patre, vt postea monstrandum. Vnde aptè Tzetsa: *Romanis est Saturnus, qui græcis est Chronus*, id est, Tempus. Huc quoque pertinet illud Columellæ: *In hoc Latio & Saturnia terra, vbi Dij cultus agrorum progeniem suam docuerunt*. Item Virgilij:

In Chiliad.

In Præfat. rer. rust.

neue ignorate Latinos
Saturni gentem.

Aen. 7.

Vt verò filios etiam deuorarit is Saturnus Latij, infra docebimus. Id autem in errorem induxit antiquos, vt Saturnum Adam Deum esse crederent, quod *Ieoua*, quem Iouem fecerunt, in Sibylla Deum esse legerant. Itaque hominem Dei Patrem ob Incarnationis Mysterium ignoratum, Deum interpretati, Adam Patrem *Ieoua*, quia is in Christo homo fieri debebat, & filius Adami, consequenter Deum esse finxerunt, & à filio Deo cælitibus regnis Deũ exterminatum. Quamobrem à Latio Saturno Iaphet, non autem ab Adam dicto Indo Saturno, nominata Saturnia tellus, doctrinam nostram de Iaphet Italiæ parente egregiè confirmat. Quæ omnia multò planiora ex dicendis erunt.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

1 Inclytus Heros Iaphet diuino alloquio, benedictione, ac Fœdere dignatus.
2 Illius in Parentem denudatum pietas, & reuerentia, quid mysticè signarit?
3 Quo pacto in posteris iuxta prophetiam fuerit dilatatus?

1 NON parum hunc nobilem Heroa, Europæ ac Latij parentem, sed et Romanæ Vrbis conditorem (vti infra monstrandum) sacræ Literæ nobis commendarunt, dum eum communiter cum Patre ac fratribus, ab ipso rerum effectore Deo, benedictum in hunc modum produnt: *Benedixit Deus Noë, & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Et rursum infra: *Vos autem crescite, & multiplicamini, & egredimini super terram, & implete eam.* Benedictioni adiectum promissum, pactum, atque fœdus, ne irati Numinis, & aduersus hominũ crimina bellantis horrẽdos exercitus, aquas diluuij, vt nuper, timerẽt: *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam interficietur omnis caro diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.* Nec non sanciti fœderis argumentum: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Quæ diuina verba Interpretibus sacris discutienda modò relinquimus. Gen. 9. Ib. Ib. Ib.

2 Verum hæc magis propria laus Iaphet ex ijsdem scripturis, quòd parentis fortuita ebrietate in lecto nudati, virilia non modò non vidit, sed reuerentiæ quodam pallio obtexit, alio modo cum Semo, quam frater Hamus siue Chamus ad eum accedens, vt ibi proditum. Quo quidem pietatis opere, Ecclesiam Christi Iudaicam, ab Apostolis Iudæis natu maioribus, Antiochiæ primò stabilitam Semus adumbrauit, Latinam verò ac Romanam Iaphet natu minor, Chamus autem in filio Chanaan impiam Synagogam. Nam quem Ecclesia Iudaica, & Romana seu Gentilis, Christum in passione & cruce nudum, & pendentem, vel etiam effigie expressum castè veneratur, reuerentiali quodam quasi velo virilia obnubens, hunc impia Synagoga Chananææ terræ inquilina atque progenies olim deridebat, & modò ridendum vbique propinat. Quorum Iudæorum cæcam impietatem Deut. 28 præuidens increpabat Moyses: *Erit vita tua*, ò Iudæe, Christus crucifixus, *quasi pendens ante te*, quia non reuera, sed in effigie solùm apud gentes, in quibus spargeris, crucifixus pendebit, *& non credes* illi *vitæ tuæ* Christo, quem ob ignominiam nuditatis, crucis, atque mortis, Messiam negabis. Verùm ad rem redeamus. Ib.

3 Pietatem hanc Semi atque Iaphet, suum diuinitus prœmium honestauit: Semi quidem merces, Christi Domini atque Dei generatio ex eius stirpe, atque imperium in nepotem Chanaan: *Benedictus Dominus Deus Sem*, qui ex Semi semine Christus orietur, *sit Chanaan seruus eius*. Iaphet autem præ cœteris fratribus dilatatio, quasi prærogatiua, his verbis promissa: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius.* Gen. 9. Ib.

Quorum veritatem probauit euentus. Nam cum Asia Semi portio Africam siue Lybiam Chami ditionem, prope duplò excedat, non solùm in Asiæ atque Africæ extrema, Lusitani cum cœteris Europæis, Patris Lati posteris atque nepotibus, superiori sæculo penetrarunt, sed à Phasidis ostio ijdem Europæi, vltra Herculis columnas, in Americam siue nouum orbem, qui tres alias mundi partes, vel vniuersas magnitudine superat, nauigijs atque colonijs sese protulere, adeò vt quantus est orbis vniuersus, ab Iaphetianis siue Europæis hodie incolatur. Ex quo rursum intelligas, in tabernaculis Asiaticis Semi Iaphetum habitasse, & inhabitare, & Chananæum siue Palæstinum non solùm Macedonibus & Græcis olim sub Alexandro, Lagidis atque Seleucidis post Alexandrum, & Romano Imperio deinceps, verùm & nunc Tauricis siue Turcis, Iaphet quoque semini (quamuis luctuoso) durissimè seruire, vt vaticinium omni sua parte constet adimpletum.

4 Sed nec mediocre encomium illud Lati seu Latini Patris, quod ei diuinos honores *Iouis* & *Herculis* Græcia tribuerit, nam Iuppiter à Græcis Ζεὺς dictus quasi Ζαφὲς seu Ζαφὲτ, emollita iod litera hebrea, et obliquis casibus Διὸς, Διὶ, Δία Deum nominarunt. Sicut & Ἡρακλῆα, hoc est, *Heroëm inclytum*, qui latinè *Hercules*, cuius nauigationis Argonauticæ metas, seù columnas in Hispanico freto statuerunt.

5 Clarum quoque eumdem *Sibylla coniuge*, quę hodie extant oracula Sibyllina nos docent, quorum libro tertio Sibylla (vulgo Erythrea) se nurum, & filiam Noë profitetur, & cum eo, diluuij tempore, in Arca mansisse, falsòque à Grecis propter originem, Erythream vocandam, cum Babylone (nimirum post ædificationem Babel interruptam) *Erythras* (hoc est, in Latium, ab εὐρὺς lato ita appellatas) demum deuenerit. Illam audiamus

Hæc sunt, quæ moneo, Assyria Babylone profecta,
In Græcos ignis missus, fanatica, cunctis
Exponens diuina Dei præsignificata,
Et tamen ex alia patria me Græcia dicet,
Ex Erythra natam, positique pudoris, at illi
Matre ferent Circe, Gnosto me Patre Sibyllam,
Insanam, falsam, sed cunctis denique factis
Tunc recoletis me, neque dixerit amplius vllus
Insanam, magam, sed vatem Numinis alti.
Cui Deus ostendit, quæcumque parentibus idem
Ante meis, & quæ fuerint, quæ suntque futura,
Omnia perdocuit, mentem veracibus implens,
Vt mortale genus, venturaque, quæque fuerunt
Pandens, admoneam, siquidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir solus probus exuperauit
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta Syluis,
Et pecudes, & aues, rursum impleretur vt orbis,
Eius ego nurus, eius item de sanguine nata,
Cui prima acciderunt, postrema ostensa fuerunt,
Hactenus ore meo vera omnia prodita sunto.

Si cuipiam autem horum voluminum authoritas minus veneranda, aliorũ authorum torrente obruetur. Etenim Marcus Cato Portius (si qua Annio fides) in suis fragmentis de originibus hæc scribit: *Inter vtrosque* (Chaldeos & Phænices) *conuenit, ante Ninum circiter annis quinquaginta & ducentis,*

terras

terras fuisse inundatas, & in Scythia Saga renatum mortale genus. Quid porrò per *Scythiam* seu Scythicam *Sagam*, nisi Iaphet vxorem, mortale genus in Europa renouãtem innuit? *Scythiam* quidem dictam, quia ex Ponto Scythico (qui aliàs Euxinus) in Græciam & Latium cum marito venerit: *Sagam* verò propterea, quod futuri *præsaga* seu Sibylla esset. Declarat hoc quoque nomen *Pyrrhæ* Deucalionis coniugis, quem Iaphetum supra esse diximus, cum enim πῦρ ignem græcè significet, & ῥέω (vnde Pyrrhæ vox) fluo, *in Græcos ignem missum*, et quasi fluentem, seu Pyrrham in prædicto carmine, se Sibylla nominat. Quæ *Pyrrha* seu *Sibylla* etiam antiquorum *Themis* est, terras suo consilio *diuidens*, à verbo τέμνω et docens modum has replendi. *Parnassia* dicta quasi dilatata, vt infra docetur. Declarat & *Medeæ* fabula, in eodem Ponto, fratris, hoc est, Iapheti (qui frater & coniux vxoris, vtpote nurus Noë, et eiusdem de sanguine genitæ) membra, hoc est, liberos dire discerpentis, aut veriùs fortiter atque generosè inuicem separantis, vt diuino præcepto de *terra replenda* pareret. nam illa Medea, quam *magam* atque veneficam, nequidquam supra conquerente Sibylla, Græci fabulantur, quasi Μαθῆτα, hoc est, diuinitus edocta, et sapiens futuri, siue Sibylla esse apertè cognoscitur, ex Colchide seu Phasidis ostio, in Græciam & Europam tendens. Declarat item *Argonautarum* nominata *classis*, quam *vocalem Argo* & *fatidicam pinum* propterea dixere, quod Sibyllam vexisset, tanquam ducem rudium & primorum nautarum, & suis oraculis illos instruentem, quanam nauigare, quos scopulos fugere, vbi quiescere, et sedem figere demum oporteret. Declarat idem ad extremum *Matris* Italorum, vel potius Matronæ Euandri seu Iaphet vocabulum nobile, propter sua carmina seu vaticinia *Carmentæ* seu *Carmentis* olim nuncupatæ. Itaque si in illis vetustatis tenebris coniecturæ locus, non aliam à Iapheti coniuge Sibyllam Hellesponticam, Erythræam, Cumanàm, Tyburtinam &c. putem, à varijs locis, quæ incoluerit aut pertransierit, variè appellatam. Verum de his aliàs etiam vberiùs. Nam hæc paucula encomia de Iaphet Romani, Latij, nec non Europæi sanguinis authore ac parente delibare placuit, vt Virgilianum illud palam magis fieret Aen. 6.

En cuius (Patris) *auspicijs illa inclyta Roma*
Imperium terris, animos æquauit Olympo.

Verùm nunc tempus est eum in Latium & Europę sedes faustè deducendi, vt mundum propaget.

CAPVT TERTIVM.

1. Aedificatio Vrbis atque Turris Babel, *Olympicus Agon* antiquorum fuit, vnde Chronologia & *Olympiades* Græcorum existunt.
2. Duarum Epocharum sedes à Scriptoribus priscis ignoratæ, *Olympiadum* atque *Vrbis Conditæ*.
3. Post impeditum Babylonis opus, Iaphetus princeps Argonauta ad *Insulas gentium* vacuas occupandas, *Argo* classem parat.
4. Argonautica à Sibylla descripta, perperam Historici veteres, & Poëtæ confundunt.

Gen. 11. 1 SVbstructionem insanam Vrbis, atque Turris Babel, cuiusculmen, & vertex, Scriptura testante, attingeret cælos, sicut beneficio Sibyllæ prophani Scriptores olim cognouerunt, ita suis fabulis, vti alia omnia ferè, deformarunt. Nam molem illam ad sydera tendentem, *Agonem*, seu pugnam Gygantum, hoc est, terræ filiorum (quod vox Gygas sonat) aduersus Superos, et Olympicam domum interpretati, in hunc modum super hoc lusere:

Meth. lib. 1

Neuè foret terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cæleste Gygantes,
Altaque congestos struxisse ad Sydera montes,
Tum Pater Omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossæ.

Quod diuinum fulmen, diuisionem linguarum à Deo immissam censere debemus, quæ fulminis modo, et celeritate, ingentes huius operis minas interrupit, per Græcanicos montes Olympum, Ossam, & Pelion poëticè expressas. nam Græci primi Poëtarum, in Topographia & Chronologia parũ religiosi, peregrinę historię facta quamplurima, Iosepho testante, ad se deriuarunt, vti hunc *Agonem*, qui quidem (teste ipsa Genesi) non Græcus, sed Babylonius fuit, ob ibi commissum (Græcia nondum habitata) à filijs Noë ædificantibus, quasi prælium, & pugnam in Olympum, aut cælum, à quo propterea post terras diuisas, & linguas adauctas, Chronologiam suam, & omnium veterum historijs tritam *Olympiadum* seriem, tametsi postmodum sæpè interruptam, Europa inchoauit. Etenim cum earum primæ, *Olympiados Herculis*, & *Iphiti* communiter vocentur: Iaphetum ab Iphito distinguat necesse est, quicumque dissentiet, & illum *Herculem*, hoc est, Heroëm gloriosum neget, nec non ab eodem extructam Babel, & fabulæ clarissimum acumen de *Agone* & pugna *in Olympum* repudiet. Quanquam Latini, tanquam si Olympici facinoris puderet, non ita multò post Olympiadum initium, temporum rationem ab *condita Roma* (vt & magis proprio & nobiliori Lati Patris opere ac labore) spreta Olympiade inire cœperunt.

Ant. Iud. l. 1. c. 6.

Cap. 11.

2 Ex quo sanè colligas, quantùm Chronologiæ ignoratione non solùm laborarint Antiqui, sed Romanæ Vrbis Natalium splendori, ac nobilitati iniurij extiterint, qui primam Olympiadem Iapheti (quam *Iphiti* vocarunt) circiter annum mundi ter millesimum, ducentesimum, & septuagesimum demũ statuerint, cum ad annum eiusdem millesimum, nongentesimum, trigesimum & diluuij fere ducentesimum, & septuagesimum retro pertineat. Quo factum, vt vrbium vrbi, Almæ Romæ, septima Olypiade, iuxta communiorem fere authorum sententiam, primùm ædificatæ, amplius mille & trecentos vetustatis annos detraxerint. Quandoquidem eius ortùm, vti infra demonstramus, sub Patre Iaphet eius conditore, haud tribus sęculis à diluuio exactis fateri oporteat. Neque adeo mirum, sapientes veteres (Latinos & Græcos) hanc vetustatis caliginem passos quippe quòd prophana Historia (si Sibyllarum libros exceperis, qui ad Augustum, & quosdam alios sequentes Cæsares, Romæ incolumes fuere seruati) non à diluuio tantùm, sed ab orbe condito, ad vsque spurias illas Olympiadum & vrbis Conditæ sedes, atque etiam multò post, ad Cyrum Medorum ac Persarum Regem (quod est interuallum ter mille annorum atque quingentorum) nullam rei gestæ aut temporum seriem, aut certos annales, nihilque fere preter eruditas Poëtarum fabulas (quas Sibyllarum perturbata folia licet nominare) ad posteros transmittat. Nam

quæ

quæ de cœli, & terrarum ortu, de aurea ætate, de pomo Paridis (Adæ Paradysei) seu pyxide Pandoræ, Saturni exilio, mundi diluuio, Gygantum certamine, Argonautis, Heraclidis, Pelopidis, bello Troiano, Nino, Semiramide, Assyrijs, & Medis effundit, quanquam veram rei alicuius gestæ, aut gerendæ historiam contineant, omnia tamen aut crassis errorum tenebris aut certè fabulis inuoluta apparent, quæ defectu luminis historiæ Sacræ, euoluere atque explicare minimè prisci valuerunt. Vidit hoc ex parte Romanorum Scriptorum doctissimus *Varro*, qui apud Censorinum de die Natali c. 21. *tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio vsque ad cataclysmum priorem* (Noë diluuium) *quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον, id est, non manifestum, ab α priuatiuo & δηλόω græcè manifesto. *Secundum à cataclysmo priore, ad Olympiadem primam* (addere debuit ad Imperium Cyri Persarum Monarchæ, qui Christi natalem vix paullò ampliùs, quàm quingentis annis antecessit) *quòd, quia in eo multa fabulosa referuntur,* Μύθικον (fabulosũ à μῦθος fabula) *nominatur. Tertium à prima Olympiade* (adde iterum, ab Imperio Cyri) *ad nos* (seu Varronis tempus) *quod dicitur historicum, quia res in eo gestæ veris historijs continentur.*

3 Quod igitur felix, faustumque sit, Herculis, Iphiti, siue Iapheti Olympiade prima, quæ ab Olympica pugna, seu agone in cælum terminato incipit (quem quidem agonem, Olympiadas omnes præcessisse historici fatentur) id est, anno diluuij ducentesimo circiter, & septuagesimo, post confusum labium vniuersę terræ ad Babelis molem, vt Scriptura tradit, fratribus Semo atque Chamo in diuersa Asiæ & Africæ loca profecturis, ad iter *in Insulas gentium* Europæas, in diuisione terrarum diuinitus sibi assignatas, Iaphet classem adornat. Quæ quia paternæ Arcæ formam referebat, quondam diluuij superatis aquis summè nobilitatæ, idem nomen inde Europæis placuit, vnde *Arco* siue *Argo* vocata, et vectores eius *Argonautæ*, quasi Arconautæ (nam literæ κ atque γ sunt æquipollentes) quæ nomina fabulę etiam hodie retinent. Atque illa est prima Europæ nauis, dicta *Argonautarum*, siue *Heraclidarum*, hoc est, Herculis (Iaphet) filiorum, omnium Poëtarum mendacio celebris, quæ à Colchide, & Phasidis ostio, atque portu soluens, per Pontum Euxinum, in Tauricam, Thraciam, Græciam, Hispaniam, & postremò Latium primos nautas vexit, sui cursus metis, & quasi columnis in Hispanico freto constitutis, eo quod non vltra hoc fretum, in Oceanum magnum traiecerint, verùm in Italiam cum Hercule suo Heraclidæ illi inde redierint. Robur fabulosæ historię addunt Diuinæ Scripturæ, quæ enumeratis quatuordecim prolibus, & nepotibus Iaphet, *ab his*, inquiunt, *diuisæ sunt Insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* Doceant ergo oportet, qui pertinaciùs assensum negabunt, qua ratione adiri aut diuidi Insulæ gentium potuerint, absq; illa nauigii ope, nisi fortè illi primi homines ad eas volarint, aut super altos maris fluctus prodigio equitarint. fauet autem nostris Argonautis Fl. Iosephus, qui libro primo antiquitatum, de Noë filiis diuidentibus terram, *Nec defuerunt* (inquit) *qui conscensis nauibus ad Insulas habitandas traijcerent.* Fauent quoque, prçter alia plurima dicta, & dicenda, *Phasidi* nomina, vnde illi soluerunt, et *Ponti Euxini*, atque *Hellespoti*. nam *Phasis* à Phase hebraico transitus appellatur, vnde & *phaselus*, quod Iaphetianis primum in Europam transitum Colchiacum illud flumen præbuerit. Et mare Euxinum *Pontus* nominatum, sicut græcum *Hellespontus*, quòd Gen. 10.

hæc

hæc duo maria quasi *pontes* fuerint primorum *bonorum hospitum* siue colonorum, quibus in Græciæ & Europæ fines immigrarunt. Εὔξεινος enim vnde Pontus Euxinus *bonum hospitem* sonat, sicut Ἑλλὴν *græcum*, à quo Hellas Grecia, atque Hellespontus. fauet porrò insuper in extremo Ponto sita ciuitas *Tomos*, atque inde nominata *Tomitana regio*, Nasonis postmodum exilio nobilis, ἀπὸ τοῦ τέμνειν seu à *diuidendo* ita nuncupata, vt primarum Europæ gentium diuisio maxima, quæ in illa facta, his nominibus celebris ad posteros manaret. fauent præterea doctæ illæ fabulæ de vellere aureo, de Medea liberos atque fratris membra in eodem Ponto discerpente, necnon de Europa à Tauro per mare deuecta, de quibus omnibus infra vberiùs. fauent ad extremum *Arco* siue *Argo* classis, & *Argonautarum* vocabula propria, à nonnullis historicis studiosè collecta, quorum quidem plurima huius nauigationis principem Iaphetum, suæ appellationis, quasi digito ostendunt. quantulum enim *Iphys*, vel *Iphitus*, *Iphyclus*, atque *Iphydamas* ab Iapheto distant? quid verò *Euryalus*, *Eurybates*, *Eurydamas*, *Eurytus* nisi Patrem *Latum* & Latinum, per grecum Εὐρὺς, nobis insinuant? quid etiam *Hercules*, nisi idem *Heros Magnus* ad suas columnas Hispanicas tendens? Iam verò *Deucalion* idem vocitatus à *Deua* & *Cala*, id est, dilatatus & *Actor*, *Actorides*, quia dux Europeorũ, ab voce ἄγω quod est, duco. sicut & *Areices* Arcadius ab *Aron* hebraicè Arca. Item *Armenius*, quia in Armenia quondam Noë Patris Arca substiterat. Item *Latinus* atque *Aethalides* ab Italia & Latio, in quod sua classe cum filijs delatus. *Augeas* item, tanquam augens & dilatans terram ab αὐξέω & γεά. Et *Autes*, quasi *Auxites*, etiam ab augendo, quia dilatatus. *Palæmon*, & *Typhis*, id est, dilatatus, vti infra monstrandum, & cætera plurima, quæ prudens omitto, ne nauseam afferant. Nam nomina *Iasonis*, *Thesei*, *Castoris*, *Pollucis*, *Cephei*, cum alijs plurimis, non ad hos primos Argonautas esse referenda, infra docebimus. Maneat ergo primum orbis nostri nautam atque Argonautam, à diluuio terrarum, Iaphetum extitisse, eumdem Europæ, ac potissimè Latij & Romę parentem, cuius consilium de mari classę primùm lacessendo, temere in fabulis Poëtę damnarunt. eò quòd illum nec leuitas, nec glorię, aut vllius rei vana cupiditas, sed diuino iusso obtemperandi pia necessitas egerit, hominem quidem minimè aliàs timidum, vtpote qui in mari magno, & horrendo terræ vndique inundatæ oceano, quo tempore *Omnia Pontus erant, deerant quoque littora ponto*, cum sęuioribus vndis & procellis totum annum colluctatus esset. Quòd enim non pro libidine aut suo arbitratu, tres filij Noë incolendas primùm terras elegerint, sat indicat Genesis, dum eos diuinitus à Babylone dispersos asserit. *Diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessarunt ædificare*. Apage ergo Poëtarum de nostro Iaphet insanas querelas:

Met. 1. [margin, beside "quoque littora ponto"]

Gen. 11. [margin, beside "Babylone dispersos"]

Sen. in Med.

> *Audax nimium, qui freta primus, Rate tam fragili perfida rupit,*
> *Terrasque suas post terga videns, Animam leuibus credidit auris,*
> *Dubioque secans æquora cursu, Potuit tenui fidere ligno,*
> *Inter vitæ mortisque vias, Nimium gracili limite ducto.*

Valeat quoque Horatianum illud:

Car. l. 1.

> *Illi robur & æs triplex, Circa pectus erat, qui fragilem truci*
> *Commisit pelago ratem Primus, nec timuit præcipitem Africum.*

Et quod infra sequitur

> *Quem mortis timuit gradum, Qui siccis oculis monstra natantia,*

Qui

Qui vidit mare turgidum, & Infames scopulos Acroceraunia?
Nequidquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili
Terras: si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax Iapeti genus, Ignem fraude mala gentibus intulit.

Audin vt Iapheti liberos Argonautis Poëta annumeret? Verùm illud Propertij aliquantò durius:

Ah pereat, quicumque rates & vela parauit Primus, & inuito gurgite fecit iter. Quanto aptiùs ac sapientiùs Romanæ facundiæ parens M. Tullius primam illam classem *diuinum & nouum vehiculum Argonautarum* vocat, de cuius materia vt aliquid dicamus, immortalibus cedris, quibus Syria abundat, structam arbitramur, quando eius tabula ac residuum fragmentum, post duo annorum millia & amplius, sub Domitiano Romæ adhuc extaret. De nat. Deo.

4 Sed in hoc plurimum hallucinati omnes ferè Poëtę veteres atque Historici, quòd duplices Argonautas temporibus inter se atque factis maximè discrepantes minùs distinxerint. Siquidem primi Arconautæ, liberi Iaphet et nepotes ab ora Colchidis (quæ à Semi filio *Hul* seu *Chul*, vt est in Genesi, nomē deriuauit) ideo vellus aureum asportasse ferūtur, quod ex Asiatico illo portu primum arietem in Europam vexerint, qui ab Aron Arca, in qua conseruatus, nominis originem sumpsisse videtur. Nam noxias & syluestres feras a sese abire, & in orbe terrarum vagari iampridem siuerant, solis cicuribus sacrificio, vestimento, pabulo, vel alteri cuilibet seruitio aptis, aut necessarijs animalibus apud se retentis, ne aliorum agrestiū iniurijs manumissa interirēt. Et quoniam auri, & argenti seu pecuniæ loco, rebus permutandis, ouis cum vellere maximè seruiebat, paucis initio effossis metallis (nam à pecudibus primum pecunia nomen mutuata) ideo à poëtis *aurea* appellata est, & fabulę de *aurea lana* in Græciam à Colchis delata, occasio extitit. Quæ asportatio nauigio facta, nec sine Sibyllæ consilio & ope, vtpote in ignoto mari, alteri fabulæ quoque locum dedit de Medea, quam Sibyllam diximus, *fratris Absyrthi*, hoc est, abstracti ex Asia, membra in Euxino Ponto dispergente, tanquam si parentem Noë insequentem ijs colligendis foret remorata. Noë quippe dolorem ob auulsum à se cum liberis Iaphet, atque nepotibus, istis apologis & allegorijs veteres adumbrarunt, quemadmodum & fabula Aquilæ cum vulture Promethei iecur depascentis, illa Iaphetum Aquilā maris, seu Æthalum, materiam paterni, ob perpetuam absentiam, luctus designante, hoc Tyrannum Nemroth, vulturis more in nascente Asiano populo, cuncta rapientem. Sed & Iapheti luctum à Patre olim discedentis, per *mare, Saturni lachrymam* quoque expressere, quod illum mœrentem, atque lachrymantem à caro parente mare abstraxerit, qui in Asia moratus, vt ibi viueret, atque moreretur, vbi Deus olim Incarnandus viuere ac mori deberet. Atque hi quidem primi Arconautæ, tempore à Diluuio nominato supra, extitere. Alteri autem post Christum natum, passum, & mortuum, Apostoli fuere, quorum princeps *Iason* (is est *Iesus* seruator, multis retro sæculis ante eius ortum proprio etiam nomine, ob vaticinium de eo Sibyllæ, ab antiquis expressus) ouē suam auream atque pretiosam, id est, Christianum fidelem & electum, ministerio eorumdem suorum Apostolorum & nauigatione, ex Palæstina Asiæ Prouincia, in Græciam, Italiam, aliasque Europæ regiones transtulit, Patre Medeæ Iudæo ea spoliato. Tametsi Μήδειαν, hoc est, Sapientiam Æternam, in maioribus suis ille quasi genuisset, Iasonis seu Iesu amoribus atque coniugio (ob Incarnationem) claram ac nobilem. Ad hunc itaque Iasonem seu Iesum secun-

Gen. 10.

cundum Argonautam ſpectant (vti liquet) in Aſia exantlati labores (pro qua Colchidem poëtæ ſubſtituunt, duplicem Argonautam malè confundentes) ob vellus aureum inde auferendum. Nam arbor, cui affixum illud tanquam quid captiuum, & ad quod liberandum ille Iaſon acceſſit, crucem eius denotat. velleris autem horrendi cuſtodes, Draco peruigil, & Tauri ærei ignem naribus eflantes, Dæmonem ſemper vigilantem, & carnem aduerſus homines fortem & velut taurinam, ac concupiſcentiæ flammas illis inſpirantem, Militum autem ferrea ſeges è Draconis dentibus, quaſi ſemine, enata, tertium hoſtem animę mundum, aduerſus electorum ſpiritum ſemper militantem natiuè depingit, qui quaſi ex ſemine ſerpentis ſeu dentibus ortus effingitur, quia ex parentibus ſerpentis dente in Adamo commorſis, omnis homo mũdi incola gignitur. Quibus tribus hoſtibus, in Martio Caluariæ campo, Medeæ Sapientiæ Æternæ ope ſuperatis, aureo vellere Iaſon potitus, illud ex Aſia in Europam tranſuexit, Eccleſia Iudæa in Latinam, Romanam ſeu Gentilem, per Apoſtolos eius initiò translata. Ad hanc autem ſecundam Medeam, Chriſti Iaſonis coniugem, non primam, vxorem Iapheti Sibyllam, prodigia illa à poëtis memorata ſpectant, Æſonis ſenis interempti, & membratim ſecti, in balneo renouata, ætas & iuuentus, quæ eſt, Aſiani Iudæi, qui Iaſonem ſiue Ieſum genuit, ſpiritaliter mortui, & in varijs terræ regionibus ſparſi ac diuiſi, in fine mundi cõuerſio ad fidem, & per ſalutare baptiſmi balneum ac lauacrum, admiranda regeneratio futura, Nec non vetus aries cæſus, in agnum viuentẽ miraculo conuerſus, qui ſacrificia Iudaica notabat mortua & cruenta, in ſacrificium Chriſtianum olim commutanda, vbi Agnus viuens, qui tolleret peccatum mundi, incruento modo Chriſtus immolaretur. Ad hos quoque poſtremos Argonautas pertinent, præter nomina *Iaſonis* & *Theſei*, quæ auguſtũ Ieſu vocabulum ſonant, *Peneus*, id eſt, Spiritus Sanctu s, à verbo Πνέω, quod latinè, ſpiro, & *Paraclymenus* idem Paracletus, & *Cepheus*, qui Cephas, ſeu Petrus, Arcæ ſiue (Argo) nauis Eccleſiæ ſummus gubernator, & *Pollux* Paulus, & *Caſtor* nauigationis Pauli ſeu Pollucis ſemper ſocius *Lucas*, qui græcè *Lucaſtor*. & per ſyncopen *Caſtor*. Qui quidem *Iaſon* & *Theſeus* & *Peneus* & *Paraclymenus* cum *Cepheo*, *Polluce*, cæteriſque Argonautis illis, in eadem naui componuntur, quod Eccleſiæ Arcam ſiue Argo, inuiſibili & diuina ſua præſentia, virtute, & gratia, præcipuè iuuerint. Quod verò *Neſtorem* conſilio, prudentia, & ætate grauem, etiam Argonautam finxerunt poëtæ, id ob Noë factum, vnde nomen Neſtoris, tanquam Noeſtoris, qui in Arca, ſiue prima Argo à ſe fabricata per annum clauſus eſt, quique etiam filijs ſuis Europęis, plurimo in claſſe paranda conſilio adfuit, & ad tria ſęcula (vti Neſtorem ferũt) poſt diluuium vixit, vnde Neſtorei anni Noë Patriarchę (qui nõgenti & quinquaginta fuere, vt eſt in Geneſi) in prouerbium vulgò tritum abiere. Ad Apoſtolos denique Argonautas, hoc ſimile monſtri commentum quoque referendum, quod myſticę prophetię ignarus M. Cato Portius in ſuis fragmentis de originibus, cum ſtomacho irridet: duos Iaſonis ſocios nauim Argo ſuis humeris ſublatam, ab Iſtri fontibus per altiſſimos montes, & longiſſimos terrarum tractus, in Adriaticum mare deportaſſe. Quod quidem Apoſtolos Petrum & Paulum ſignabat, Iaſonis Chriſti ſeu Ieſu ſocios, qui non ſolùm ab Iſtro ſiue Danubio, verùm à Syria vulgò Palęſtinę, Eccleſiæ nauim ſuis humeris impoſitam, in Adriam ſiue Italiam inferre debebant. Nam de Euangelio *ab Hieroſolymis vſque in Illyricum*, quod Adriatico alluitur mari, ſua opera

Cap. 9. [margin, beside "quaginta fuere, vt eſt in Geneſi"]

Cap. 15. [margin, beside "Hieroſolymis vſque in Illyricum"]

per-

lato, in Epistola sua ad Romanos Paulus gloriatur. Neque hìc omittendum, veteres Historicos & Poëtas, primorum Argonautarum nauigationis fines ac terminos ex Sibylla malè assecutos, cùm Phasiacos limites, & Aëtæos inter se confuderint, vti ex illo Propertij cernitur:

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas,
Phasidos ad fluctus, & fines Aetæos.

Nam *Aeta* siue *Aetalia*, ad quam contenderunt, terminus statuendus, *Phasis* verò, non autem Græcia nondum habitata, limes illis fuit, à quo inchoarunt. Id autem erroris causa veteribus fuit, vt eorum ex Græcia in Colchidem cursum auspicarentur, quod Argonautas *Argiuos*, & *Argiuæ robora pubis* à Sibylla vocatos, Græcos putauerint, cùm tamen ab Argo naui, non Græciæ Prouincia, aut Vrbe nomen sortirentur. Similiter *Æætam*, & *Aesonem* perperam distinxerunt, hunc Iasonis, illum Medeæ Patrem arbitrati, cùm vterque vtriusque geminus parens fuerit, Aeson quidem Asianus, nimirum Iudæus, Aeætes verò Italus seu Romanus, quorum ille Iasonem Iesum cum Medea Sapientia Aeterna visibiliter olim genuerit, hic inuisibiliter in Eucharistia adhuc hodiè procreet. *Duplicis* porrò *Argonautæ* Sibyllam olim meminisse, quarta Ecloga tota Sibyllina Virgilius testatur. In qua Christi natalem à Cumana prædictum, occasione Genethliaci pro filio Asinij, in hunc modum præcinit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, & toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina.

De quo eodem puero, qui non ita multò post, sub Imperio Augusti, è cœlo demissus, illa quoque vates Virgilius ex Sibylla prædicit:

Ille Deum vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos Heroas, et ipse videbitur illis.
Qui etiam dicitur
Chara Deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Quin alios post eum Argonautas fore vaticinans: *Alter erit* (inquit) *tum Typhis, & altera quæ vehat Argo Delectos Heroas*. *Alter Typhis* Petrus siue Cephas, *Argo altera* Ecclesiæ Arca, siue Nauis, cuius vectores Semidei *Heroes* Apostoli à Christo *delecti*, qui vti primi Argonautæ ex Asia nauigio profecti, in Latio quoque cursum terminarunt. Verùm ad alteram siue primam Argo, mox vela facturam, deinceps reuertamur.



CAPVT QVARTVM.

1 Iuxta tres filios Noe mundum ab antiquis trifariam diuisum, & quinam Europæ propriè dictę limites ?

2 Iapheti proles ac nepotes quot, & quam ob causam Scriptura enumeret ?

3 In *Taurica*, vnde *Turcæ* genus, seu *Cimmerio Bosphoro* idem Princeps Argonauta filium *Gomerum*, & nepotes *Ryphat* & *Thogorma* collocat, vnde Cimmerij, Ryphæi, & Germani siue Thogormani.

4 Inachus dolens ob filiam in bouem conuersam, Iaphet esse monstratur, et nonnulla de *Tauricis* seu *Turcis*.

5 Exinde in Bosphoro Thracio *Thyras* statuitur, à quo Thraces orti.

1 ORBEM hunc vniuersum Herodotus, Ptolomæus, & veteres alij iuxta primas trium filiorum Noë colonias (de quibus Scriptura: *Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de Arca, Sem, Cham, & Iaphet, & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram*) tripertitò quoque in Asiam, Lybiam, & Europam rectè diuisere. Vnde illa Ouidij in fastis Apostrophe ad Europam: *Parsque tuum terræ tertia nomen habet*. Asiæ Semi portioni (quæ ab *Aus* seu *Vs* filio Aram, & nepote Semi, *Asis*, aliàs *Ausis*, vel *Ausitis* quondam patria Iob, agnominata est) orientalis mundi plaga obtigit. Europæ verò colonię Iaphet oppositum latus occidentis, orbis meridie cùm Palæstina siue terra Chanaan Lybię assignato, quæ à filio Mesraim *Laabim* et nepote Chami primùm nomine sumpto, Africa postmodum etiam appellata. Aegyptus enim pars Lybiæ *terra Cham* in Sacris Paginis passim vocitatur, vnde meridiem & Lybiam sibi vendicasse progeniem eius rectè colligimus. Porrò America (quam quartam orbis partem perperam quidam hodierni Cosmographi faciunt, quando ad Europæos iuxta Scripturam summè dilatandos, eiusdem incolas & colonos spectet) propterea antiquis ignota, quod inhabitata, vt demonstrabitur. At hìc obseruandum (quod multos Scripturæ Sacræ Interpretes latuit) Europam non ijs, quibus nunc, terminis olim circumscriptam, vt Herodotus, Plato, Aristoteles, alijque eorumdem asseclæ nobis tradiderunt. Hi enim ad Scripturas Sacras accommodatiùs, eamdem laxando atque dilatando, Phasidem fluuium, non autem Tanaim versus Solis ortum; & in Africa Nilum ei limites fecere, vt totam Minorem Asiam, Vulgò Natoliam, Pontum Euxinum, cum adiacentibus ad Boream plagis, & mediterraneum mare amplectatur, eiusque longitudine tota ab Africa recedat, iuxta illud Poëtæ vetus apud Ciceronem: *Europam Lybiamque rapax vbi diuidit vnda*. necnon Horatij: *Qua medius liquor secernit Europen ab Afro, qua tumidus rigat arua Nilus*. Et verò si consentaneum id Europam dici, quidquid Europæi nominis ac sanguinis Parens Iaphetus vel per se, vel per suos liberos aut nepotes, primus occupauit: *Horum* (Iaphetiorum) *Sedes* (inquit Iosephus) *à Tauro, & Amano montibus incipientes, pertinebantin Asia ad amnem vsque Tanaim, in Euro-*

Genes. 9.
Genes. 10.
Ibid.
Ant. lib. 1.

Europa vsque Gades. Vbi de Europa recentiorum more eloquitur. Adde quod plurima, vti Ponti Euxini, vel Asiæ minoris loca etiam hodie, eius liberorum, aut nepotum proprijs vocabulis gaudeant, vt ex Iosepho colligere licet, quod quidem monitum præmittere placuit, vt Iaphetiorum Sedes certiùs apparerent. Ant.l.1.c.6

2 Quod antequam adhuc planius fiat, lubet ex Scripturis, primorum Iaphet posterorum seriem adducere, quæ filios ei septem attribuunt: *Gomerum, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mosoch, & Thyras*. Gomero autem ternam sobolem donant: *Ascenes, Ryphat, & Thogorma*. Quibus, si Iauanis liberos adiunxeris, *Elisam, Tharsim, Cettim, & Dodanim*, cùm Patre Latino viri quindecim existent, à quibus (Scriptura teste) *diuisæ* sint *Insulægentium* Europæarum *in regionibus suis*. Ac tametsi progenie ampliori, quam Scriptura memoret, fateamur auctas illas proles Iaphet (quis enim affirmare audeat, ex septem liberis duos solùm fœcundos, principio orbis propagandi? eosdemque duos per septuaginta annos supra ducentos, quando in colonias initio discessum, ternos dumtaxat, aut quaternos mares, ex feracissimis, vt tunc oportuit, vxoribus creasse?) ij nihilominus, vti cæterorum duces, ac familiarum principes soli recensentur, & quòd ab his fontibus, primarum omnium tum linguarum, tum habitationum varietas in Europam fluxerit. Sed ordinem, & modum deinceps exequamur. Gen.6.

3 Instructa ergo, parataque classe (qua temporis mora quisnam definiat?) in Pontum Euxinum per Phasidis ostia, numerosa Iaphet familia ingreditur, primamque Europæ coloniam celebres Argonautæ in Taurica Chersonneso locant. Quò quoniam tauri Europæi, bouesque primùm importati, *Tauricæ Chersonnesi* (quod est Peninsulæ vocabulum à νῆσος & χερσὸς, velut insula terrestris, seu terræ aliquid habens insulæ formam abrumpentis) vel *Cimmerij Bosphori*, quasi *Gomeri* nomen obtinuit. Nam vti à tauris Taurica, sic à bobus Bosphorus Peninsula appellata, vti *Bosphorus Thracius* eadem de causa Europæ colonia altera ad oram eiusdem maris, occidentem versus. Fidem porrò historiæ præter cætera adstruunt eruditę poëtarum fabulæ, quarum allegorijs Sibyllina oracula inclusa pellucent. Nam *Aglaum* numerant inter Argonautas ab *Aeglath*, quod bos est hebræis, ita nuncupatum, quia in Bosphoros illos nauigarint. Ζεὺς deinde (quæ vox non Iuppiter, sed potius Iaphet, & molliùs Zaphet latinè reddenda) in Taurum mutatus, Europam Tyrij Regis filiam, vti fabulantur, per mare deuexit. Vnde illi poëtarum aliàs non inepti lusus, si non pro Iapheto Patre in Sibylla lecto, vox cognata græcè, et latinè (Iuppiter) eis illusisset. Nam sic Ouidius in Metamorphosi:

Illusam designat imagine Tauri
Europam, verum taurum, freta vera putares,
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assilientis aquæ, timidasque recondere plantas.

Et idem in Fastis

Præbuit vt Taurus Tyriæ sua terga puellæ
Iuppiter, & falsa cornua fronte tulit.
Illa iubam dextra, leua retinebat amictus,
Et timor ipse noui causa decoris erat.
Aura sinus implet, flauos mouet aura capillos,

Sidoni sic fueras aspicienda Ioui.
Sæpè puellares subduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactus assilientis aquæ.
Sæpè Deus prudens tergum demisit in vndas,
Hæreat vt collo fortior illa suo.
Littoribus tactis, stabat sine cornibus vllis
Iuppiter, inque Deum de boue versus erat.
Taurus init cælum, te Sidoni Iuppiter implet,
Parsque tuum terræ tertia nomen habet.

Iuppiter ζαὺς, hoc est, Zaphet impleuit Europam semine suo, filijs atque nepotibus. Cur autem Taurus cælum inierit, mox quoque dicemus. Ouidio Horatium addamus.

Sic et Europe niueum doloso
Credidit Tauro latus, et scatentem
Belluis Pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.

Iam verò quid ζαὺς seu Zaphetus in Taurum mutatus sibi vult, nisi Iaphet in Tauricam translatum, mutatione pro translatione ad allegoriam fabula abutente? Quid Europa puella Tauri tergum scandens, nisi primi Europæi Tauricum littus conscendentes? Quid Taurus Europam in mare deuehens, nisi quod eadem Tauris regio occasio fuerit, cur Europæa gens Euxinum Pontum ingressa sit, & per eam peninsulam in Hellesponticum, Ionium, Creticum, Tyrrhenum atque Gaditanum mare transuecta sit? Quę quidem Europa congruè quoque *Agenoris* Tyri, hoc est, Syrię Regis (specie pro genere vsurpata) *filia* nominatur, quia genita ex Noë per Iaphet, vero Agenore, hoc est, mortalium omnium post diluuium communi parentes (ab α collectiuo, & γεννάω gigno) eodemque Syrię Mesopotamię Principe ac Rectore, quamdiù id quidem per Nemroth ex Chamo nepotis tyrannidem licuit. Huc quoque facit poëticum commentum Ius Inachi filiæ in bouem conuersæ, quod Inachus seu υἱὸς Νωαχ, Noæ filius Iaphet, progeniem suam & filiam viderit in Bosphorum translatam, de cuius propterea luctu, mox infra dicendum. Adeo doctæ fabulæ, fidi historiæ & antiquitatis etiam hodie testes! Igitur sito in littore Bosphori Cimmerij *Gomer* (vti nomen indicat) orientale latùs extra Chersonnesum, versus Tanaim et Ryphæos montes, & Mæotidas paludes, *Ryphato* filio eius assignarunt, regione occidentis *Thogormæ* relicta, vnde posteros suos per Hyrcanam, siue Hercyniam Syluam latissimè funderet. A *Gomer* verò siue *Comer*, (nam literæ G & C, Plutarcho & ipso vsu teste, cognatæ sunt) *Comari*, siue *Cimmerij* populi, & per Syncopam *Cimri*, & corruptè *Cimbri*, vt idem Plutarchus *in Mario* est author, qui in Angliam & Daniam post aliquot sæcula demum irrumpentes, Gallia inde diuexata, tandem à Marij exercitu cæsi & profligati sunt. *Comerum* item *Gallum* Iapheti filium, Scripturæ Sacræ conformiter, prophana Historia facit. [In quæst. Rom.] De Cimmeriorum autem aduersus Scythas, Ionas, cæterosque populos in Asia minori, bellis atque gestis, Herodoti Historias consulat, qui volet. Cæterum inde liquet, non temere à priscis Scriptoribus traditum, Europam à Cimmerijs priùs, quam à Græcis initiò habitatam. Iam verò à *Ryphat Ryphæi* exorti sunt, dicti item *Ruteni*, quasi *Ruphateni*, & molliùs *Russi*, qui nunc Moschouitæ, ab hoc quoque Ryphat *Ryphæi montes*, qui maiorem Asiam ab Europa

ropa diuidunt, de quibus Maro Virgilius: *Aruaque Ryphæis numquam viduata pruinis*. Et quoniam ea gens rapto viuere, & ex Europa ingentes prædas abigere assuerat, hinc enata fabula, *Gryphes in Ryphæis montibus aurum custodire*, non quòd frigidam illam regionem, & Arctico vicinam, tanquam auriferam antiquitas vmquam prædicarit. *Thogorma* autem populi *Thogormani* per syncopam *Gormani*, ac notiùs *Germani*, vnde *Germania*, Pater agnoscendus, qui etiam *Teutho* dictus, & *Celta*, & *Ascbenets* siue *Ascanius*, atque *Galemanus* & prima litera dempta vulgò *Alemannus*, qui quidē cum Teutone primus Germaniæ colonus habendus est, vt infra monstrandum, nam cæteri, vt aduenæ eò irruperunt, vti Thogormani, seu Germani, Celtæ, Ascenets, siue Ascanij. Atque ij quidem singulares populi ex singulis Iaphet liberis, & nepotibus fuere. Geog. 4.

4 At Turcarum gentem ab ijsdem Tauricis communiter prodire, *Turci*, quasi *Taurici* nominis notatio docet, sed præter cætera, fabulæ Sibyllinis oraculis plenæ persuadent. Hinc enim *Inachi*, hoc est, filij Noæ Iaphet (ἀπὸ τοῦ Νοαχοῦ) fabulosæ lachrymæ, atque luctus, ob filiam Io in bouem mutatam, siue ob posteros Tauricos, in cornutos seu lunatos Turcas ex Christianis olim conuertendos. Nam signa Turcica quis Lunæ nascentis cornua esse nescit? Quæ quoniam tauri cornua imitantur, eum etiam iccirco cælo donauere, vbi Luna fulget, & apud Tauricos *Lunæ & Alaunos montes* à (σελυνη) Luna posuere, vnde quoque *Alani*, & *Hunni*, & *Hungari*, à σελύνη & κέρας & *Sultani* dicti, quasi Selynitani, Latinè Lunati, sicut & à Gothis & à Mysis aliquando subactis, Hothomanni, atque Musulmanni, idest, *Homines Gothi, atque Mysi*, fæda modo Turcarum colluuies vocatur. Porrò Ius in bouem, seu taurum mutatæ, & lunata, ob gemina eiusdem cornua, insignia gerentis, custodem Argum centum oculis præditum ideo excogitarunt, quod Mahumetem ex Sibylla acceperant, infandæ Tauricæ, vel Turcicæ sectæ authorem, & per Alchoranum custodem futurum, eiusque sepulchrum lampadibus innumeris olim collustrandum, quas centum lumina Argi præsagiebant. Quem quidem postmodum à Mercurio cæsum & extinctum ferunt, eò quòd eiusdem superstitio, & cultus à Mariæ filio (Mercurius enim Μαρίας κύριον, Mariæ filium, siue vterinum, Christum significat, vti demonstrandum) tandem obruendus, ac dissipandus sit. Cui rursus vaticinio illud quammaximè accomodatum apparet, quod Io filia, & posteritas Iaphet (vti fabularum nos occulta docent) postquam et Aegyptum, et maximam orbis Christiani partem fuerit peruagata, deposita ad extremum Luna seu cornibus, pristinam Christiani hominis formam recuperabit, quod & muri Hiericho (Lunæ, seu Lunati Imperij robur, atque vires) spontaneo lapsu corruentes, arcano quodam mysterio firmarunt. Ac Sibyllæ effata, atque oracula communi etiam prouerbio expressa idem admonere videtur: *non mouendā hanc Camarinam*, hoc est, Gomerinæ gentis fœtidam, ac graueolentem superstitionem nulla vi, et nullis armis exhauriendam videri, sed spontè, & sua mole, vt muros Hiericho, tandem occasuram Iam verò *Cimmeriæ tenebræ* veterum etiam adagio tritæ, quid nisi eamdem Gomericam sectam Christianæ luci inimicam fore præcinebant? Accedit, quod Tauricorum in fabulosis priscorum historijs decantata feritas, inhospitales Turcas adumbraret, qui quidem *Dianæ Tauricæ*, hoc est, suæ Turcicæ Lunæ bello captos homines, hospitesque immolant, dum eos diræ seruituti, vel etiam neci quotidie deuouent. Quid, quòd ad vehendam

dam Lunam, vt Eustathius testis, antiqui quoque Tauros coniugarunt? nonne quod Tauricos, seu Turcos insignia Lunæ per orbem Europæum, Africanum, & Asiaticum longè, latèque prolaturos quondam ex Sibylla hauserat? Cæterum ab iisdem Tauricis mons Asiæ *Taurus* nomen adinuenit, aut primorum Tauricorum limes, aut coloniç forsitan olim incrementum, ab his, & *Taurisci*, et forsitan *Turingi* Germaniæ populi cum cæteris quamplurimis manant. Bellacem verò, atque fortem hanc primam Europæ gentem, quam posteritas Mahometismo corrupta, sola dehonestat, fateri oportet, cum Regem Ponti (quæ regio ad eosdem pertinet) primo, quod Scriptura memorat, post diluuium bello, contra sodomitas, arma socia iunxerit, duobus circiter sæculis, quàm nostri Argonautæ Europæas insulas primùm insiderent. Qui quidem (vt ad eos modò reuertamur) quamprimum in terram egressi (quam optatiorem iam primùm tentati maris pericula, ac nausea reddebant) fossas impigre ducere, prima oppida struere, aggeribus, ac muris vallare, non hostibus adhuc, quæ orbem vacuum, & tellurem brutam nondum infestabant, verum iniurijs ferarum arcendis non modò opportuna opera, sed necessaria, vtpotè quæ aliquot sæculis à diluuio elapsis, iam immensùm auctæ, atque propagatæ, sui aucupio, ac *venatione Nemroth* hoc tempore celebrem efficerent, à quo Herculis labor de Nemæo apro, Leone, & sylua exordium cepit. Atque ideo etiam dicta *oppida* reor, quasi opem dantia, atque ferentia, puta, contra belluas, sicut *ciuitates*, & *ciues*, & *cœtus* à *coeundo* in vnum locum nomen adepti sunt. Nisi etiam vocabulum *Vrbis* ab *Arba* hebræo, quod significat *quattuor*, ductum arbitramur, vel quia quaternis generibus hominum pro numero ætatum humanarum ciuitates constarent, vel quod quadrangulari forma ex conderentur, ad typum primæ orbis vrbis Babylonis, quam Herodotus oculatus testis quadratam depingit. Quis autem primos Europæos ædificandi rudes suspicetur, qui hanc Babyloniam ciuitatem, & turrim nuper extulissent? Ex quo veterum error corrigendus, qui primos homines autumarunt, in agris, aut syluis ferarum ritu, & more degentes, eloquentia demum sapientum virorum in vnum adductos, vrbes condidisse, nam non solùm oppida ante pagos structa, atque culta, sed etiam littora, quam mediterranea, aut agros, aut nemora, belluarum metu priùs inhabitarunt. quarum paulatim timore sublato, sese agris, & saltibus credere, vel turis colendi, vel venandi gratia, vel amœnitate mortales cœperunt.

Gen. 10.

4 Tamdiù autem Europææ classi in Taurica subsistẽdũ fuit, & mora trahenda, dum ternæ familiæ tutelæ, & commodis satis cautum foret. Paternis postmodum mandatis præmissis, de Numine ante omnia colendo, cuius alloquio parens vsus fuerat, & plurima beneficia in eos recentia extabant, de concordia item inter se seruanda, alienis finibus minimè inuadendis, iustitia in omnes castè administranda, alijsque salubribus monitis pro tempore datis, ægrè tandem (quod Sibyllæ matris diuinitùs aflatæ impetium vrgeret) inuicem abstracti, fabulæ de Absyrtho à Medea discerpto in hoc mari Pontico locum effecere. A Phaside autem, iuxta Herodotum, ad fauces Hellesponti (quod illius maris longissimum cernitur) nouem dierum, & octo noctium nauigatio solùm est. Itaque à Cimmerio Bosphoro ad Thracium vsque, quò pergebant, nisi ventus aduersùs forsã obstiterit, quatriduo haud amplius insumpto, secundã Europæ coloniam statuũt, *Thyraces*, seu *Thraces*, à nomine filij Iaphet *Thyras* ita nũcupatos, vnde *Thraciam*, quasi Thiraciam, & à bobus cũ

classe

classe delatis *Bosphorum Thracium* locum indigetarunt, de quo ibidem Ouidius exul: *Hic locus est gemini ianua vasta maris*, Propontidis puta & euxini. apud quē sita *Heraclea* in honore Iapheti Herculis tunc condita videtur, nec non *Byzantium* pòst altera Roma, & orientalis Imperij sédes, hodie illaudatorum Tauricorum Regia, corrupto vocabulo *Stambol* appellatur, quasi Constantini πόλις, *Constantinopolis*. Et quoniam multæ Thraciæ gentes atque loca, à bobus eò importatis nomina sortiuntur, vt *Bysa*, quasi Βῶσα à bobus, & *Byzeres* populi, iuxta Plinium, *Buzeri*, & *Buzericus portus*, ita Byzanthij vocabulum ab ijsdem bobus, & ab ἄνθος flore factum autumamus, quasi florem Vrbium Buzerorum Thracum, & Bosporanorum. Thracas autem ab hoc Thyras dictos & Iosephus asserit, *Thyres Thyras de se vocauit, quorum fuit princeps, eos Græci Thracas dicere maluerunt*. De his autem populis (vnde ob bellicam fortitudinem gentis Martem ortum fingunt) plura exponere studium propositæ breuitatis vetat, & Latium, quo tendimus, necnon in Latio excitanda Roma. Quod sanè opus, nonnisi peragrata Europa, olim perfectum est, vt Marone veriùs exclamare liceat: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*. Thracia ergo relicta, quoniam adhuc superest longum maris æquor, ad reliquas gentes in Europa locandas, remis velisque modò festinemus.

CAPVT QVINTVM.

1 *Ascenes* in Ascia situs vulgò (Asia minore) vnde Asiani, Hassi, Ascanij Germaniæ populi seu Aschenets descendunt.

2 *Cethim* siue *Cythim* in ostio Danubij, origo Scytharum, Getarum Celtarum, Gothorum, qui Europam omnem postmodum inuasere.

3 *Madai* ad eamdem Danubij ripam, vnde Medi Europæi, Moldaui, Daui, Dai, Daæ, Daci, siue Dacæ.

4 *Mosoch* ex aduerso, à quo populi Moesi, siue Mysi, Moschi, Moschouitæ, Mysni.

1 ITAQVE exposito in littore Thracij Bosphori versus occidentem filio Iaphet *Thyras*, oppositum orientis latus *Ascenes*o destinant, cuius quidem regio ἀπὸ βοὸς τίθεσθαι seu à bobus positis, atque deportatis, *Bythinia*, quasi Buthinia appellata fuit, vnde *Buten* antiqui Argonautam finxerunt. Verùm ab *Ascenes* præcipuè, *Asia Minor* vniuersa, hodie Natolia, id est, orientalis ἀπὸ ἀνατολῆς, retinuit nomen. cuius quidem origo cum Asiæ Maioris etymologia malè confunditur, eò quòd hæc (vti dictum) ab *Aus* vel *Vs* filio Aram & nepote Semi appellationem deriuet: *Ascia* autem *minor* ab hoc *Ascenes* Gomeri filio & nepote Iaphet. A quo etiam *Ascania* Bythiniç regio & *Ascanius lacus*, & *fluuius*, de quo Virgilius: *trans Gargara, transque sonantem Ascanium*. & Germani *Hassi*, quasi *Asci*, & vulgò *Ascanij*, seu *Aschenets*, ob irruptiones posterorum Ascenes in Alemanniam, ita appellati.

2 A Bosphoro autem Argonautæ oram Pontici maris ad Boream legentes, in

fau-

fauces Istri seu Danubij influunt, & Iauanis filium *Cethim* siue *Cythim Celtarum, Getarum*, & *Scytharum* Patrem ad Septentrionalem plagam constituũt. Siquidem ad Danubij ostium *Celetas* seu Celtas Arrianus ponit, ibidemque tota pœme vetus atque recens Geographia *Getas* siue *Schythas*. Vti enim à *Cythim* Scythas nominarunt, sic à *Cethim* Getas, Gothos, Celtas & Celetas, vocabulis (vt fit) iuxta variarum gentium dialectos, linguas, & accentus paululum immutatis. A *Cythim* rursus *sythones*, & *Sythonij* populi, vnde *Sythonia* grando, *Sythoniæ* niues, quibus in poëtis nihil frequentiùs. A *Cethim* verò *Cetium* ad Danubium ciuitas, & *Cetuorum* ibidem *Insula*, *Cætijque montes* in Norico. *Celtas* verò cùm *Scythis* coniungit Aristoteles de mundo & *Celtoscythas* faciunt Strabo & Plutarchus. *Getas* autem non differre à *Gothis* ex Claudiano De Bello Getico, Ælio Spartiano, alijsque scriptoribus planum est. Quos quidem Europam omnem inuasisse, suumque cunctis populis nomen imposuisse, clarè Abrahamus Ortelius in sua Celtica Europa demonstrat. Siquidem *Celtiberi* Hispani, & Gallia *Celtica*, & Germani *Celtas*, siue *Koltas* etiam hodie familiari sese colloquio compellant. Ortelij sensum magnam partem Scriptura confirmat: Nam in Machabæis Alexandrum Magnum de terra *Cethim* commemorat egressum, hoc est, ex *Græcia*, vti liquet, vel *Macedonia*. Et Num. 29. vbi in Hebraico textu sic legimus: *Venient in trieribus de Cethim, vastabuntque hebræos*. In latino, et apud Lxx, *de Italia* habetur. Danielis item 11. vbi lectio hebræa: *Venient super eum Trieres*, & *Cethim*, rursum pro Cethim *Romani* ponuntur. Ita vt Italos, Romanos, Græcos, siue Macedones, vna & eadem vox *Cethim* significet, quod quidem Getarum in ea loca excursionibus atque colonijs nemo non tribuet. Quas irruptiones alis additis *Zetho* & *Calai* fratribus & Boreæ filijs, ingeniosè suo more Ouidius descripsit, substituens pro Geta *Zethen*, et pro Gallo Italo, *Calaim*, vti infra explicamus. Sed quod ad rem nostram facit vel maximè, Argonautas illos in hunc modum canit:

Lib. 1. c. 1.

Implumes Calaisque puer, Zethesque fuerunt,
Mox pariter pennæ ritu coepere volucrum
Cingere vtrumque latus, pariter flauescere malæ,
Ergo vbi concessit tempus puerile iuuentæ,
Vellera eum Mynijs nitido radiantia villo
Per mare non notum prima petiere carina.

3 Illis ergo Danubij fauces aduerso flumine longius prætergressis, vti fabulis quoque proditum est, filius Iaphet *Madai* eiusdem ripam Borealem insedit, à quo *Medi Europæi*, quorum sœpiùs Homerus in Iliade meminit, quosque inter Thracas Ptolomæus reponit. Siquidem *Asiani Medi* ab *Elmodad filio Iectan*, quasi Elamodad, hoc est, Elamyta vel Persico Medo prognati sunt, non autem Europæo. A quo etiam *Moldaui* fluxere, & per syncopen *Daui* (vnde *Dauus* & *Geta* personæ seruiles in comædijs antiquorũ notæ) et *Daæ*, seu *Dai* gens fortissima olim, et Romani Imperij terror, de qua Virgilius: *Indomitique Daæ, & pontem indignatus Araxes*. qui quoniam adspirata litera *Dahi* & *Dahæ* frequentiùs scribuntur, ideo *Daci* atque *Dacæ* etiam appellati. Vnde Horatiùs: *Te Dacus asper, te profugi Scythæ*.

4 Madai igitur stabilito, *Mosoch* fratrem eius versus meridiem in aduersam ripam deduxere, vbi ob Europæorum diuisionem maximam, ad oram Euxini Maris, *Tomos* ciuitas condita, quondam Ouidij exilio insignis, & principio, sectæ

sectæ ac diuisæ gentis à verbo τέμνω vestigium illustre. Mosoch autem *Moesorum* seu *Mysorum* parens, à quibus *Mysni* veluti Mysini, atque *Musulmani*, (quasi homines Mysi) necnon *Moschorum* tanquam Mosochorum (nam inter Mysos *Moschium* flumen Ptolomæus ponit) hodie Moschouitarum. Tibullus certè quidem populos ad Tanaim sitos, *Mosynos* appellat: *Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos*. Porrò ad *Mysorum* etiam regionem Argonautas olim appulisse, Propertiùs præter cæteros testis:

Namque ferunt olim, Pagasæ naualibus Argo
Egressam, longæ Phasidos isse viam.
Et iam præteritis labentem Athamantidos vndis,
Mysorum scopulis applicuisse ratem.

Atque hi quidem populi hactenus descripti, vastissimas Aquilonis plagas, quæ ab Hellesponto, & Ponto Euxino, & Alpium iugis ad Arcticum polum, ampliùs quadraginta latitudinis gradus amplectuntur, posteris suis subtemperato vel frigido cælo fœcundioribus, sensim repleuere. quin & suis sedibus sæpissimè effusi, in Illyrim, Alemaniam, Gallias, Belgium, Britanniam, Hispaniam, Africam quasi diluuio quodam innundarunt, Italiam & Græciam vexarunt, & Romanā Vrbem sub tempus Honorij Cæsaris denique euerterunt. Quapropter *Vuandali*, atque *Vindelici* ab *Vuandelen* vernacula voce, quasi populi *ambulantes* vocati, vel quia plaustris & curribus Europam omnem ferè peragrarent. Vnde *Mysos in plaustra feroces* Procopius ait, & Horatius de Scythis ac Getis: *Campestres meliùs Scythæ, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos, viuunt, & rigidi Getæ, Immetata quibus iugera liberas fruges, & cererem ferunt*. Quod si forsitan quæras, à quo horum tandem *Sarmatæ Europæi* profecti? Equidem ex Asia in Europam immigrasse constat, & cùm Scythis permistos, nam ab *Asarmoth* Sarmatæ etymon mutuantur, *filio Iectan, & nepote Semi*, quibus Asia iccirco non Europa, obtigit. Quo factum, vt Scythæ Europæi etiam Sarmatarum nomen sibi pepererint, à quibus *Samothraces* atque *Samogitæ*, velut Sarmatici Thraces, atque Getæ. Sed quoniam primos suos colonos, olim *Maxima terra viris, & fæcundissima doctis Vrbibus*, Græcia adhuc vacua cupidiùs expectat, ab Istro versus Hellespontum cùm Argonautis vela conuertamus. Gen. 10.

CAPVT SEXTVM.

1 Primi Græciæ coloni *Elisa*, *Iauan*, *Magog*, & *Dodanim*. ab *Elisa* Helle, seu Hellas (Græcia) & ἕλληνες Græci, & Aeoles, atque Hellespontus.

2 A *Magog* Macedo, & Gens Mygdonia atque Magnesia. A *Iauan* (*Ion* hebraicè) Ionij & Ionium mare. A *Dodanim* Dodonæi, populi antiquissimi descendunt.

3 Græcarum vocum etymologię quædam explananttur, quę *Græcia Maior*, quæue *Minor dicta*?

1 HACTENVS Deucalion Iaphet cùm Pyrrha coniuge, diluuij reparanda iactura, suos lapides (græcè λᾶας populos) per latissimam Borealem plagam post tergum coniecit,

Inque breui spatio, superorum numine, saxa
Missa viri manibus, speciem traxere virorum,
Et de fœmineo reparata est fœmina iactu.

Idque omne diuino consilio *Themidis*, seu Prouidentiæ, opus perfectum est, suum cuique genti locum initio dantis atque partientis, quod vox illa *Themis* bellè significat, sicut per lapides eo modo iactos, filij populi à tergo relicti scitè exprimuntur. Beneficio eodem quattuor familiæ posterorum eius ex Græciæ adueniunt, quarum exiguis principijs adaucta, magnitudine postmodum laborauit sua. Nam Argonautarum, & Heraclidarum à Colchide cum vellere aureo in Græciam aduentus, cui tandem ignotus? Heraclidas autem Iaphet Herculis liberos ac nepotes, ad suas columnas Argo classe tendentis, primos huius regionis principatum olim tenuisse, Herodotum authorem habemus, sicut & D. Hieronymum, Græcanicos omnes ab eodem Iaphet originem trahere: quantulum porrò Iaphetus à Iapeto differt, quem Græciæ vniuersæ Patrem & Figulum doctæ fabulæ fecere? Ideo & fama vetus haud vana, à Phænicibus, & Syris literas Graios accepisse, quod Mesopotamii Syri Argonautæ, in has regiones cùm gente liberales artes atque disciplinas primi inuexerint. Principes autem colonorum Græciæ ex posteris Iapheti, eosdemque Patres atque Patriarchas, quattuor numeramus: *Elisam, Iauanem, Magog*, & *Dodanim*. Siquidem ab *Elisæ* etymologia liquet, *Hellen* aut *Hellada*, & Ἕλληνας Græcos (qui in casu dandi Ἕλλησι, appellantur, voce *Elisæ* cognata) atq; *Hellespontum*, hoc est, mare Hèlladis seu Græciæ, nomen mutuatos, necnon *Aeolicam* gentem, vt Iosephus author est. Cui quoque *Hellès* nota fabula bellè suffragatur, quam cum fratre Phryxo per Pontum ferunt ariete traductam, atque ibi demersam, fratre in oppositum littus euadente. Aries enim Hellen vehens, Elisam Arca siue Argo (cuius Aron hebraicum nomen, quæque arietibus & ouibus intus affluebat) in mare Græciæ cùm propinquo *Thyras* (corruptè *Phryxo*) deportatum signat, Phryxoque, aut veriùs Thryxo, seu Thyrace, in aduersa Græciæ continente posito, ideo hunc Elisam vndis obrutum, & sepultum fingunt, quod in Lesbo Insula aquis vndique septa, atque circumflua, fuerit collocatus, & quasi demersus. *Lesbos* enim Insula ab Ἕλλης βοῦς dicta idipsum confirmat, quod Helles seu Elisæ boues primum eò vecti, vti de Bosphoris supra docuimus. Adde quòd in Lesbo *Arginusa* ponatur, Insula Argus, Argonauticæ nauis, ab Ἀργὼ & Νῆσος, & promontorium *Argeum* ab eadem Argo, & *Pyrrhæ* ciuitas à Iapheti vxore sic dicta, & *Euripus* ab eodem Patre lato (εὐρὺς) nominatus, sicut & *Europa*, omnia rei enarratæ certa argumenta. Atque hæc de Elisa, vnde Helladis Græciæ hactenus ignoratum nomen, ac genus profluxit.

2 Ex Lesbo autem versus Thermaicum sinum contendentes nautæ, *Magogi* colonium, vnde *Magedones, Mygdonij* atque *Magnesij*, seu *Magonesij*, eo deduxere. Quorum posteritas Asiæ domitrix sub Magno Alexandro, de Iaphet parentis in tabernaculis Semi habitatione futura, oraculum quadamtenus impleuit. Macedones autem *Thessali* etiam agnominati (quod ad mare siti, vt vox græca sonat) *Europum* à nomine Iaphet, cuius Plinius meminit, *Vrbem* condidere. At *Iauan* Græciæ præcipuus colonus, vel Iosepho teste, nam

Ant. Iud. l. 1. cap. 7.

Græci

Græci *Iauan* & *Ieuanim* hebraicè dicuntur, quasi *Iauan* filij) vtpote *Elisæ* & *Dodanim* parens, qui sublatis hebraicis punctis (*Ion*) appellatur, pro quo Lxx. *Græcum*, & *Græciam* fere substituunt, cuique gens *Ionum* (Homero Ἰάνων) & *Ionium* mare, accepta nomina referre tenentur, in Peloponnesum seu Πέλωπος Νῆσον, id est, Pelopis Insulam (veriùs Peninsulam) primus immigrauit, parentis Iaphet sub nomine *Pelopis* à Πάλαιος ὄπτομαι, tanquam *antiqui* ante diluuium mundi *spectatoris* memoria insignem. Declarat etiam hunc Iauanis situm in Peloponneso, Arionis fabula, quem ex Lesbo narrat in hanc Peninsulam à Delphino translatum, nam Iaphet *Arion*, id est, Arcadius ab *Aron* Arca ibi nominatur, quem prima classis, Delphinis instar, mare traijciens, ijs littoribus innoxiè reddidit, vel quod eum Sibylla coniux, communis Europæorum Δελφύς, seu *vterus*, suis consilijs istis littoribus virum applicuerit, vnde Delphino, seu vtero illi innixus seu insidens dictus sit, quasi prodigio, mare inequitasse. Neque verò pauca horum Argonautarum in Peloponneso vestigia mansere. nam *Argia* regio, & *Argos* ciuitas, vnde & *Argiui*, & *Argolicus* sinus ab eorum classe nomen contraxere. *Mycenæ* item ab ouibus per eam allatis, *Arcadia* ab Arca Noëmi, in qua clausus cum vxore Iaphet, omnium Argiuorum & Arcadum parens. & *Laeon* ab ἄγω & λαὸς, quasi ab eodem populorum duce. Iauanem autem, seu Iouem (nam Ionem filium *Zuthi*, pro Zapheto corruptè antiqui dixere; teste Herodoto) Metropolim *Spartam* sibi delegisse haud temere censemus, non solùm quòd primum Lacedemonum Regem *Eurotam* antiqui commemorent, patronymicum Iauanis, ab (εὐρὺς) Patre Lato Iaphet, verùm vel maximè, quod liberos latè per Insulas *Ionio in Magno*, seu Ægæi maris hinc disseminarit, & sparsum propterea in populos in Insulis dispersos imperium habuerit, vnde *Sparta*, & *Sporades* seu Cyclades Insulæ à σπείρω semino, nomen acceperint. Vicina quoque ab Ionicis occupata *Creta*, fabulæ principium extitisse apparet, de Europa Agenoris filia in Cretam à Tauro, hoc est, à Tauride per mare deuecta. Ad Iauanem igitur Ionica ditio *Achaia* pertinet, & *Aegæum* mare, quæ nomen à capris eo ductis retinent. Item *Caria* Ioniæ portio, iuxta Herodotum, eiusque nominatæ vrbes, Lacedæmon seu Sparta, Athenæ, Corinthus, Ephesus, Myletus, & Erythræ, vel potiùs Eurythræ, ab εὐρὺς rursum, siue Lato Patre ita agnominatæ. *Lydi* verò atque *Dores*, tametsi ad Ionas spectent, eodem tamen Herodoto teste, ex Africa in Græciam coloni venerunt, quod etiam vox *Lydi* à *Ludim filio Mesraimi, & nepote Chami*, verum esse monstrat. Quò fit, vt Dorica horum dialectus peregrina censenda sit, Aeolica ab Elisa profecta, vti Ionum ab Iauan, non item. Sequitur nunc *Dodanim* quartus Græciæ parens, & Iauanis proles, cui pro prouincia ditionem Epiri, vbi *Dodonæi* Europæ antiquissimi populi, Argonautæ donarunt. *Dodonem* verò prisci, qui vix a *Dodanim* differt, Iouis et Europæ filium fabulantur, pro Iauan *Ionem* apud Lxx *Iouan* nominato, & *Europam* pro auo parente Europæ, malè supponentes. Apud cuius posteros vetustum oraculum, vulgò *Dodonæum*, Græcorum omnium atque Latinorum fama percrebuit. has igitur terras in Græcia primi illi Argonautæ insederunt, atque coluerunt, qui alio nomine ab eadem *Arca* vel *Argæo* Iaphet *Pelasgi* vocati, quòd durum *Pelargi*. de quibus Halicarnassæus: *Pelasgi primùm habitarunt apud Argos, à Rege Pelasgo sortiti antiquum hoc vocabulum.* & deinceps: *Relinquentes Peloponnesum migrauerunt in Aemoniam, quæ nunc Thessalia dicitur. Alij Cretam petierunt, alij Cy-* Ant.Rom. lib 1.

cladum Insularum nonnullas occuparunt, alij traijcientes in Asiam multa circa Hellespontum occuparunt loca maritima. At maxima earum pars per loca mediterranea se contulit ad consanguineos suos Dodoneos, ibique manserunt sat longo tempore. Deinde oraculo moniti nauigarunt in Italiam, quæ tunc dicebatur Saturnia, postquam nempè Saturnus Iaphet eò aduenisset. quantulùm hæc eius narratio ab hac nostra superiore dissentit? verùm antequam ijdem Argonautæ & Pelasgi è Græcia soluant, etymologijs nonnullarum vocum explicandis, paululum eos remorari iuuat.

3 Ac de *Argiuis*, quod Argo classe in Græciam aduecti, expedita res est. quibus *Pelasgorum* vocabulum affine, ab *Pala* seu *Latina* Ἄργω. *Moeonij* & *Mynies* quasi dilatati, à *Ma* & *Na* hebraicis vocibus, quæ *latum* significant, allusione ad Iaphetum facta. *Inachidæ* verò ab eodem Iaphet, qui Inachus, hoc est, Ὑὸς Νοαχῦ, seu filius Noë, nam Græci, vt tradit Iosephus, *Nochum* Patriarcham *Noë* vocauere. *Achæi* porrò & *Achiui* à *capris* in eam regionem allatis, quæ etiam *Aegæum* mare denominant, nam Αἲξ Αἰγὸς capram significat. *Attici* ab ἄγω deduco, quod ex Colchide adducti, ideo & *Actæi*, atque *Actiaci* ab eadem voce, nam *Attica* quondam *Acte* dicta, vt veteres testantur. A qua voce etiam *Athenas* deduci similiter credimus. *Danai* à *Danao* Rege, hoc est, *Iordanao* Christo, qui per Eucharistiam olim in Græciam erat adducendus, vti ex Sibylla scire potuerunt. Ita & *Cretenses*, *Cretas*, seu *Cretæos* ab eodem Christo nomen mutuatos aliàs ostendemus, vnde *Creta* Iouis, seu magni Ieouæ patria appellata. *Ascræi* ijdem ab *Asca* & *Raa*, dilatatos sonant. At infame nomen *Cecropidæ*, nempe à *Cercope*, Christianæ fidei atque Iudaismi *Simia* Maometo, vt infra monstrandum. Supersunt vulgaria *Græcorum* & *Graiorum* nomina, quæ eos à Patre lato nominatos produnt. Nam *Ga* atque *Raca*, vnde est *Græcorum* & *Græciæ* etymon, & Italiæ *Gracchorum*, & *Ia* atque *Gara*, vnde fiunt *Graij*, etiam *latos*, *latos*, siue *dilatatos* hebraicè reddunt. Iaphet enim Græcorum Auus, vt ex Iauan liquet, Elisa, Magog, & Dodanim filijs, Pater verò Latinorum fuit, vt infra ostendendum, hinc præ hac Minore, *Græcia Maior* Italia dicta est, & populi, *Magni* seu *Maiores Græci* per excellentiam, eò quòd soli demum *Magni dilatati* forent, ob Iaphet colonum, primariò & summè *Dilatatum* Patrem. Ideo apud Plutarchum Heraclides Ponticus *Græcorum ciuitatē Romam*, atque apud Festum *Romanos Græcos* Ennius appellat. Atque Virgilij commentator Seruius, *constat*, inquit, *Græcos fuisse Romanos*. Idem *Isidorus*, idem *C. Plinius*, idem Ouidius disertè affirmant: *Itala nam tellus Græcia Maior erat*. Sed quòd istorum testimonia excellit, Apostolus ad Romanos scribens, non *Iudæo primùm & Romano* ait, sed *Iudæo & Græco*, cum tamen Romanis Epistolam inscribat. quo id mysterio? nisi vt innuat *Maiores Græcos* siue *Dilatatos* antonomasticè ob Iaphet Romanos, Latinorum Patrem, Vrbis Conditorem, vt mox demonstrandum.

Ant. cap. 7. lib. 1.

In Camillo. De orig. gen. Rom. Ad l. 1. Aen. Fast. 4. Rom. 1. 2. 3.



CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

1 *Tharsim* ac *Thubalem* in Hiſpanico freto ad ſuas columnas Iaphet Hercules locat.
2 *America* ſub eo nondum habitata.
3 Vaticinia Sibyllæ de illa aliquando ſerò detegenda.

1 REBVS in Minore Græcia ita compoſitis, colonijſque ex præſcripto Iapheti, ſed maximè Sibyllæ ritè conſtitutis, ex Epiro Argonautæ ſoluentes, oram Siciliæ verſus Promontorium Pachynum legerunt. Nondum enim Mamertinum fretum Inſula illa à Brutijs auulſa effecerat, per quod primi nautæ Italiæ & Galliæ littora, in Hiſpaniam tendentes, ſecuriùs raderent. ſiquidem (vt Virgilio & Græcis credamus)

Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit, ſed Pontus, & æſtus
Mutauere ſitum, rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes.

Vnde Vrbem *Rhegium* à ῥήγνυμι (rumpo) non parum illuſtre abruptæ Inſulę veſtigium oſtendunt. Porro etiam Italiæ partem ab ea diuulſam, *Siciliæ* nomen retinere, Ortelij vetus Geographia monſtrat. quin & *duæ Siciliæ* vulgò recenſentur, ex quo conijcias Italiam olim fuiſſe diſſectam. Igitur recto curſu à Trinacriæ portu Lilybæo, vaſtum mediterranei maris tractum ſulcantes, ad Hiſpanicas Gades demum perueniunt. In hoc autem loco *Herculeas columnas* (veriùs forſitan *colonias*) antiquitas fixit, quod Sibillæ oraculis edocta, Heroëm glorioſum Iaphet aceperat (nam talem Heroëm Ηρακλῆς græcus ſignificat, vti ſæpe dictum) *Non vltra* hoc fretum verſus occidentem, primam claſſem Argo promouiſſe, ſed Argonautici curſus ſui metas, et quaſi columnas, geminos montes Calpen, & Abylam iſthic ſtatuiſſe, qui in Hiſpaniæ & Africæ contiguis (vt apparent) terris, magni Oceani quaſi fauces occludunt. Ac tametſi res per ſe loquatur, Orpheum tamen antiquum Scriptorem de Argonauticis, teſtem luculentum in promptu habemus, eos à Gadibus, & Columnis Herculeis domum, hoc eſt, in Latium tandem redijſse, *Sedes vbi fata quietas* (effata nempè Sibyllina) Iapheto Herculi Argonautæ, & Heraclidis eius nepotibus tot maria emenſis, tandem *promittebant*. Sed & Diodorus, & Cęſar Antoninus in Itinerario, ex Hiſpania in littus Etruſcum eoſdem Argonautas veniſſe commemorat, & *Argeum* ſiue Telamonis portum tenuiſſe, de quo infra dicendum. Quid, quòd Hiſpaniam hebræi *Zapharad* quaſi Zaphet terram indigetant, etiam *Heſperiam vltimam* ab Horatio dictam, eò quòd Italia Heſperiæ quoque nomen habens, nauigantibus versùs occidentē prior altera occurrat? Sed & illuſtria aduentus Iaphet in hanc regionem illa monumenta: *Hiſpania* quaſi Iaphania ab eodem dicta, Bœtica, quaſi Phetica, Iaphetica, *Hiſpalis*, quaſi Iaphalis, quæ & *Seuilla*, quaſi Sibylla, ab eius vxore, *Portugallia*, quia portus galli, Lati Patris, ab hebræo *Gala*, *Luſitania* vocabulum corruptum à Latitania, quæ à vocibus *Lati*, & *Ta*, & *Na* hebræis, dilatatum ſonat. Sed & *Calpe* & *Carpetania*, quæ à Κάλπη græco curſum ſignificante nomen accepere, eiuſdem Herculei curſus ſeu Argonautici metam repræſentant.

tant. adde quod in postrema illa regione vrbs & regio *Toletum* visatur, à *Ta* atque *lato* ita nuncupatum, antiquorum *Thule*, terrarum extrema, vbi *Olcades*, qui corruptè *Arcades*, habitasse dicuntur, ibidem & *Estremadura* quasi extrema terrarum, postrema Patris Lati Prouincia, ad quã versus occidentem nauigio aduenerit. Quid porrò *Tagus*, nisi dilatatus à *Ta*, & *Gaa*? quid deniq; *Iber*, aut *Ebro*, aut *Euro*, vnde *Iberia*, nisi Ευρὺς latus? Ergo in Bœticam continentem appulsi, non procul à Tagi ostio, in monte Calpes, quæ ex columnis Herculeis vna, *Tharsim* constituunt, filium Iauanis, per epenthesim quoque *Tartessim* vocatum, à quo *Tartessium* Tagum & Iberum, & *Tartessiam* Calpen prisci nominarunt, iuxtà illud etiam Claudiani Vatis: *Non Tartessiacis illum satiaret arenis Tempestas pretiosa Tagi.* Item Sidonij: *Ad Tartessiacum venit Indus aquator Iberum.* Ausonij: *Condiderat iam solis equos Tartessia Calpe.* Denique Ouidij: *Presserat occiduus Tartessia littora Phœbus.* Verùm exaduerso Tharsis, & in Africæ iugis, quasi altera columna, *Thubalem* cum familia Parens consistere iubet. Vbi *Abylam* vrbem, dictam quoque *Obylam*, et quasi *Thoubylam* de nomine extruxit. Nam Punicæ voces in al desinentes, vti Hannibal, Asdrubal, cæteræque, Africę incolam *Thubalem* fuisse non obscurè indicant. Cuius quoque posteros per *Fessæ* (Iapheßæ à Iaphet) & *Marochi* (ab hebręo *Marcha*, quod est latum) ditiones & regna per oram oceani, ad Atlanticos montes, sese transfudisse, hinc intelligimus, quòd Iaphetum prisci, in quibus Hesiodus, cæli & terræ filium appellatum, quod primi Europæorum origo lateret, ex Asia Nympha (Asiatica coniuge) filios Atlantem, & Hesperum suscepisse referant. In quo quidem per *Hesperum*, Hispanum Tharsim, per *Atlantem* verò, *progeniem Thubalis* in transfretantes Hispaniæ locis ad montem Atlantem porrectam, ad propositum nostrum aptè designarunt. Etenim eumdẽ Atlantem *Iapetionidẽ*, seu filium Iapheti Ouidius vocat. Met.l.4. Atque hęc de Iapheti liberis, primis Europæis, & Herculis columnis dicta sufficiant, in quibus erudita vetustas non parum cæcutijt, vt ex hactenus dictis intelligi potest.

2 Quidnam ergo, inquies? an *Americæ*, siue noui Orbis ab Americo inuenti ingens ille tractus, qui Asiam, Lybiam, & Europam magnitudine exæquat, colonis per tot secula vacuus à diluuio fuerit? Nam id fatendum est, si ad has columnas Herculis Europæi cursus substiterit. Ita verò fatendum. Ideo enim Gades *Solis cubilia*, ideo & *terrarum vltima* & postrema *Thule* antiquis fuerunt. Ideo PLVS VLTRA Castellæ Regum ad titulos accessit, quod trans has columnas, Oceanum magnum prætergressus, audax ille Americus Typhis, alias terras, imò alium orbem primus inuenerit, atque Castellanis incolendum dederit. Adde, quod Scriptores de America tradant, equis, asinis, mulis, bobus, camelis, elephantis, ouibus, alijsque animalibus paulò grandioribus regionem caruisse, cùm primùm Hispani, anno à Christo nato MDXCII illam adierunt. In qua etiam paucissimos barbaros pro magnitudine terrarum repererint, et vnicum Mexicanum Regem populo haud magno imperantem, et vix à Regibus constitutis septimum. Ex quo conficitur, non solùm Iaphet, sed nec Iapheti longa serie posteros, hunc nouum orbem vmquam attigisse. Itaque, vt quod sentio, promam, vix ad trecentesimum ab hinc annum, Americæ cultæ primordia referẽda arbitror, et non antea forsan, quàm quibusdam nautis Europæis ad ea littora tempestate iactatis, primæ ibidem coloniæ adhæserint. Cuius certam fidem

facit

facit non solùm animalium dictorum carentia, quæ ex Arca Noe manumissa, eò penetrare ob maria immensa nunquam potuere, neque ante illam ab Hispanis detectam, importata fuere, sed etiam incolarum penuria, & paupertas, in tanti orbis amplitudine, delitijs, opibus, atque vbertate, quæ sanè cum propagatione ter mille annorum, & amplius, à diluuio lapsorum, parùm aptè cohæret. Accedit morum barbaries Iapheto colono, eiusq. posteris humanissimis haud digna, & abhorrens. Sed quid pluribus coniecturis agimus?

3 Sibyllę expressum vaticinium extat, à Seneca Tragœdo relatum (qui enim aliàs id futurum homo Gentilis diuinare potuit, nisi à fatidica illa Vate instructus?) post sera sæcula hanc terram demum olim detegendam. Est autem eiusmodi: In Medea.

Venient annis sæcula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat Tellus,
Typhisque nouos detegat orbes,
Nec sit terris vltima Thule.

Quòdque obseruatu dignum; fatidicum hoc epiphonema eo loco refert, vbi de primis Argonautis egerat. Trans ergo Oceanum, & vltimam Thulen *Tellurem ingentem* illam, à nauclero Typhi inueniendam, Americam esse liquet, quamuis nomen reticeat, nec enim clarioribus eius situm verbis, & adiunctis, Ptolomæus ipse describeret. Neque illud vnum vaticinij Sibyllæ argumentum habemus: Nam *Hesperidum horti*, in quibus arbores cum pomis aureæ, vallatæ ingentibus muris, & à Dracone peruigili seruatæ, ne pateant prædæ, & à Perseo quondam, aut à pijs hominibus diripiendæ, iuxta oraculum, quid nisi auri, et argenti fodinas, in Peruniana illa ditione Hispanica, seu occidentali, nobis præcinebant, quas maria & editæ rupes, tanquam muri sepiunt, & auarè occultant, quas Dæmon Americæ, Draco ille peruigil, Barbarorum conuersionem ad fidem Christi assiduè impedire studens, conseruare fingitur, ne Perseus Ioue (hoc est) Ieoua natus, qui est Christus Princeps (quod vox Persei sonat, ab hebræo *Paras*) per suos Euangelij præcones, & Hispanos Christianos, & alios, feracem auri terram possideret. Quod tamen nequidquam illo repugnante, auorum nostrorum memoria euenit. Id verò forte olim *Themidis* Sibyllę fuisse prædictũ Ouidius testatur, pro mõtibus illis Americæ, qui poma conseruant, Atlantē fabulosè hoc modo substituens:

Hic hominum cunctis ingenti corpore præstans
Iapetionides Atlas fuit, vltima tellus Met. 4.
Rege sub hoc, & Pontus erat, qui solis anhelis
Aequora subdit equis, & fessos excipit axes,
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant, & humum vicinia nulla premebat.
Arboreæ frondes, auro radiante nitentes,
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant.

Et infra.

Memor ille vetustæ
Sortis erat (dederat Themis hanc Parnassia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua, quo spoliabatur auro,
Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit,

Id

Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Montibus, & vasto dederat seruanda Draconi,
Arcebatque suis externos finibus omnes.

De ijsdem fortunatis Americæ insulis etiam Horatius

Nos manet Oceanus circumuagus, arua beata,
Petamus arua, diuites & insulas.

Et paulò post refert primos & secundos Argonautas ad eas minimè peruenisse, sed pijs, hoc est, Christianis, sub ferreo sæculo victuris, diuinitus seruari:

Non huc Argæo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem.
Non huc sidonij torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Vlyssei.
Iuppiter illa piæ secreuit littora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum,
Aere, dehinc ferro durauit sæcula, quorum
Pijs secunda vate me datur fuga.

Quod vaticinium Hispanos & Gallos Americę colonos, atque inuentores, ad Hæreticorum aduersantium ruborem singulariter commendat, cum eos Sibylla *pios* appellarit, vti ex Poëta interprete constat, qui se etiam *vatem* hoc loco nominat, quod vatis Sibyllæ oraculum exponat. Et quoniam hæ beatæ Insulæ diutissimè incultæ, & quasi obscuræ, & ab aspectibus mortalium remotæ iacere debebant, ideo *noctegenitas* Hesiodus etiam fabulatur:

In Theogon.

Nox præterea peperit . . . .
Hesperides, quibus mala vltra inclytum Oceanum
Aurea, pulchra curæ sunt, ferentesque arbores fructus.

Et infra

Filiam porrò Iapetus pulchros tales habentem Oceanidem
Duxit Clymenen, & eumdem lectum conscendit.
Ipsa verò ei Atlantem magnanimum peperit filium,
Atlas verò cælum latum sustinet dura necessitate,
Finibus in terræ, è regione Hesperidum argutarum,
Stans capiteque, & indefessis manibus,
Hanc enim ipsi sortem destinauit prudens Iuppiter.

Ex cuius fabulę acumine datur intelligi, Iapheto *Insulas gentium* seu mare primò nauigandum sorte obtigisse (vnde illæ eiusdem cum Oceanide antea Nympha, seu Virgine nuptiæ proferuntur) eique in filijs seu nepotibus seris, Americæ Atlantes, seu montes concessos, qui cælum ob altitudinem sustinere dicuntur. Quod idem de America à posteris Iaphet seriùs occupata, Ortelius Scripturæ conformiter docet, quæ dilatati prærogatiuam in filijs Noë vni Iaphet assignat, quò fit, vt eius liberi ac nepotes in hoc nouo Orbe & India Orientis sese propagantes, enormiter mundum dilatarint, vti hodiernis Hispanorum, Lusitanorum, & Europæorum aliorum nauigationibus atque colonijs perspicuum factum est.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

In *Latium* tandem Pater *Latus* Iaphet à ſuis columnis Herculeis nauigat, ibi ſedem fixurus, quod firmiſſimis iterum rationibus probatur.

TANDEM colonijs liberorum ac nepotum Iaphet, per omnem Europam aliquando deductis, ne princeps ac domina gentium futura Italia diutiùs vacaret, extremum laborem ad hanc occupandam Latinus Hercules, ſui curſus columnis fixis, aggreditur. Igitur Hiſpania excedens, & Balearicum, Gallicum, atque Liguſticum, nullum adhuc nomen habentia maria Argo traijciens, in Æthaliam ad Argeum portum claſſe, ob vbique paſſim relictos colonos, non mediocriter imminuta, appellit. qui portus Argous etiam iccirco dictus, quòd ad hunc Argonautæ ex Hiſpania venerint, vt ſcribit Diodorus Siculus. Atque is fuit *Heraclidarum* in patriam reditus, à Poëtis & Scriptoribus olim, licet obſcurè & admodum confusè, relatus. Iapheti porrò ſeu Latini Patris in Italiam aduentum, pluribus faſtorum locis, ſub nominibus *Saturni* & *Euandri Arcadis* (quæ quidem Iapheti appellatiua eſſe oſtendimus) Ouidius deſcripſit:

Tuſcum rate venit in amnem Faſt. 1.
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Dicta quoque eſt Latium terra latente Deo.

Ignoſcendum Poëtę, quòd nominis Iaphet etymon hebręum haud capiens, Latium à *latendo*, non à *Lato* Patre (ob longam vitam appellato etiam a priſcis *Saturno*) deduxerit. Sapientiùs Varro *Latium* à *Latino Rege*, non à latibulo Saturni deriuat. Verùm alio loco idem Ouidius elegantiùs ſub perſona Euandri noſtrum Iaphetum etiam in Latium inducit:

Vocibus Euander, & firmus mente parentis,
Naue ſecat fluctus, Heſperiamque tenet.
Iamque ratem doctæ monitu Carmentis, in amnem
Egerat, & Tuſcis obuius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui ſunt vada iuncta Tarenti,
Adſpicit, & ſolas per loca ſola caſas.
Neue daret ſaltum, properans inſiſtere ripæ,
Vix eſt Euandri, vixque retenta manu.
Dijque petitorum (dixit) ſaluete locorum,
Tuque nouos cælo terra datura Deos.
Fluminaque, & fontes, quibus vtitur hoſpita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Naiadumque chori
Eſte bonis auibus viſi, natoque, mihique,
Ripaque felici tacta ſit iſta pede.
Fallor? an hi fient ingentia mænia colles?
Iuraque ab hac terra cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis,
Quis tantùm fati credet habere locum?

Et quæ ſequuntur. In quo quidem luſu, præter ſuperſtitionem plurium Deorum, qua aureum ſæculum religioſiſſimi viri nondum erat infectum, næui illi & maculæ apparent, quòd Carmentem Sibyllam ob fatidica carmina ita nuncupatam, matrem Euandri Poëta finxerit, cum fuerit coniux (vt quidam veterum etiam obſeruarunt) et in vacuis poſt diluuium locis, præter veritatem, caſas extruxerit. Sed antequam in terram Latinam è naui deſcendat Latij ille parens, ne qua eum deinceps opinio aduerſans hoſtiliter inuadat, & de Italiæ poſſeſſione certa deturbare præſumat, Iubet firmiſſimis rationum præſidijs primum hunc colonum, & Auſoniæ principem, in hoc regno ſuo quaſi ſtabilire; quamuis id agendo, vt vulgò dicitur, rem actam agamus. Omiſſis igitur plurimorum Scripturæ Sacræ Interpretum, & Sanctorum Patrum teſtimonijs, qui Italos Iapheti progeniem affirmant, in quibus D. Hieronymus præcipuè elucet, eiuſdem Scripturæ oracula, pluribus locis atque ſententijs, apertiſſimè idem inſinuant. Et omnis hiſtoria prophana, cùm fabularum docta farragine, & admirabili nominum & etymologiarum harmonia & conſenſu, adeo rem demonſtrat, vt nihil ſolidiùs, vberiùs clariùs confirmatum adhuc, ſiue in antiquorum, ſeu recentiorum ſcriptis monimentis, auſim affirmare. Ac Scriptura quidem de primis vniuerſi colonis in hunc modum affirmat: *Erant filij Noë, qui egreſſi ſunt de Arca, Sem, Cham, & Iaphet. Ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram.* Horum autem duobus diſtinctos habitationum limites ac fines aſſignat. Semo quidem Maioris Aſiæ regiones, vtpote *à Meſa* (Meſopotamia) *vſque ad montem orientalem* (reſpectu Babylonis) *Sepher*. Chamo autem cum poſteris, præter Chanaan, atque Babylonem ab Nemroth filio Chus Aethiopum Principis tyrannicè captam, Aegyptum (quam *terram Chami* non ſemel appellat) Lybiam, Aethiopiam, aliaſque ad meridiem plagas. Quidnam ergò Aſia & Africa poſſeſſa, noſtro Iaphet reſtat, niſi ſola Europa? Ergo primum illum eiùs inquilinum Scriptura inſinuat. quemadmodum & nomen Europæ ab Εὐρὺς ποιεῖσθαι, quod eſt latum fieri, ſiue dilatari. præterquam quòd *Inſulas gentium* ab eodem cùm liberis *diuiſas* eadem conteſtetur. hæ autem in ſola Europa à Babylone proficiſcentibus occurrunt, ſi quidem primum mortalium à diluuio ſitum conſideres, qui ab ea Vrbe atque Turri tanquam centro quodam incipiens, in orbem ſenſim colonias trāſmiſit. In quo quidem hiſtoria prophana atque fabuloſa cum Sacratis Paginis mirificè conſentit, dum primos Græciæ & Europæ colonos, Iapetum, & Deucalionem profert, necnon Argonautas primos maris nautas, quod antea ignotum, quorum illi hominibus ex limo cōfectis Europam impleuerint, de cælo ignem (animum nempe) ſuffuratis; hi autem Euxinum Pontum, atque Helleſpontum, maria Europæa, ſua naui Argo primi fatigarint. Quos quidem Horatius nō malè inter ſe cōfundens, cū in Argonautas primos maris nautas acriter inuectus, vt eos *Iapeti* proles indicaret, continuò ſubiunxit: *Audax Iapeti genus, Ignem fraude mala gentibus intulit. Poſt ignem æthereа domo ſubductum, macies, & noua febrium Terris incubuit cohors.* Non parum verò hęc Poëtæ docta narratio (*Audax Iapeti genus*, ob mare primùm nauigijs tentatum, *Ignem fraude mala gentibus intulit*, ad illam ſacrarum literarum accedit: *Ab his* (nempe Iapheti liberis, quos enumerauit) *diuiſæ ſunt inſulæ gentium.* Nam vtrobique de *gentibus* ſermo, quę primæ orbem inhabitarunt, puta in Europa, vbi *Iapeti genus*, quià *Iapheto* haud differre, vates collocarunt.

Plutar. in Numa.

Gen. 9.

Gen. 10.

runt. Nemo porrò non videt *ignem gentibus illatum*, atque *ætherea subductum domo*, hominis animum esse, cuius est cælestis & diuina origo. Sed cur *fraude mala illatus est gentibus*? eò quòd vnde se beatum Iaphet, vel Iapheti genus (vt fit) æstimabat, ob cœlestem animum de cœlo subductum, pluribus Europæis gentibus impertitum, & communicatum per generationem summè dilatatam, eò pluribus malis, febribus, morbis, & mortibus cum filijs parens obnoxius effectus, infelicior euasit, ob animi labem & peccatum, & peccati pænas, quæ origo infundit, seu generatio. Quam Theologiam Poëtæ Gentiles per *furtum cœleste*, atque *eius pœnas*, scite docuerunt. Maneat ergo Europæos à parente Iaphet originem trahere, à quo præter nomen, animum, & naturam, naturæ miserias comites primùm contraxerint. Insuper illas *Gentium Insulas* Europæas fuisse argumentis pluribus à Scriptura ductis primo capite supra habes exploratum. Age verò, Scripturam porrò inspiciamus: *Filij Iaphet* (inquit) *Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan* &c. *Ab his* (Iaphet, & liberis, atque nepotibus) *diuisæ sunt Insulæ gentium*, puta, Europææ, vt antea patuit. Hic iam si quæratur, quænam harum cuique obtigerit? ex Scriptura discis: *In regionibus suis*, hoc est, Insulæ Europææ gentium ab quoque diuisæ, non quælibet à quolibet, sed quæ sunt *in regionibus*. quibus? *suis*. hoc est, suo vel proprio colonorum nomine appellatis. Vnde quia à *Lato* Iaphet *Latium* nomen habet, & *Latinæ* gentes atque sermo, vt Etymon seu nominis aperta notatio docet, ideo *Latij* primus inquilinus Iaphet agnoscendus. Et eadem de causa Gomerus *Cimmerij* Bosphori, *Gormaniæ*, seu *Germaniæ* Thogorma, *Ryphææ* regionis, vbi montes Ryphæi, Ryphatus, *Asciæ* seu, *Ascaniæ* Ascenes, Thyras *Thraciæ*, quasi Thyraciæ, *Macedoniæ* Magog, *Magnesiæ*, atque *Mygdoniæ*, Madai *Mediæ* Europææ. & per crasin *Daiæ*, seu *Daciæ*, Iauan *Ioniæ*, Elisa *Aeoliæ*, *Hellesponti*, seu *Helladis* Græciæ, Mosoch *Moesiæ* siue *Moschouiæ*, Cethim, vel Cythim *Scythiæ*, seu *Getarum* plagæ, *Abylæ*, seu Obylæ Thubal, Tharsis Beticæ *Tharsis*, per epenthesim, *Tartessis*, Dodanim denique *Dodonææ* Epiri. Igitur Scriptura nobiscum parentem Iaphet in *Latium* inducit. Accedit eodem prærogatiua diuinitus *dilatati* viri, iuxta oraculum: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* cuius quidem manca authoritas & veritas erit, si Itali & Romani supra vniuersi orbis nationes singulariter aucti atque propagati, ab alia origine aut principio pendeant. Quid, quod Septuaginta Interpretes Græci, hanc vocem *dilatet*, quæ hebraicè ijsdem literis cum *Iaphet* effertur, vt supra ostensum, per πλατῦναι exprimunt, an non per hanc vocem, *Palatium* siue *Palatinum* collem satis insinuant, vbi Palatinus Heros regnauerit? firmissima insuper hæc ratiocinatio: Qui primi mare post diluuium nauigio tentarunt, fuere Argonautæ, Iaphet & Iaphetij id primi tentarunt, Iaphet & Iaphetij igitur Argonautæ. Propositio quidem omnium Poëtarum & Historicorum querelis firmatur, qui Argonautarum id factum damnarunt, diuinæ (vti ex Scriptura liquet) iussionis ignari. Assumptio verò Syllogismi ex eadem Scriptura clarè comprobatur, dum *Gen.* 10. ab *Iaphet* atque *Iaphetijs* post diluuij aquas *gentium insulæ diuisæ* traduntur, quod fieri sine nauigio nullatenus potuit. Quamobrem Argonautarum nauigatio prima illis tribuenda, paucis erroribus tantùm repurgatis, sicut cap. 3. supra monuimus. Quin Argonautici cursus præcipua adiuncta, Iaphet & Iaphetijs mirè conueniunt. Ipsius *Argus* quasi *Arcæ* nomen, in qua Iaphet clausus, & *Argonau-*

tarum ab eadem *Arca*, vti *Pelasgorum*, qui *Minies* dicti, à *Ma* & *Na* lato, In his Argonautis etiam *Iphis* legitur, *Iphytus*, *Iphyclus*, *Iphidamas*, quæ Iaphetum reddunt. Item *Eurytus*, *Euryalus*, *Eurybates*, *Eurydamas*, *Latinus* item, atque Argus nauis gubernator *Typhis*, quæ omnia Εὐρὺ seu parentem *Latum* clarè significant, *Autes* etiam, id est, dilatatus, & *Augeas* augens seu dilatans terram, ab Αὔξω & γαῖα, *Hercules* idem dilatatus. *Deucalion* item, à *Deua* & Cala. *Actor*, *Actorides* ductor, supple, Europæorum. *Areices* Arcadius ab *Aron* Arca, in qua olim clausus. *Armenius* ab hac regione, vbi Arca substitit. *Palæmon* à *Pala* & *Mona*, rursum *dilatatus*. Iam illa nomina *Phasis*, quasi Lati Patris in Europam *transitus*, *Bosphori* à primis bobus eò importatis, *Euxinus Pontus* atque *Hellespontus*, quod pontes primorum Europæ nautarum, & bonorum hospitum, vnde *Metapontini* Italiæ populi, quòd à Ponto Euxino aut Hellesponto eò peruenissent, *Tomos* vbi magna Europæorum diuisio facta, *Herculis* Argonautæ, Argiui, ac Thebani, ad Gades *Columnæ*, quò & profecti sunt, & vnde redierunt, an non cum fabula *Medeæ* fratris sui membra in Euxino illo descerpentis, eumdem Iaphetum primum Argonautam, Scripturæ Sacræ conformiter, asserunt? Verùm esto, inquies, fuerit *Argonauta*, vti hæc demonstrant, an continuò Italiæ hospes & Latij colonus? Enimuero id consectarium, cum Scriptores prisci de Argonauticis, in hac regione horum cursum terminent. Id etiam præter complurima testimonia Authorum, Romanus imprimis *Argiletus* testatur, vbi Argo classem ex aquis eductam vetustas temporis, quasi leto affecit vel morte consumpsit, id *Argonautarum* ibidem *porticus*, & nauium *Rostra* in Romano foro, id quoque *Argea Sacraria* & *Sepulchra* Romæ, Varronis scriptis quoque celebrata, id eiusdem *Argus* reliquiæ ac fragmenta in eadem Vrbe ad Martialis Poëtæ tempora sanctè custodita, id *Argeus* ibidem *Vicus* & *Argous* in Tuscia *portus*, id *Tibur Argeo colono fundatum*, iuxta Horatium atque Ouidium, id denique *Argessa* Italia dicta plenissimè conficit. Iam nomina illa Argonautarum *Iphys*, *Iphytus*, *Eurytus*, *Latinus*, *Aetalides*, *Typhis*, cæteraque supra nominata, quæ Iaphetum dilatatum reddunt, an non intelligentibus idem *Latium* inculcant? Age porrò curnam doctæ fabulæ primos Italiæ incolas *ex arborum truncis* & ex *dura quercu* seu *robore* educunt, nisi quòd nauibus siue classe Argo ex truncis arborum facta & cauata, eò sint traducti? Virgilius enim de primis Italiæ indigenis in hunc modum canit:

Lib. 4. de ling. Lat.

Epig. l. 7.

Fast. 1. 4.

> *Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,*
> *Gensque virum truncis, & duro robore nata.*

Aen. 8.

Cum verò cursum in Latio terminarit Argo, nullus dubitandi locus relinquitur, ibidem nonnisi postremum Argonautarum Patrem consedisse, cum non ante suos liberos omnes in colonias deductos Patrem quieuisse, paternus amor, atque filiorum cura suadeat, præsertim cum præter parentem, Carmentis vel Sibylla mater ijsdem rudibus iuxtà ac timidis nautis instruendis necessaria foret, vnde *fatidica nauis* Argo appellata. Mitto *Argonautas*, mitto *Latij* nomen ab hoc Patre *Lato* apertè deductum, malè certè primi Italiæ populi *Aborigines* dicti, ac *sine parente*, malè *Indigenæ* item vocitati, nisi Patrem Iaphet præ cœteris Europæis populis colonum habuerint, nam primam Italiæ *gentem* arborum *truncis* & *duro robore natam* (hoc est, Argonautas) *Indigenam* cum Faunis & Nymphis Virgilius vocauit. Item Iuuenalis de primis ijsdem Italiæ populis:

Quippe

Quippe aliter tunc orbe nouo, cœloque recenti
Viuebant homines, qui rupto robore nati,
Commiſtique luto, nullos habuere parentes. Sat. 6.

Vbi ad Adamum, & Iaphetum clariſſimè alludit, quorum hic Europæus, ſeu Europæ Pater, nullum parentem in Europa habuit, cùm omnes ab ipſo Europæi orti, ac geniti, vnde *Aborigines* ſiue *Indigenæ* Itali appellati, quibus imperauit. de quibus ita Feſtus Pompeius: *Aborigines gens antiquiſſima Italiæ*. Item Dionyſius Halicarnaſſæus: *Aborigines alij authores, conditoreſque Romani generis, Italiæ indigenas alij aſſerunt, nomenque ijs inde impoſitum eſſe, quòd poſteris ſuis* (nempe Europæis) *originis abs ſe fuerint authores*. Sextus quoque Aurelius Victor in libro de origine gẽtis Romanæ, *Aboriginum* antiquitatem in hunc modum prædicat: *Quidam tradunt terris diluuio coopertis, paſſim multos diuerſarum regionum in montibus, ad quos cõfugerant, conſtitiſſe, ex quibus quoſdam ſedem quærentes, perueƐtos in Italiam, Aborigines appellatos*. Nec Romanarum rerum grauiſſimi Scriptores Cato, Sempronius, & alij à Dionyſio (non Annio) laudati, quidquam diſſentiunt, imo rem confirmant, dum Aborigines *Græcos* populos faciunt, ex Achaia profectos, quando Itali *Græcorum* nomen antonomaſticos ſoli promeriti, vt ſupra oſtenſum, & ex Achaia in Latium migrarint. Sed Dionyſius nobis audiendus: *Scriptorum Romanorum doctiſſimi, in quibus eſt Porcius Cato, qui accuratiſſimè ſcripſit de originibus Italicarum Vrbium, Caiusque Sempronius, & complures alij, Græcos eos* (Aborigines) *eſſe adſeuerant, profectos ex Achaia, multis ante bellum Troianum ætatibus*. Moxque infra ſubijcit. L. 1. *Si eorum ſana eſt narratio, non poſſunt alterius fuiſſe generis coloni, quam Arcadici, namque hi primi Græcorum, traiecto ſinu Ionio, domicilium in Italia ſtatuerunt, deducti ab Oenothro*. Sanè Aborigines *Arcadici* dicuntur, ab Arca Noæa, ob Patrem & Matrem, qui in Arca fuere, vnde etiam *Aurunci*, *Aruntes*, *Arunci*, ab eadem Arca hebraicè *Aron*. Inde & *Oenothrij*, vt ſupra oſtenſum, inde & *Magni Græci* hoc eſt, *Magni Dilatati*, & *Maior Græcia* Italia dicta. Inde & *Tyrrhenos* Italiæ populos, nec alia de cauſa fabulantur *in Delphinas conuerſos*, non quòd piſces facti (quis enim hoc portentum credat?) ſed quod Δελφὺς venter, ſeu communis vterus Europæ effecti, ob Iapheti vxorem cum marito apud ipſos degentem, ex cuius vtero Europæi populi in maioribus ſuis omnes prodiere. Sed cur dubitemus de terra Italię ab Iaphet infeſſa, cum etiam Vrbs Roma ab eodem condita infra demonſtretur? Nec aliam ob cauſam tot populis Italia vetus olim abundauit, quot non alia regio, vt Authores multi ſcriptum reliquere, quam ob hunc colonum, omnium populorum in Europa Patrem, ibidem regnantem. Sed & Latinorum Cardinales venti ab hoc Iaphet laro nomen ſortiuntur. *Eurum* enim flantem ab oriente, ab Ευρὺς laro nominatum liquet *Zephyrus* ab occidente, qui & *Iapyx* dictus, nomen Zaphet atque Iaphet innuit. *Boreas* à *Baro* lato, qui *Aquilo* vocatus, ab eodem Iaphet, quia *Aetalus* dictus, ſeu *Aquila maris*. *Auſter* qui & *Notus* Boreæ oppoſitus ab Αὐξέω augeo, auctum illum Patrem ſiue dilatatum notat, & Notus à *Nota* hebraice *lato*. Quin nummos Latinos ab eodem Iaphet voces mutuari infra oſtendemus. Sed quid pluribus opus? ne Iapheti ſedem non iam extra Europam, ſed Latium inquiras, *Iapetum*, quem Iaphetum eſſe nemo infitiatur, in Italia ſepultum in *Inarime* inſula, quæ & *Aenaria*, atque *Pithecuſa*, hoc eſt, dilatata, Silius Italicus diſertiſſimè expreſſit: *Ap-*

Vide Aelian. l. 9. c. 16. var. Hiſtor.

Lib. 12. *Apparet procul Inarime, quæ turbine nigro*
Fumantem premit Iapetum, flammasque rebelli
Ore eiectantem.

Nam docta fabula Gygantes, seu posteros Noë, qui turri Babel ædificanda, cælum affectarant pœnas in Italia dedisse propterea asseruit, quòd melior eorum pars, Iaphetij summè dilatati, postmodum eò migrauerint, & in ea ditione mortui ac sepulti sint, quæ cum pluribus locis ignes eructaret, ibi fumare gygantes sepultos eruditè tradidit, & in his eorum Patrem Iapetum, ob cœlum olim oppugnatum ad Babelis molem. hoc enim facinus, Olympicum Agonem (pugnam in Olympum) quoque vocauere, vnde *Iphiti Olympias*, tantum non *Iapheti*, exordium sumpsit, vt supra indicatum. Nam & Lib. 1. & 2. *Noam* Patrem Iapheti, Annianus Berosus & *Gygantem* facit, & *Gygantas* multos procreasse ait. Quæ omnia, quamuis fabulosè, Iapheti coloniam in Latio confirmant. Porrò Italia *Magna Græcia* vocata, & *Magna Græcia* *Iapygia* appellata, quasi *Iapycia* (nam *g* & *c* sunt cognatæ literæ) imo & *Iapytia* (nam *c* & *t* sæpè conuertuntur, vt iam sæpius ostensum) an non Patrem *Iaphetum* colonum Italiæ sonat? *Iapydia* item, teste Plinio, *Istria* appellata, & per cognationem literæ, *Iapytia*, rursus tibi *Iaphetum* colonum Italiæ cõmemorat. Mitto Italiam *Peninam* vocatam quasi *Iapeninam*, Mitto *Apeninos montes*, quasi *Iapeninos*, aliáque innumera loca, de quibus infra dicendum est, Primarum certè Latij regionum ac Vrbium Annales veteres ac re- In Ligur. centes, eumdem *Iaphetum* Patrem clarissimè loquuntur, ne quisquam deinceps dubitaret, illi in Italia locum assignandum. nam ij *Lygonem* nescio quẽ, vt est apud Albertum Leandrum, *vnum è comitibus Iapheti, Patrem Lygu-* Ib. *rum* faciunt: en *Iaphetum* habes Lygone comite in Italiam aduectum. Alij *Phaetontem* eorumdem Lygurum atque Venetorum authorem fecere, in *Phaetonte* rursum *Iaphetum* audis, quamuis diminutum, & prima syllaba mutilum, quem fabula *Solis* & *Clymenes filium* eruditè facit, *ignem terris immisisse*, & *in Padum* Italiæ flumen tandem *decidisse*. Nam Iaphet Christi *Solis*, & Ecclesiæ à καλέω voco, *Clymenes* appellatæ, in posteris Italis & Romanis filius. *ignem* seu cœlestem animum gentibus Europæis *immisit*, vti Horatius supra indicauit: *Audax Iapetigenus, ignem fraude mala gentibus intulit*, & postmodum in omnem Europam colonijs deductis, quasi igne immisso, in *Padum* Italiæ decidisse fingitur, quia in Latio Sedem delegerit. *Ti-* L. *bur* Romæ vicinium ab Argonautis, siue Argiuis conditum, Poëtæ & Historici testantur, & *Argeum portum* ab ijsdem cognominatum ait Diodorus, inter Argonautas *Iphym*, & *Iphytum*, tantum non *Iaphetum*, commemorat Orpheus. *Nolam* à *Iapyge* extructam Annales testantur, en rursum in suis Alb. Leand. *Iapytijs* Iaphet. *Tusciam Comaram*, à *Comero Iapeti primogenito*, quem *Gomerum* Scriptura vocauit, ijdem ferunt appellatam, en tibi rursus *Iapheti* nomen, qui per filium Tuscos agnominat. *Rauennam* statim à diluuio à Ib. *Thubale* excitatam esse, ijdem Italiæ Annales referunt, rursus in *Thubale* filio, Italię colonus Iaphet agnoscitur. quid *Viterbium* à *Noa* conditum, vt recentes volunt, quid duodecim *Etruriæ* populi ab eodem in colonias missi, Ib. vti fabulantur, an quidquam à *Iapheto* recedunt, dum Patrem eius *Noam* commemorant, *Etruriæ* authorem? Nam vt hæc eorum narratio sana sit, id Noam non proximè & per se, sed per Iaphetum filium fecisse dicendum est, vt infra monstramus, vbi illum haud Asia motum, nec vsquam per se

colo-

colonias duxisse, ex Scripturis alijsque rationibus docemus. *Sibyllæ* porrò Italia Sedes, quæ se *nurum* Noæ asserit, ob Iaphet maritum, in Sibyllinis, quæ circumferuntur, & Iapheti coniugis sedem & coloniam Italiam certissimè arguit, vti *Iphygenia*, hoc est, Iapheti proles siue genus, à Tauricis populis *Ariciam* prope Romam translata, vt fabulæ narrant. Verùm ad extremum Synonyma Italię nomina attendamus; cuiusmodi præter *Iapygiam* & *Peninã*, de qua modo dictum, illa recensentur: Latium, Italia, Ausonia, Magna Græcia, Oenothria, Saturnia, Camesena, Chone seu Chonia, Brettia, Hesperia, Arcadia, Argessa, Taurena, siue Tyrrhenia, certè hæc omnia Patrem Latum produnt. Nam quisnam *Latium* & *Latinos* neget ab eodem Iaphet, qui Latinè *Latus* originem trahere? *Italia* modò, quæ & *Aetalia* ab Ἀετὸς ἁλὸς, id est, Aquila maris, vt supra ostensum, eumdem Iaphet monstrat. *Ausonia* regio eiusdem Ausonis mundum dilatantis, à voce Ἀὐξέω. Sed & *Magna Græcia* Italia vocata, à *Ga* atque *Raca*, & ab illo Iaphet summè dilatato, quod hebræa sonant, vt mox indicandum. Iam *Penina* regio, quasi Iaphenina, vt & *Apenini*, *Oenothria* Oenotrij ditio, hoc est, filij Noë, qui propriè Oënothrus, seu vini inuentor, ab hoc græco οἶνος. Nam *Saturnia terra* ab eodem longæuo Saturno, siue annis Saturato homine, qui etiam dictus *longæuus Iapix*, & ab Homero *Iapetus dilatatus, Diis immortalibus similis*, ob longam ætatem. quid *Camesena*, *Chone* seu *Chonia*, nonne Patrem *Latum* quoque significant? nam χαυμὸς, & χαυνὸς apud Græcos *Latus*. *Brettia* autem à Germanis Italia dicta, à *Breet* siue *Breeto*, Germanicè (lato) vnde & *Brutii*, nomen adinuenit. *Hesperia* quoque Italia vocata, id est, occidentalis, eumdem Patrẽ suggerit, quiquidem à Phaside & Colchide orientis plaga, in occidua illa siue Hesperia demum substiterit. Nunc verò *Arcadia*, quæ ab Ouidio *Luna terra prior* in Fastis vocatur, nonne *Arcades* Iaphet & Coniugem ex *Arca* paterna profectos vocabulo ostendit? cuius quidem *Arcadiæ Italicæ* populi, non Peloponesi, se *Luna priores* in fabulis iure glorientur, quòd *Lunatis* seu cornutis *Tauricis* seu Turcis, ob Iaphetum Patrem, originis dignitate præeant. Quamuis illi Taurici, se primos (tempore) Europæ colonos, ob Gomerum suum, siue Cimmerium Patrem, in colonia sua primò collocatum, cum Thogorma & Ryphat, verè venditarent. *Argessa* porrò Italia appellata, quid nisi vel *Argo*, cuius Rector Iaphet cum Sibylla vxore, vel *Arcam* Noë, in qua ambo clausi, suo Etymo prædicat? *Taurena* siue *Tyrrhenia* ad extremum *dilatatum* sonat, à *Taua* & *Rana*, vel à *Tara* & *Rana*, vt infra patebit. Iaphetum ergo primum Italiæ colonum, eius quamplurimæ Synonymæ voces, præter innumera vel supra allata, vel mox afferenda indicia, ostendunt. Idem enim Italiæ regiones, prouinciæ & loca, de quibus iam proximè agendum, prorsus contestantur. ex quibus colligas, primas sui Latij colonias et loca, Dilatatum Patrem ita distinxisse, vt paternum vel auitum nomen in ijs inclusum, sui principij posteros commonefaceret.

Fast.



CAPVT

CAPVT NONVM.

Synopsis Nominum Patris Iaphet, *Latinorum* simul populorum & locorum, qui ab ijsdem originem deducunt.

NON enim maiores Italiæ regiones solùm, sed & singulares eiusdem populi, Vrbes, fluuij, montes, atque loca, Iaphet primi coloni vocabulis ferè gloriantur. quod vt liquidò pateat, operæ pretium me facturum arbitror, si nomina eiusdem synonima, seu propria, seu appellatiua, hebraica, Latina, Græca, peregrina, Alphabeto digesta, per quamdam Synopsim oculis subiecero, cùm præcipuis locis in Latio, quæ à quoque horum etymologiam sumunt, vt ijs adapertis fontibus, nullo negotio riuulos deprehendas. At quoniam præcipua nomina nostri Lati Patris, ferè sunt hebræa, à quibus Latinæ, græcæ, atque peregrinæ voces formatæ sunt, cum labium vniuersæ terræ (quod erat hebræum) confusum est apud Babylonem, in his generatim illa obseruabis.

1. In etymologijs, vti apud Hebræos, paruam rationem vocalium haberi, quæ vel varia syncope ferè eliduntur, vel pro ratione punctorum atque accentuum, inter se mutantur, significatione vocis ferè immutata. ideo א Aleph apud eos omnium vocalium vicem atque locum subit. exempli causa א: valet a א e א o א i א u. ideo hæc vox *Salom* significans *pacem*, etiam vt *Selom* effertur, vt in voce *Salomon*, quem & *Selemon* dicunt, vti *Iaphet*, *Iephet*, nunc *Silom*, tum *Solom* vt in voce *Solyma*, atque etiam *Sulam*, vt in *Sulamitis*, & ita de cœteris. Itaque ab hac voce *Rama*, quæ rem fusam, expansam, siue dilatatam notat, promiscuè ramus, Rama Italiæ vicus rima, cum se res aperit & dilatat, Ramnensis tribus, quasi Ramanensis rhamnus etiam, elisa vocali, quia se diffundit, & hispanum *derramar*, neque illa solùm, sed Remus, Arriminum, Inarime Insula, Roma, Romus, Romula Hirpinorum oppidum, quæ nunc Bisaccia, Romatinum flumen, Rumen, ficus Ruminalis, & *Rumon* Tyberis cognomen descendunt. Nec mirum à *Rama* Romam & cætera in o deriuari, quandoquidem a longum hebræi per o pronuntient, vti Paulus Paradysus de modo legendi hebraicè testatur. deinde apud Græcos varia dialecto α, η, & ω quoque confunduntur, vt sanè est notum.

2. Inter consonantes, cognatas literas, seu eiusdem organi, sœpe commutari. quo fit, vt *b* & *u* consonans, & *p*, *ph*, quod *f* æquiualet, quo hebræi carent, apud multas nationes pro eodem sumantur, quia *beth*, *vau*, *pe*, *phe*, eodem organo labij proferuntur. Vnde & Latini *Labicum* & *Lauicum* dicunt, & antiqui Romam *Balim*, *Balentiam*, atque *Valentiam*, vt Cedrenus in Annalibus testis est, *Baletium* oppidum Calabriæ, quod & *Valetium*, etiam *Veretium* & *Beretium* dictum iuxta Strabonem. & Hispani hanc vocem *Barbari* per *Varbari*, *Baruari*, et *Varuari* efferunt, vt suum *miraba*, *miraua* & similia nomina. Imo Germanorum quidam *bibunt*, *Phibunt*, *vibunt*, *fibunt*, pronuntiant. Nemo itaque miretur à *Marbe* Marpesios effici, nam & Alpes *Alpia* et *Albia* iuga indigetantur, iuxta eumdem Strabonem, idque ob literarum harum cognationem. Nec alia de causa *g*, *c*, *ch* inuicem sæpe permutantur, quòd ad simile organum seu palatum spectent, hinc *Caium*, *Gaium* pronuntiant,

Lib. 6.

Lib. 4.

tiant, *Claudium*, *Glaudium*, *Cardinalem* Galli *Gardinalem*, & apud hebræos, radices *Gala*, *Cala*, *Chala* idem significant. Denique *d*, *t*, *th* quoque permiscentur, quia eodem organo linguæ exprimuntur, hinc *Iapodes*, & *Iapydes* gens in Illyrico (pro Iapyces, seu Iapotes) à nomine Iaphet, item *Pediculi* siue *Peticuli* Iapygiæ populi. Græci τύπτοντες, quasi τύπτονδες efferunt, & Græcorum eorumdem θεός Latinis est *Deus*, & *Lydus* Tybris pro *Lato* à Virgilio vocatur, & *Lydi* in Latio populi similiter pro *Latis*. Neque aliam causam comminisci possumus, cur *Tyrrhenos* prisci *Tyrsenos* dixerint, & *arborem*, *arbosem* teste Festo Pompeio, vnde *arbor* & *arbos*, nisi quod Sin, Samech, & Res idē organum nempe dentium habeant, *arbor* enim ab *ar* atque *baro* nomē suum ducit, hoc est, *dilatatæ*. Et quamuis Grammatici veteres atque Historici hebraicæ linguæ imperitia, in originibus nominum sœpissimè labantur, frigidas & ineptas vocum rationes commenti, vti in Varrone, & alijs liquet; tamē non omnino absurdi, quando *Ramnensem* tribum à Romulo deriuant, *Germaliam* à *Germanis* Romulo atque Remo, *Sicanos* à Siculo, nam *Lamed* & *Nun* sunt eiusdem organi, & lingua efferuntur, & similem ob causam *Pometina Palus* etiam *Pomptina* scribitur, quòd literæ *Men* & *Pe* inter se cognatæ, quia labiales. Aen. 1.

3 Obseruandum tamen *Mem* & *Nun*, & Latina *T* & *C* tametsi eiusdem non sint instrumenti, solere confundi, vt Pagninus de *Mem* & *Nun* annotauit, hinc plurimæ hebrææ radices vtraque litera passim efferuntur, *Marca*, *Narca*, *Mazara*, *Nazara*, *Marbe*, *Narbe* &c. quamobrem *Parnassum* nonnulli *Permessum* appellant. & *Latium*, *delitias*, non vt *T*, sed vt *C* efferimus, *Lacium*, *delicias* *Laticiam* &c.

4 In originibus nominum Syncopam crebrò interuenire, in principio & fine pro consonantibus, in medio autem solis vocalibus. nam syncopa triplex, cum prima litera aut syllaba aufertur, hinc à *Iapet*, siue *Iaphet* per syncopam Appius, via Appia, Appij forum, Apua Lyguriæ ciuitas, Apuani Lyguriæ populi, Montes Apenini, Petilia ciuitas, Peticuli populi. nam neminem moueat, quod in *Appia via* atque similibus sit *P* geminatum, id enim efficit punctum forte Daghes, quod literam duplicat. vnde apud hebræos *Dibber* (locutus est) ob daghes forte, pronuntiant, quod cum leni *diber*. Daghes verò puncti, præter gutturales, literæ omnes sunt capaces. quod quidem semel admoneri debuit. per syncopem ergo similiter ab *Italiano* fit *mons Talianus*, sic & hodierni Itali ex Arrimino *Rimino* fecere, & *portum Delphinum*, *porto fino* vocant, & sic de cœteris, quæ sunt innumera. sœpissimè autem in fine dictionis per syncopam abijcitur consonans, vt in Iaphet supra, dum hinc fit *Appius*, *Apua*, atque *Apeninus*, tum quod non raro literæ finales quiescant, tum quod terminatio Latinarum vocum ab hebræis differat. Itaque à *Ryphat* *Ryphæi* populi agnominati sunt, & non *Ryphatæi*, vti res loquitur, vti etiam Iosephus hebræus testatur. Denique hæc eadem Syncopa in medijs vocibus vocales elidit, vnde *Aqua crabra*, cuius radix *cara bara*, hoc est, *dilatata*. *Asculum* græci *Asclon* efferunt abiecta vocali, & hebræi *Malacha*, regnare, per *Malcha*, seu *Melcha*, vnde fit Rex *Malchus*, & per *Nazra*, *Nazara* similiter obtruncant, vti & cœtera plurima. his igitur præmissis, ad origines nominum Patris Iaphet, ac simul Italiæ locorum modò accingamur.

A

אא *Aa*, Latus, synonymum Iaphet, qui dicitur *Latus*, siue *dilatatus*, hinc *Aeea*, ideſt, latina *Cyrce* appellata, hinc Ἀετὸς Aquila, quòd alas expandat. hinc et *Aenaria* Insula ab *Aa* et *Nara*. *Aemilia* Italiæ regio, *Aemilia fossa* ab *Aa* et *Mala*. *Aeser*, et *Aesarus* fluuij, ab *Aa* et *Sara*. *Pons Aelius* Romæ ab *Aelio* Hadriano Cæsare, cui nominis origo ab *Aa* & *Ala* etc.

אבא *Aba* vel *Aua*, *Abe*, vel *Aue*, *Abi* vel *Aui*, *Abo*, *Auo*, *Abu* atque *Auu*, Item *Eua*, *Eui*, *Euo*, etc. pro varietate punctorum, daghes atque raphe, item vocalium siue motionum, quod semel monuisse sufficiet, vox est synonyma dilatati Patris, vnde hebraicum *Abba*, et Latinus *Abbas*, ob daghes forte, quæ nomina et *Patrem* atque *dilatatum* simul significant, nam Pater filijs adaugetur, siue dilatatur. hinc *Auus* quoque & *Auia* & *Aeuum* tempus longum siue magnum, & latinum *Aue*, quasi dilatare, seu multiplicare, siue fœcundare, & mater multorum (omnium viuentium) *Eua*. Ab hoc vocabulo *Abæ*, *Aueia* & *Auia* Italiæ oppida nomen quoque deriuant. *Auens* fluuius, & *Aufens*, & *Aufidus*, *Aufidena* & *Aufina* oppidum ab *Aua*, & *Pha*, *Phita*, *Phina*. *Absoris* seu *Absorus* Insula, ab *Aba* & *Sara*, *Absyrtis*, & *Absyrtides* &c.

אבל *Abal*, *Aual*, *Habal* Latus siue dilatatus, Synonymum Iaphet, hinc *Abella*, seu *Auella* ciuitas Campaniæ, *Abala* portus, *Abellinum* colonia & oppidum, *Aulon* mons, *Aulonia* Vrbs, per epenthesim, *Aualon* & *Aualonia* ab *Habal*, *Hybla* quasi *Habala* Siciliæ ciuitas. Item *Eugubium* atque *Eugubini* ab *Aua* & *Gaba*, vti *Euganei* ab *Aua* & *Gana* &c.

אכא *Aca* diffusus, latus, dilatatus, vnde *aqua* descendit, ob diffusionem, & *Academia* ab Aca & *Dama*, vox est Synonyma Iaphet, à qua fluuius *Achates*, *Acerræ* Campaniæ ciuitas, ab *Aca* & *Raa*, *Acerrani* populi, *Aciris* amnis, *Acula* oppidum, *Aquinum*, *Aquinates* populi ab *Aca* & *Na* &c.

אדא Ada, vnde vox Adami, ab Ada & *Ma*, quia multum *dilatatus* per generationem omnium mortalium, Synonyma est Iaphet diuinitus quoque *dilatati*. hinc *Addua* fluuius, atque Mons *Adula*, ab *Ada*, *ra*, *Hydruns*, *Hydrus* atque *Hadra* ciuitas &c.

Ἀετὸς ἅλιος Aquila maris, pernobile epithetum Patris Latinorum, vnde Imperium Romanum suam Aquilam sumpsit, *Italusque* & *Italia* nomen. Italia enim quasi *Aetalia*, & Italus *Aetalus*, vnde *Aetalides Insulæ*. hinc quoq; populi Barrij *Aetoli* vocat. dictus autem Iaphet *Aquila maris*, vel quod idem Ἀεταλὸς à Græcis, quod sicut Aquila maris, quæ inuerso nomine, ἁλιαιετὸς vocatur, rudes ad volandum per maria Europæa proles docuerit, atque alis suis quasi sustentatos, in colonias suas omnes importarit. Ab hac *Aquila* autem nominata *Aquilegia* ciuitas, & *Aquilis* fluuius, & *Aquilonia* &c. Quod autem Græci boues Ιταλὸς vocent, ab Italo Patre vocem natam arbitror, vtpote qui primus illos in Græciam, & Europam omnem nauigio importarit.

אגא *Aga*, Magnus, amplus, dilatatus. nomen dignitatis & amplitudinis, Synonymum Iaphet, nam & Saraceni hodie suos Magistratus, vel superiores, hoc nomine vocant. Inde *Agri* nomen ab *aga* atque *ra*, quia aperitur. Hinc *Agylla* ciuitas, ab Aga & *Ala*, atque *Agyllini* populi. *Agasus* portus. *Agones* populi. ab Aga & *ripa* fit nomen *Agrippæ*, atque *Agrippinæ*, vt postea dicetur &c.

אלא *Ala*; Amplus, Latus. nomen maiestatis, Synonymum Iaphet, propterea enim Deo tribuitur vnde locum amplum Galli *Hallas* vocant. hinc *Alex*, & *Allia* fluuij, litera *l* geminata per daghes. hinc *Albia* & *Alpia* iuga, atque *Alpes*, ab *Ala*, *Ba*, & *Pa*, & *Alpini* populi. *Alburnus* mons, portus, ab *Ala* & *Buro*, quasi Alburinus. *Alsium* oppidum ab *Ala* & *Sa*. Ab *Ala* & *Ta* *Aletium* & *Altium* vrbes. *Alatrium*, *Alatrini* populi, *Alternus* fluuius ab *Ala* & *Tara*. *Almo* flumen ab *Ala* atque *Ma*, vti *Alma* ciuitas. & hinc *Aldi* Itali, & *Aldobrandini*, ab *Ala*, *Da*, *Bara*, *Nada* &c.

עמא *Hama* scriptum per Hagin, per Aleph *Ama*, fecundus, multiplex, latus dilatatus, Synonymum Iaphet, vnde *Deus Hymen* atque *Hymenaus*, hoc est, multiplicans, in nuptijs inuocari solitus ob fœcunditatem. hinc latinum *Amplus* ab *Ama* & *Pala*, hinc *Amos* Hispani suos heros vocant, & *Amanos* Flandri quosdam magistratus. hinc fit *Ambra* fluuius ex *Ama* & *Bara*, & populi Lyguriæ *Ambrones*. *Amelia* oppidum ex *Ama* atque *La*. *Amyclæ* ciuitas ex *Ama* & *Cala*. *Aminæi* populi ex *Ama* atque *Na*. ex *Ama* & *Nata* fiunt *Amātini*. ex *Ama* atque *Ra*, *Ameria*, *Amerini*. ex *Ama* & *Tara* *Amiterni* quasi Amiterini, hinc *Imola* ciuitas, & *Hymella* fluuius, qui Tyberi influit &c.

ענא *Ana* siue *Hana* per aleph vel Hagin, latus, dilatatus, Synonymum Iaphet, nomen maiestatis, vnde nomen græcum Ἄναξ Regem significans. Inde *Ananes* populi, ex *Ana* atque *Na*. *Anio* fluuius ex *Ana* atque *ia*. *Anemo* flumen ex *Ana* atque *Ma*. *Anagnia*, *Anagnini*, ex *Ana* & *Gana*, hinc *Aniciorum* familia vetus, ex *Ana* & *Caa*, & *Antonij* Itali, ex *Ana* & *Tana* &c.

Anco, *Ancho* Hispanicè *Latus*, vocabulum Synonymum Iaphet. hinc *Ancon*, *Ancona*, *Ancium*, *Antium*, *Antiates* populi, quasi Anciates, *Anxur*, *Ancæ* oppidum, *Anxanum*, *Angitiæ lucus*, quasi Anchitiæ, nam *g* atque *ch* sunt cognatæ literæ &c.

הפרא *Apra*, *Aphra*, *Haphra* per daghes, vel raphe. *fæcundus*, *vber*, *copiosus*, siue *dilatatus*, Synonymum Iaphet. Vnde voces *Ephraim*, *Euphrates*, & *Africa*. hinc quoque *Afranij*, *Venafrum*, *Venafrani* populi à *Ben* atque *Aphra*. Ab *Apra* verò *Aprutium* Italiæ regio, *Aprusa* amnis, *Aprustium* oppidum, ab *apra* & *asta* & *asa* &c.

ארא *Ar*, *Ara*, vel *Hara* Magnus, Amplus, Latus, Synonymum Iaphet, vnde *Arboris* nomen ab *Ara* & *Bara*, quia se diffundit. hinc nomina *Herculis*, *Herorum*, *Heroum* & *Heroinarum*, vnde Gallica nomine *Roy*, *Royne* per Syncopen orta. hinc *Ardea* oppidum, atque *Ardeates*, ex *Ara* & *Daa*. *Arretium* ex Ara & Rata. *Arricia*, *Arricini* ex *Ara* & *Raca*. *Arriminum* ex *Ara* & *Rama*. *Arrinianum* ex *Ar* atque *Rana*. *Armenia* Italiæ flumen, ex *Ar* atque *Mana*. *Arpi*, *Arpinum*, *Arpinates* ex *Ar*, *Pa*, & *Pana*. *Aruerni* populi, ex *Ar* atque *Baro*, quasi Arberini, *Hernici* antiqui Italiæ populi ex *Hara*, & *Naca*, *Herbanum* oppidum, ab *Hara* & *Bana*, quod nunc *Oruieto* &c.

Arcas appellatiuū nomē Patris Lati, qui *Euander* dictus, quòd in *Arca* Noæ diluuij tempore cū coniuge inclusus, ab eo *Arcades* vetusti & primi Italiæ populi, & Peloponnesi, & ab *Arca* Noæa *Arcanum* vel *Arcennum* Italiæ ciuitas, *Arciādes* populi, *Archippe* ciuitas, quasi *Iaphet Arcæi* &c.

Argæus appellatiuum eiusdem, ab *Argo* naui, qua in Latiū appulsus, quæ ab vocabulo Noæ *Arcæ*, *Argo*, quasi *Arco* cognominata est, nam *g* & *c* literæ cognatæ sunt, vt supra ostēsū. Hinc celebres *Argonautæ* dicti, quorū Princeps Iaphet.

phet. hinc tot vrbes in Europa *Argos* appellatę. hîc & *Carthago*, quasi *Cariath*, id est, ciuitas *Argo*. & ab illa classe Patris Lati *Argo*, *Argessa* Italia dicta, & *Argous portus*, *Sacraria Argæa* seu sepulchra Romæ, & *Argæus* ibidem *Vicus*, & *Argonautarum porticus*, & celebris *Argiletus* in Romano foro, vbi eadem classis ex aquis educta, tandem computruit. huius *Argus Rostra* in eodem foro quoque collocata, insigne posteris Latini Patris monimentum fuere. ab *Argo* item *Argeades* oppidum, *Argentani* populi, *Mons Argentarius*, *Argentum* vel *Argenta* ciuitas, item Siciliæ *Agrigentum*, quasi Argigentum ab gente Argi, *Argos Ippium*, quasi Iappium à nomine Iappet, *Argiripa* ciuitas, id est, Argo lata, vnde nepos Iapheti *Ryphat* appellatus, ex quo sunt *Ryphæi*, qui & *dilatatum* sonant &c.

Aruns appellatiuum eiusdem Parentis, & idem quod *Arcas*, *Aron* enim vel *Areuna* hebraicè *Arca*. nam Iaphet dictus *Aruns Clusinus*, quòd in Arca clausus, qui primus Alpes transcendisse in fabulis legitur, vt infra monstrandum. Ab *Aruns Aruntes* & *Arunci*, & corruptè *Aurunci* primi & vetustissimi Italiæ populi, de quibus Maro Virgilius: *fama est obscurior annis, Aruncos ita ferre senes*. hinc & *Aruns* fluuius, & *Arnus*, quasi Arunus, *Arnia* oppidum, *Arnienses* populi. *Arona* oppidum Longobardiæ. *Aurinia* ciuitas. *Aurelij forum* & oppidum, *Aurelia Via*, *Auruni* populi Tusciæ apud Plinium, omnia ab *Aron* siue Arca Iaphet, deriuata nomina &c.

אשא *Asa*, *Assa*, vel *Asca*, latus, dilatatus. Synonymum Iaphet, vnde *Ascenes* dictus Pater Germanorum (qui *L'ascenets* vulgò appellantur) Iapheti nepos, & filius Gomeri. nam *sin* pro varia sede puncti daghes, *Sin* simplex aut geminum, vel etiam *scin* reddit. ab *Asa* autem fit *Asia* oppidum, *Asisium* ab *Asa* & *sa*, *Asseriates* populi ab *Assa* & *Raata*. *Asta* ab *Asa* & *Ta*, vnde *Astensis* Ducatus. *Astura* ab *Asa* & *Tara* &c. ab *Asca Asculum*, *Asculani* populi, ab *Asca* & *Ala*. *Ascanius* fluuius, de quo Virgilius: *trans Gargara, transque sonantem Ascanium*. *Ascanij* populi, ab *Asca* atque *Na*, & veteres *Osci* quasi *Asci* dicti &c.

אתא *Ata* idem. hinc *Attellæ*, *Athesis* fluuius, *Atina*, *Ateste* &c.

Auson & *Auxites*, epitheta Iaphet, quod mundum auxerit, atque in filijs fuerit adauctus, siue dilatatus iuxta prophetiam. *Auson* enim dictus ab Αὐξέω Augeo, vnde *Ausonia* Italia dicta, & *Ausones* populi siue *Ausonij*, hinc quoque *Auser* siue *Auxer* fluuius, et vrbes *Auximum*, *Axia*, *Axima*, *Vxentum* etc.

B

בא *Ba*, *Baa*, *Be*, *Bee*, *Bi*, *Bo*, *Bu* pro varietate punctorum siue motionum, *Latus*, *dilatatus* Synonymum Iaphet vnde vox gallica *beer*, seu *os dilatare*, et latinæ voces *beo* et *beare*, quod est, adaugere, et *beatus*, et *beatitudo* ingens et immensum bonum, quod animum explet, à *Ba* et *ia*, *Baiæ*, *Babacum* à Ba geminato, item et *Bauota*. à *Ba* et *Asta Basta* oppidum, et ex *Assa Bassanum*, vnde Turci *Bassas* suos præfectos vocant, quod est nomen dignitatis seu magnitudinis. A Ba et Bel, *Babel*, et *Babylon*, hoc est, diffusa siue dilatata, quo nomine *Romam* Petrus appellauit, tum quòd Patris Lati siue dilatati opus, tum quòd *Romæ* vocabulum *dilatatum* sonet, vti supra dictum. *Bæbius mons*

à *Ba*

à *Be* geminato, Item *Bebiana Villa*, *Babrix*, *Bebriacus* sinus, à *Bebe* & *raca*. *Basilicata* Italiæ regio, à *Ba*, *Sala*, *Cata*. A *Bo*, orti *Boi* populi Italiæ, *Bouillæ*, *Bobianum*, siue *Bouianum*, *Bobium* Castrum, *Bobonia* ciuitas, omnia nomina à *Bo* geminato. *Bononia* vulgò *Bolonia* (nam atque *N* apud hebræos sunt cognatæ literæ) à *Bo* atque *nana*. *Butrium* denique à *Bu* atque *Tara* &c.

בכאכא *Baca*, *Beca*, *Boca* &c. Synonymum Iaphet. vnde *bucca* dicta, quia aperitur siue dilatatur. *bacca*, siue *baccæ*, grana grandiora, quod multiplicentur. à *Baca*, *Bacanæ* oppidum. *Vagenni* vel *Bagenni* Lygures appellati, nam *g* & *c* cognata sunt. *Buca* oppidum. *Becuni* populi &c.

בכאלא *Bal*, *Bala*, *Bel*, *Bol*, *Bul* &c. Amplus, Latus, Magnus, Synonymum Iaphet, vnde quoque Gallicum *baailler*, hiare, seu os *dilatare*. Inde & *Balzebub*, Deus seu muscarum Dominus, & voces *Baliui* atque *Baliuatus*, nomina præfecturæ atque dignitatis. Inde *Bal* idolum, quod *Dominum* ferè interpretantur. hinc denique *Belus*, quem *Saturnum* esse D. Hieronymus asserit. adeo ergo verum, *Belum* Iaphet esse, qui solus cum coniuge Sibylla post Diluuium *Saturnus*, hoc est, *annis satur* & verè *longæuus*. cuius *Beli* opus sit, *Babylon* dilatata Roma, etiam *Saturnia* aptè nominata, quandoquidem Belus sit Saturnus. Sed quid pluribus argumentis opus? ipsa Domina *Roma*. *Balis*, *Balentia*, atque *Valentia*, etiam vocitata, vt Cedrenus in Annalibus asserit, *Belum* conditorem suum aptissimè suggerit. A *Bal* ergo, *Balis*, *Balentia*, atque *Valentia* Roma, *Balarus mons*, *Baletium* oppidum dictum & *Valetium*, *Balsanum* oppidum, à *Bal* atque *Sana*. *Blanda* oppidum & fons *Blandusia*. A *Bal* quoque sunt *Balones*, qui à *Bel*, *Belones* etiam appellati. Quos quidē Germani *Vvallones* vocarunt, & Galli *Valones*, vnde *Belgium* existit, quasi *Balonum* siue *Belonum* יו, seu *terra Belonum*, cuius primum colonum *Valgium* alij, alij *Beligium* nescio quem commenti, ignorantia etymologiæ *Balis* atque *Beli*, quæ Latum, Latinum, siue dilatatum significant, vnde piscis grandis *Balæna* appellatur, ob magnitudinem, à Germanis *Vvaluisch*, quasi *Valus* siue *Balus*, hoc est, magnus *Piscis*. inde *Baldi* Itali, inde quoque *Roma Balis*, necnō *Balentia* dicta, item *Valentia*, vt mox indicatum. in cuius ditione etiam *Valonia* ciuitas Calabriæ legitur. A *Belo* Saturno, siue *Bel* siue *Bol*; *Belunum*, *Belgradum* Illyrij, à *Bel* atque *Gara*, *Belicastrum*, *Blera* ciuitas. A *Bol*, *Bolæ* ciuitas, *Bolani* populi, *Bolsanum*, *Bolcetum* oppida, à *Bol*, *Sana*, *Cata*. *Bullini* Illyrij populi, inde quoque *Bullæ*, quod Principum edicta seù Rescripta continent &c.

בכאנא *Bana*, *Bena* etc. *Latus*, *dilatatus*, vnde *Ben* hebraicè filius, quia per filium Pater dilatatur, qua phrasi doctè Virgilius Christum Dei filium, *magnum Iouis* (seu Ieouæ) *incrementum* vocat. à *Bana*, *Bantia*, à *Bana* & *Ta*. Ecl. 4.
Benacus Lacus, *Benacenses* populi, à *Bena* & *Aca*. *Beneuentum* à duplici *Bena*, quasi Benebenetum &c.

בכארא *Bara*, *Bera*, *Bora* &c. grauis, grandis, Latus atque dilatatus, vox fæcundissima, & synonyma Iaphet. nam *Barium* Plinius *Iapygem* vocat, à quo Iapygia. hinc *Boreas* ortus, *Baro*, *Baronatus*, & Italum illud *Barigello*, à *Bara*, & *gala*, nomina amplitudinis, atque dignitatis. quin & feri illi Romæ euersores, hoc illustri nomine semper gloriati, nam se *Barbaros* dicebant, teste Baronio, hoc est, *dilatatos*, nempe ab Italo, seu Iaphet parente, quæ vox à gemino *Bara* conflata est. hoc nomine Hebræi suos filios vocant, quia per filios Pater dilatatur, atque adaugetur. Hinc *Barabbas*, id est, *filius Patris*,

nem-

nempe Latinorum & Europæorum, grandi mysterio *Romanum* signabat, qui clamore Iudæorum ad necem poscentium Christum,& morte eiusdem,à vinculis peccatorum dimissus, & liberatus est, Ecclesia ex Ælia Solyma in Latium & Romam translata, quæ crimina dimittit. Erat autem tunc temporis,sub Tyberio Cæsare, quo Christus imperante passus, Romanus *filius Patris* Dilatati Iaphet, seu (quod idem) *Barabbas*,erat, inquam is *insignis vinctus; latro, homicida,* qui cædem (sed insignem) fecerat *in seditione*. insignis vinctus,ob insignia crimina, quæ ipsum coram Deo ligabant atque vinciebant, idololatriam, Sodomiam, cæteraque peccatorum vincula, de quibus Apostolus scribens Romanis testatur. erat etiam *Latro*,ob Imperium Romanum non iustissimè partum, seu veriùs *latrocinio* grandi occupatum. Nam eo inuadendo, præter ciues necatos bello illo ciuili, supra quater centena Pompeianorum millia, à Iulio Cæsare interfecta scribuntur. Huic hæres Augustus cruenta cæde seu proscriptione in Triumuiratu, quasi parentauit. Quæ quidem Barabbæ Romani peccata, per *latrocinium*, & *homicidium*, & *seditionem* Scriptura expressit. Sed et horum proximus Tiberius successor,sub quo Christus mortuus, multa quoque crimina ad illa adiecit. Quid de Caio Caligula dicam, vitiorum omnium monstro ac portento? Atqui Iudæorum crimine Christum nolentium, et eiusdem Christi sanguine ac morte effectum est, vt sub Caligulæ sucessore Claudio,quantumcumque reus ac noxius,*Barabbas* Romanus,è vinculis exiret,nam tunc Ecclesia Christi seu Cathedra Petri Romam traducta est, in qua remissionem peccatorum esse in Symbolo fatemur. Verum *Barraba* relicto, ad *Baros* nostros Latinos reuertor. à quibus gens omnis Trans Alpes *Hyperborei* vocati, vt Authores tradunt, quia *super Baros* Latinos primos, nempe habitarent. Quare gentilitium *Barbarorum* nomen, quod ab eadem voce *Bara*,(puta geminata) principium sumpsit, illustres personæ atque familiæ non sunt dedignatæ, vti S. *Barbara* clara genere indicat (quis enim credat vocabulo inhonesto à patre nobili filiam appellatam? aut cur inhonestum voces et interpreteris,Patris Italiæ, ac Europæ nomen?) *S. Barbarius* item Episcopus Africæ,et alij plurimi. Cur igitur vox hæc in contemptum abijt? *Barbaros* enim inhumanos dicimus, et *Belial*,quod est, *Beli* seu *Saturni* nomen,Patris Italorum et Europæorum, in Scripturis, vt turpe notari, non semel videmus. Idem de *Raca* et *Barona* vocibus quoque concedendum, quarum hæc postrema,magnæ contumeliæ apud Italos hodiernos vox est. Atqui nihilominus à *Raca Reges* quasi Raches dicti,à *Bara*,*Barium* et *Barones* illustres personæ, atque *Baronatus*, et *Borboniorum* Regia stirps, item *Borromæi* à *Baro* et *Rama*,et scriptis Ecclesiæ Annalibus clarus *Baronius*.à *Bala* seu *Belo*,*Baliui*,atque *Baliuatus*, *Balones* populi ac *Belgæ*, atque *Balis* Roma,vt testis Cedrenus.rationem contemptus infra docebimus. A *Bara* igitur *Barium* Apuliæ, Calabriæ, et Longobardiæ,vti Lotharingiæ,nomen deriuauit.item *Bracianum*,quod etiam *Bracenum* à *Bara* et *Cana*,*Bradanus* fluuius à *Bara* atque *Da*, inde et *Bardo* mons,et *Barduli* oppidum. Et à voce illa duplicata,*Barbaranum* oppidum, *Barbaranus* amnis,*Varrubarini* veteres Italiæ populi. A *Bara* et *Bero* illustris *Barberinorum* Familia existit, nuper etiam supremo Pontifice decora. Sed et ab eodem *Bero*, *Beretium*,*Bergomum*,*Bergomates*,à *Bero* et *Gama*, *Calabria* et *Calabri*,à *Cala* et *Bero*. *Brennus* amnis, *Beruni* populi apud Plinium,qui et *Breuni* dicti. *Berunum*,à *Bero* et *Na*. *Brenta* fluuius à *Bero* et *Nata*.

Brun-

Brundisium, quasi *Suais*, vel ingressus *ad* Berones, nempè è Græcia. et *Brixia*, *Brixianus* ager, à *Bero* & *raca*, *Brixellum* à *Bero* & *Cala*. *Byracelum*, siue *Viracelum*, *Byrrus* amnis, *Boron* fluuius, *Bormium*. à Boro et *ma*. *Burgum* ad extremum, vnde Romæ *il Burgo*, quasi *Buronum* siue Beronum יין (*terra* Latinorum) qua appellatione innumera oppida Germanię gaudent, vt *Hamburgum*, *Presburgum*, *Neoburgum* etc.

Breet Germanicè *Latus*, Synonymum Iaphet. inde et *Brettia* Italia dicta, et populi *Brutij*, quos Græci Βρεττίους appellant, inde et *Bretina* oppidum, atque *Bretolia*. Insula in Adriatico. A *Breet* quoque *Britones*, et *Britannos*, atque *Britanniam* ortos opinamur etc.

C

כא Ca, Caa, *Latus*, *dilatatus*, Synonymum Iaphet. vnde *Magnum Chaos* ortum, res magna ac diffusa, ac etiam confusa. *Pons Cæstius*. à *ca* atque *Asta* hinc *Cæcubus* ager, *Cæcubum* vinum, ex *Caa*, et *caba*. *Cuculum* oppidum. ex *ca* geminato. *Cæcina* fluuius, *Cæcinum* promontorim. ex *caa* et *cana*. ex *ca* atque *Raba*. *Carbones* Romani oriuntur, quasi Carabones, et *Carboniani*. A *ca* quoque et *ia*, *Caieta* ciuitas, et *Caij* Romani prænomen sumpserunt. siue amplitudinis, siue dignitatis etc.

כאבא Caba siue *Caua*. idem significans. vnde vox *cauare*, quo foramen dilatatur. hinc *Caudium*. quasi Cauadium à *Caua* atque *Da*, et *Caudinus ager* seu *furcæ Caudinæ*. *Caulon*, *Caulonia* oppidum, quasi sit Caualon, et Caualonia, *Cæcubus* ager, vti modo dictum, et *cibus*, quòd toto corpore ille diffundatur, in sanguinem aut chylum mutatus etc.

כאלא Cala, vox fæcunda, Synonyma *Iaphet*, hoc est, *dilatati*, *Magni*, *Ampli*. vnde *Cœlum* dictum ob amplitudinem, ac diffusionem, seu immensitatem. et florum *Calices*, quia se expandunt. hinc *Cales*, *Caleni* populi, et *Calenum vinum*, de quo Horatius: *Cæcubum, & prælo domitam Caleno tu bibes vuam.* Item alias: *sed pressum Calibus ducere Liberum*. hinc quoque *Calatæ*, *Calatini*. hinc *Coelius Mons*. atque *Cæliolus*. quasi paruus Cœlius Romæ septicollis. quin à Cala *Collis* atque *Colles* dicti, quia in altum extenduntur siue porriguntur. *Caletrani* populi Etruriæ, à *Cala* et *Tara*. *Calaris* ciuitas Sardiniæ. *Calabria*, *Calabri*. à *Cala* et Bero. *Claterna* oppidum, quasi Calaterina, à *Cala* et *Tara*. *Clitumnus* fluuius, quasi Calituminus, à *Cala* et *Tama*. *Clastidium* oppidum, à *Cala*, *Sata*, *Da*. *Clanis* et *Clanius* flumen. Comitia *Calata*, à multitudine, quæ ad ea confluit. hinc quoque *Colonia*, et *Columna* à *Cala* et *Mana*. ob magnitudinem ita appellata, vnde *Columnarum* inter Latinos siue Dilatatos familia vetus sibi nomen fecit. Porrò ab eodem *Cala*. existit *Colossus*, quod est saxum, statua, Columna, Pyramis, vel quæuis res ingens, ac longè, vel latè diffusa, à *Cala* & *Assa*. Inde & *Colossæum* vulgò, il *Colisæo*, locus vel theatrum ob amplitudinem ita appellatum, quod Romæ etiamnum visitur. A *Cala* denique *Calendæ* profectæ, & *Calendarium*, quasi *Caleni* seu Latini *dies*, atque *Diarium* &c.

כאמא Cama, Latus, Amplus, Magnus, siue Laxus, Synonymum Iaphet, etiam latè patens. nam hinc χαυμὸς græcum oritur, idem significans, vnde *Chasma* cœli hiatus vocatur, & *Caumata*, cum se terra aperit & dilatat. & *Camænæ* Angelicę mentes, ob naturæ amplitudinem atque maiestatem, quam-

quamobrem etiam *Musæ*, *Nymphæ*, & *Napææ* dictæ, vt infra monstrandum. A *Cama* igitur *Camesena* Italia vocata, *porta Camænia* Vrbis, *Cumæ*, *Cumani* populi, vnde Sibylla *Cumana*, *Caumenij* seu *Camuni* populi, *Comum*, & *Comius Lacus*, *Comacium*, *Comacum*, *Camers* & *Camertes*, à *Cama* & *Rasa*, seu *Rata*. *Camarina*, *Camarini*, à *Cama* atque *Ra*, inde & *Cimmerij*. *Cyminij* populi, *Cyminius Lacus*. *Cymæ* vrbs. *Campania*, *Campani*, & *Campanus Ager*, à *Cama* & *Pana*. Inde quoque *Campus*, *Campanæ* seu *æra Campana*, quæ sunt æra igne fusa, à *Cama* & *Pana* &c.

כאנא *Cana*, idem quod *Cama*, vnde & Græcum χαυνὸς, Latus, amplus, Synonymum Iaphet vt Germanum, *Coninc*, quo nomine Reges indigetant. vti autem à *Cama*, *Camesena* Italia appellata, sic à *Cana*, *Chone* & *Chonia*, vt authores tradunt. & Itali *Chones*, & *Chonij*, & *Chonium mare*, inferum nuncuparunt. à *Cana* item *Canusium*, atque *Canusini*, à *Cana* atque *Sa*. *Cannæ* & *Cannenses*. *Cænini* populi atque *Cænomani*, à *Cana* et *Mana*, atque *Na*. *Cænis* promontorium. *Volcaniæ* Insulæ à *Bol*, atque *Cana*. à *Cana* quoque orti *Cinei* seu *Cnei* Romani, vt *Cnæus Pompeius* etc.

Hic obserua obiter grandi mysterio Christum primum signorum *in Cana* fecisse, atque aquam in vina vertisse nuptiali tempore, quia rem similem in Latio (quod *Chone*) vel Italia facturus, in Eucharisticis nuptijs, vbi suum Corpus corpori Christiani hominis atque Sacerdotis quotidie iungeret, atque copularet, vt fit in nuptijs, vbi Panem et vinum prodigio maiori, quamuis consimili, in Sacrum Corpus et Sanguinem suum conuerteret, et transubstantiaret, vt Patres loquuntur. Meritò ergo hoc signum Christi Eucharisticum siue miraculum, *primum signorum*, seu Sacramentorum, ab Orthodoxis Romanis vocatur etc.

כאפא *Capa*, *cappa*, *capha* pro varietate punctorum significat *Latum*, atque *Magnum*, Sinonymum Iaphet. Vnde magna vestis, & cæteras tegens, *Cappa* appellatur, & vir magnæ ætatis & prouectioris, *Capularis senex*. Itaque occulto Sacramento Petrus etiam à Christo *Cephas*, vel *Cypho* vocatus, (qui veterum *Capys*) idest, saxum, siue petra ingens, ob Latinam Ecclesiam super illo fundandam, quæ per totum orbem erat diffundenda. A *Capa* igitur *Capua* nomen habet, atque *Capuani*, & *porta Capena*, atque *Capenates*. Mons *Capreæ* & *Capraria* insula, atque *Caprasia*, à *Capa*, *ra*, & *rasa*. *Cupo* sinus. *Cupra* oppidum, inde item *Cyprus* &c.

קארא *Cara*, *Cera*, *Cora*, *Cura* &c. Latus, expansus, diffusus, extentus, Sinonymum Iaphet, vnde ab extensione, seu diffusione, *Cera* & *Corium* nomen habēt, item *Ceremonia* ob multitudinem mysteriorum, vel amplitudinem, & magnitudinem, quam ceremonia, siue sacer ritus repræsentat. Inde quoque Κοιρανοὶ Reges appellantur. Inde *Curia* dicta, locus amplus & magnus, quo Senatores conuenire solebant. Hinc & *Quiris*, *Quirites*, seu *Cuiris* hasta, ob extensionem in longitudinem, vnde Romani *Quirites* appellati, vt postea dicendum. Hinc quoque Persarum Reges *Cyri* appellati, & Græcum Κύριος hinc ducitur, quod *Dominum* sonat, hinc & *Cyrce* dicta, quasi Κυριακὴ, hoc est, Ecclesia Domina, nam etiam Germani hodierni *Kirch* Ecclesiam vocant, Dominæ autem Ecclesiæ, siue *Cyrces* locum in *Circæo monte*, in Italia sito, puta in Romanis collibus, Poëtæ locarunt, quoniam ibi Petri Sedem collocandam ex Sibylla hauserant. Qui Petrus etiam *Romulus Quirinus*, seu *Cyrinus* vocatus, quod Crucem Christi in Sacris Romanis portare debe-

deberet, vti & in morte ibi obeunda, de quo in *Ramulo* fusiùs, vbi de *Simone Cyrenæo* agemus, qui Crucem Christi Domini baiulans, verum Petri *Simonis* & *Romuli Quirini* siue *Cyrænei* vaticinium fuit, quẽ similiter Romani quoque angariatunt, Cruce Christi ferenda. A *Cara* igitur *Caracalæ* descendũt, item & *Caraffæ*, *Carni* populi, quasi *carani*. item *Caraceni*, à *cara*, & *cana*, vti, & *Carcinum*. *Caracca* oppidum. *Caristum* à *Cara* & *Asta*. *Carseoli* à *Cara* & *Sala*. *Carillæ* à *cara* & *cala*. *Crater* & *Crathys* fluuij à *cara*. *Tara*, *ta*. *Aqua Crabra* à *Cara*, & *Bara*. *Cere* oppidum. *Cremera* à *Cera*, & *Mara*. *Crema* à *Cere*, & *Ma*, *Cremona* à *Cere* & *Mona*. *Cerdonia*, à *Cere*, & *Dana*. *Corona* oppidum. *Corioli*, *Cortona* à *Cora*, & *ta*, vti & *Corytus*, *Corsica*, Insula à *Cara*, & *Saca*, *Corniculum* à *Cora* & *Naca*. *Crotalus* amnis, a *Cora*, & *Tala*. *Cures*, *Curtius lacus*, quasi Curetius, quo nomine Tyberis voraginem appellarũt, vbi eques *Metius* Maxentius demersus, vt postea monstrandum &c.

קאשא *Casa*, *cassa*, *casca* &c. Latus, amplus, Synonymum Iaphet. hinc Nobiles *Cassij*, & *Cascæ* Romani. hinc & Chisiorum familia nobilis, etiam hodierno Pontifice clara, & quo imperante Roma Patrem agnouit. item *Cesij*, & *Cesones*, qui hodie supersunt. hinc *Casalia*. *Cesena* oppidum. *Cosæ*. *Cosa*. *Cosentia* à *Cosa*, & *Nata*. *Casinum*, *Cassinum*. *Casilinum*. *Casperia* à *Casa*, & *Para*. *Casinum* porrò Varro etiam *Cascum* dici affirmat, puta ob *sin* literam, quæ & *scin* ab eadem radice, dicitur. A *Caa* & *Sara*, *Cæsarum* nomen ortum arbitramur, non autem (vt quidam scriptum reliquerunt) quòd cæso Matris vtero Iulius Cæsar extractus. nam verisimile haud fit, sequentes Cæsares id nominis fuisse retenturos, quod scirent à tam ignobili origine prodire, sed potiùs se *Caios* aut *Iulios* dicerant, si primi Cæsarum nomen affectarẽt, vti & *Augustos* ab imperio aucto atque propagato potius, quam *Augusto*. Adde quod & *Siri* Galliæ Reges appellantur à vocabulo *Sara*, quod amplitudinem & Dominium sonat, quæ vox dimidia *Cæsarum* &c. Lib. 4. de ling. Lat.

קאתא *Cata* Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet, vnde *Catullire*, vox fœcunditatis. hinc *Cati* Romani, *Catones*, & *Cottæ*, atque *Catilinæ*. *Catuli*, & *Catulli*, & *Cethegi*, à *Cata* atque *Ga*, quod est propagari, seu multiplicari. Hinc & *Cetegrandia*. Atque ab hac voce, *Cethim* Iauanis filius Parentis Minorum Græcorum, qui etiam hodie *Ieuanim* appellantur, idem Iapheti nepos. A *Cata* porrò *Catana* Siciliæ oppidum, *Cetia* Italiæ, *Cotylæ* antiquissima ciuitas. *Cutiæ* oppidum. *Cutiliæ* lacus, *Caturiges* populi Longobardiæ à *Cata* & *Raga*, &c. Gen. 10. Italic: lib. 2. de Antiq. Rom.

D

דא *Da*. *Daa* Latus dilatatus, amplus. Synonimum Iaphet, dictio Maiestatis & Amplitudinis, vnde vox est *Dei*, atque *Deæ*. inde quoque *Lydus* & *Deebris*, *adauctus* fluuius Tyberis dictus, à *La* atque *Da*, & *Daa* & *Bero*: hinc *Daæ* populi, id est, dilatati, & *Madai* eorum populorum Parens, & filius Iapheti, à *Ma* atque *Daa* &c. hinc & dicti *Dodanim* patens Dodonæorum, filius Iauanis, & Iapheti nepos, a *Da* atque *Dana* &c. Gen. 10.

דאבא *Daba* siue *Daua* cum daghes aut raphe]. Latus. Dilatatus. Beatus. adauctus. Synonymum Iaphet. hinc dictio *Diuus*, quo nomine adulatoriè defunctos Cæsares Romani vocarunt, quasi à morte in cælis beatos, atque omnibus bonis diuites atque cumulatos, quod vox hebraica sonat.

H Nam

Nam & inde *diues* & *diuitiæ* profluunt, atque *Deucalion* Iaphet, à *Deua*, & *Cala*, vti supra dictum, à *Da* similiter, vox.

דאלא *Dala*. *Multiplicatus* atque *dilatatus*, Synonima Iaphet, vnde est græcum Δαίδαλος, qui latinè *Dædalus*, varius seu adauctus, vnde Iapygis seu Iapeti Patrem *Dædalum* vocarunt, puta *Noam*, mortalium omnium à Diluuio Authorem. à *Dala*, *Dalmatæ*, atque *Dalmatia* à *Dala*; & *Mata* &c. à *Da* quoque דאגא *Daga* idem significans, nam hinc *Digas* aggeres et montes, qui mare compescunt, & canem magnum *Dogam* Galli vocant. inde *Dugentorum forum* Italiæ ciuitas. à *Da* quoque.

דאמא *Dama* diffusus, latus, dilatatus. vnde vox *Domini* à *Dama* atque Na. & tot Græca nomina in δαμας finita, quæ Regem, seu rectorem significant, vti *Polydamas*, *Iphydamas*, quod est, Iaphet Rector siue dilatatus, *Eurydamas* idem. inde *Domitius*, & *Domitianus*. atque *Dampetia*, à *Dama* & *Pata*, à Liuio memorata ciuitas *lib*. 40. hinc & barbaræ voces, *Dama*, *Domicella*, & *Madama*, à *Ma Da* & *Cala*. cui cognatum *Dona*, siue *Donna*, vnde *Don* Hispanum, & Italicum *Donne* & *Madonne*, et vox græca *Dynastæ*, ab eodem *Dana*. Hinc & *Dan* Iudices, seu Rectores suos Hebræi vocarunt.

דארא *Dara*. Latus, dilatatus, amplus. Synonymum Iaphet. Vnde Medorum, ac Persarum Reges *Darij* vocati. Hinc *Darái* Italiæ populi, & *Dardani* Græciæ, quasi *Daradani*. a *Dara* quoque *Doria* fluuius, et Italię Regio, et *Duriæ* locus, atque *Doriorum* Familia nobilis. Hinc quoque *Dertona*, quasi Derretona. *Drinium* fluuius, quasi Darinium &c.

E

אלא *El. Ela*. Dilatatus, magnus. Synonymum Iaphet, nomen Maiestatis, quod Deo tributum, vnde *Emmanuel*, *Eli*, et *Eloim*. Hinc nomen *Elisæ* parentis Græcorum, et nepotis Iaphet,, ab *Ela*, et *Sa*, qui Ελληνες dicti ab *Ela*, atque *Na* inde et Gallica interiectio *Helas*, quæ *Deum magnum* significat, ab *Ela* atque *Sa*. et ελαιον græcum, quod *oleum* designat à diffusione,. ab *Ela* porrò fit *Elba* Italiæ Insula, *Elea* vrbs, *Elees* amnis, *Eleates sinus*, *elephorus* amnis, ab *Ela* et *para*, et *Elorus* ab *ra*, et *Helotæ* in Græcia populi etc.

אמא *Ema*, idem. vnde *Emporium* magna et nobilis commercio ciuitas. ab *ema*, et *para*. hinc igitur *Emporium Pisarum*, et *Placentinorum*, et *Empulum* oppidum ab *ema* et *pala* etc.

אנא *Ena* idem. vnde *Enacim* gigantes hebraicè appellati. hinc *Entella* Italiæ ciuitas, ab *Ena* et *Tala*, inde *Enna*, et *Ennenses* Siciliæ populi etc.

אפא *Epa*, *Epha*, idem. vnde gens *Epei*, et mons *Epopeus*, ab *Epa* et *paa Eporedia* ciuitas. *Eporedii* populi à *Epa* et *rata*, inde & vox *Ephraim* ab Epha atque ra etc.

Ευρυς, *Europæus* Dilatatus, *Latus*, Epitheton Iaphet, vnde est *Europa* ab Ευρυς ποιεισθαι, hoc est, *lata facta*, siue dilatata, ob eum colonum diuinitus summè dilatatum, inde et *Euripi* ingentia loca, quæ aquis replentur, inde *Eurytus* Argonauta Iaphet. inde Ευρυτιδης Ιαπετος idem ab Homero Scripturæ sacræ conformiter dictus. inde et *Euander*, quasi ευρυς ανηρ, homo latus, qui *Arcas* ab *Arca* Noæ. Ab ευρυς porrò fit *Eurotas* fluuius, atque *Eritenus*.

Ere-

Eretum oppidum, de quo Virgilius; *Ereti manus omnis*. *Erytræa Sibilla* ab ευρυς & Tara, atque *Erophyla* eadem Latina *Sibylla*, id est, *amans lati*, nempe, Iaphet coniugis, ab ευρυς & *Tara*, metathesi parua literarum *Etruria* efficitur, nam & *Tyrrheni* Etrurij appellantur. *Etrusci* verò id est, ευρυς *Tusci*, nam *Tosca* hebraicè latum significat. ab ευρυς item *Euryalus* oppidum, *Eryphysa* Insula ab ευρυς & φυω Iam ab *Europæo* Iaphet, *Opij* populi & *Opitæ* per Syncopen facti, qui sunt Europij, atque Europitæ. Ab ευρυς rursum *Euria*, seu *Yria* ciuitas Calabriæ, *Vrium* Apuliæ. *Hyria* Iapygiæ colonia iuxta Herodotum. *Euryclus* Siciliæ oppidum. *Eburi* quasi Euuri oppidum, & gens *Eburini*, quasi Euurini apud Picentes, nam ευρυς per epenthesim ευρυς, u vocali in consonam mutata b vel u, quæ cognatæ literæ, vt in *Ebora*, *Euora*, *Ebro*, *Euro* liquet &c.

G

גא *Ga*, *Gaa*, *latus* & *multiplex*, Synonymum Iaphet. hinc *Goi* hebræi *gentem* agnominant à multitudine, & græcis γῆ terra à magnitudine. Hinc latinum *Gygas*, a *Ga*, atque *Gasa*. hinc *Gaza* magnæ *diuitiæ*, à *Ga* atque *Aza*: hinc *Gabij*, a *ga* atq *Ba*, de quibus Propert. *Et qui nunc nulli, maxima turba, Gabi*. & *Gabini* populi. a *Gaba* item seu *Gaua*, *Gaurus* mons quasi Gauarus, a gaua & *ra*. a *Gada*, *Gadao* Italiæ vicus. *Gomer* filius Iapheti a *Ga* atque *Mara*, & florum *gemmæ*, quia se diffundunt. item *Scalæ Gemoniæ*. a *Gana*, *Genius* Angelus, ob naturæ maiestatem, *Genua*, *Genuenses*, *genus*, *gens*, *Generatio*, *Gnatia* ciuitas quasi Ganatia, sed maximè illustria vocis coniugata *Gala*, atque *Gara*, de quibus seorsim dicendum.

גאלא *Gala* latus, amplus. Synonyma Iaphet. vnde *Italia Gallica*, & *Gallia Italica*, Alpina, Padana, Cispadana atque Transpadana. *Galipolis* Iapygiæ ciuitas, iuxta Plinium, quasi *ciuitas Galli*, hoc est, hominis *dilatati*. *Gallinariæ Insulæ*. *Galæsus* amnis a *Gala* & *asa*, itē & *Glanius*. & *Gela* Siciliæ flumen. *Geloni populi* ibidem. ab eodem *Gala*. *Galilææ* regio, verum Italiæ ac Latij, seu Latinæ, ac Romanæ Ecclesiæ Symbolum in Scripturis, nam & hic *mare Tyberiadis*, quod Tyberis admonet, *gentium* dicta, ob gentilem Romā. Ibi *Capharnaum* Christi ciuitas vocata, quantulū a *Capheroniano* agro Italiæ distat, vbi altera Patria Christi ac spiritalis ciuitas, Ecclesia Romana? ibi et terra *Zabulon*, quæ terram Italam siue Sibyllinam signat, nam *Sibyllæ* nomen a *Sa* atque *Bala*, vt infra monstramus. Ibi porrò *Cæsaræa*, Cæsaream vrbem seu Romanam indicat, in hac Petrus Christum confitens, cęli claues accepit, ad *Cæsaræam* Vrbem Galilææ, sibi ante promissas. in *Cana*, vico Galileæ primum Christi signorum patratur, quod idem quotidie in *Chonia* Roma, vti supra dictum. *Petrus Galilæus*, hoc est, dilatatus, quia Romę victurus, regnaturus, atque moriturus, quę à dilatando quoque nomen sumpsit. *Petrum Galilæum* Latinum seu Romanum esse, *loquela eius* (quod Latinè sciret atque loqueretur, ob donum linguarum diuinitus datum) orbi vniuerso *manifestum reddidit*. Christum denique rediuiuum à morte *Apostolos* esse *præcessurum*, nempè, *in Galilæam*, ibique *videndum*, Apostolis Angeli solenniter predicant, quia officium & munus Apostolis impositum, quod fuit, Euangelium prædicare Romæ, Christus pręuenerat, Romanis per Sibyllam

annuntians, & prędicans diu ante Apostolorum aduentum Romam (cuius synonymum nomen *Galilæa* hoc est *dilatata*) omnia vitæ suæ, mortis, ac eorum, quę à morte peracta mysteria, per Sybillam (inquam) sancto Spiritu afflatam, qui etiam à Filio procedit. Ibidem item à morte excitatus Christus, in Eucharisticis sacris vsque ad mundi finem solemniter *videndus*, ac cōspiciendus, quamuis sub nebula specierum panis, atque vini, Ecclesia Christi à Iudęis eodem translata. Quę quidem Latina sacra (puta Eucharistica) solemnis apparitio Christi facta in Galilęa, vbi is apparens etiam disparebat, pręclarè designat. Hinc de hoc Itali a Sybilla instructi, *Faunum Deum* Christum apparentem, nempè in Sacrificio, & post disparentem eodem peracto (cui est à φαίνω, appareo, nomen) cum *Nymphis* Angelis, comitantibus Faunum, Sacrificij tempore, studiosè colebant. Et quia pluribus in locis, Templis, Altaribus apparere deberet, plurali quoque numero *Faunos* appellarunt. Hinc & Virgilius *Faunos* primos colonos Italię facit cum

Aeneid. 8. *Nymphis* Angelis, quę Fauno, seu Faunis assistunt.

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque colebant,
Gensque virum truncis, & duro robore nata.

Primi enim coloni Italię *Fauni*, atque *Nymphæ*, puta (dignitate) primi verò tempore, gens *Argonautarum*, vt supra indicatum, classe Argo exclusi, quę *truncis* arborum, & *duro robore* effecta, quod ad Domitiani tempus vsque permansit. Ideo solum *Faunum* Christum Romulus Petrus Deum coli pręcepit, puta idolis reiectis, vti leges Romuleę testantur. Hunc *Faunum bicornem* etiam *Euander*, seu Iaphet, à *Carmenta* matre Italorum edoctus de Christo venturo, eiusque Christianis sacris, inter pręcipua Numina reposuit, & filios Italos de his erudiuit: vti quidem Ouidius testis.

Fast. 5. *Exul ab Arcadia Latios Euander in agros*
Venerat, impositos attuleratque Deos.
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque Dei.

Sacra multa, seu Sacrificia boum, atque aliorum animalium docuit Latinos Euander ex Arca Noęa profectus, idemque à terra paterna, quasi exulfactus, idque exemplo parentis Noemi. Sed *prima* & Pręcipua Sacra *Fauni bicornis* Christi apparentis sub binis cornibus Remonstrantiarum, vt vocant, quibus hostia consecrata imponitur, olim instituenda. Nec moueat, quod *Faunum* Deum *Semicaprum* antiquitas formarit, quando & sponsa in Canticis Dilectum suum quoque *Capreæ* comparet, super *montes aromatum* salienti, qui sunt altaria, & Templa, ad quę *aromata* thuris offeruntur, super quibus Christus quotidie instar *Capræ* salit. Sacra verò *alipedis Dei*, idest, Mercurij, eadem quę *Fauni*, Christus enim Mercurius, hoc est, *Mariæ vterinus*, Verùm de hoc, libro secundo fusiùs agendum est. Itaque ad alteram vocem veniamus.

גארא *Gara*. Latus, magnus, Synonymum Iaphet. Vnde Itali *Grimani*, quasi Garimani, à *gara*, & *mana*, hinc Γέρων gręcè appellatus, qui magnę ętatis. inde & Latinum *gurges*, atque *Grumus*, à *Gara* geminato, Mons *Gargarus* dictus, & *Garganus* collis, à *Gara*, & *Gana*. *Garda*, *Gradus* Vrbs Italię. *Mons Garighanus*, à *Gara*, & *Lana*. *Grauina* ciuitas à *Gara*, et *Bana*, vnde Italum *Garbino*, et *Garuli* populi, *Lygures* appellati nam etiam *Lygures*, atque *Lyguria* à *la*, atque *Gara* proueniunt. à *Gara* quoque, Gręci,

atque

atque Graij Romani per excellentiam vocati fuere, vt supra monstratũ, vti Italia *Græcia Magna*, siue *Maior*, nam Ionia atque Hellas Minor. inde & Romæ *Græcostasis*, quæ *Græcorum statio* etc.

H

Hercules, qui græcè Ηρακλῆς, nomen appellatiuum Iaphet, hoc est, *dilatatus*, ab *Hara* & *Cala*: huic plurima epitheta donata, *Thebani*, qui primus Alpes transcẽdisse legitur, ob colonias Iapheti in Galliam atque Germaniam ductas, *Bauli. Argiui. Monæci*, vnde *Arx Herculis Monæci*, vulgo *Monaco* dicta, *Labronis*, siue *Liburini*, vnde est *Lyburnum*, *Tiburtini* à Tibure condito. porrò *Thebanus* Hercules Iaphet dilatatus à *Theba* dicitur, Hebraicè *Arca*, à qua multæ vrbes *Thebæ* appellatæ, Thebæ Palæstinæ, Ægyptiæ, Græcæ & Italæ, vt postea monstrandum, *Baulus* à *Baal*, vnde *Bauli Herculis villa* in Latio. *Argiuus* ab *Argo*, *Monæcus* à *Mona* & *aca*, hoc est, dilatatus. *Labro* & *Liburinus* à *La* atque *Bara*. Quoniam verò *Hercules* nomen est appellatiuum, non proprium, *hominem amplum* significans, ideo Christus *Hercules* ab antiquis etiam agnominatus, qui *Cacum* in Italia occidit, quem *Euander* Iaphet veneratus, *Ara maxima* Romæ illi constituta, in qua maxima Hostia Christus offerretur, vt postea dicendum, additis *Potitijs* Ministris, atque *Pinariis*, hoc est, *Panariis*. ab *Hercule* porrò Iaphetio loca illa Italiæ nomen sibi sumpsere: *Heraclea*. *Herculea via*. *Herculanum* oppidum. *Herculis portus* vulgo *Porto Hercole*. *Portus Herculis Monæci*. *Herculis Labronis*, seu *Liburni portus* etc.

I

יה *Ia* amplus, dilatatus, Synonymum Iaphet, vnde etiam oritur. Nam est nomen Dei, cui et *Sa* additum, venerandum & Augustum nomen *IESV* facit. A *Ia* & *Sasa* *IESVS*, quod est *Deus diffusus* nempè in hominem, per Incarnationem, seu *Deus saluans*, vnde σώζειν Græcis est *saluare*. A *Ia* *Labonia* fluuius, à *Ia* atque *Bana*. *Iadera* Illyrij colonia a *Ia* atque *Dara*. *Ianua* Genua appellata, à *Ia* atque *Na*, *iod* enim & *ghimel* literæ cognatæ sunt. *Ia* autem nominibus additum, illis amplitudinem & augmentum tribuit, teste Sancte Pagnino &c.

Iaphet nomẽ Pãtris, Romanorũ, Latinorũ & Europęorũ, vt hactenus ostẽsũ, antiquorũ *Iapetus* *Iapyx*, *Iphys* & *Iphitus* & Græcorũ Ιαπετός, à *Ia* atq; *Patah*, id est, *dilatatus*, quem ideo *Belum* etiam appellarunt, & ob longam vitam *Saturnum*, quasi *Saturum annis*, vt M. Tullius interpretatur, & ob bonitatem *Euandrum*, *Arcadem* ab Arca, cuius *Argus* siue Argo *Hospes* in *Argileto* Romæ interemptus. Dictus quoque ab antiquis *Iouis* & *Iuppiter*, hoc est, *Iaua Pater*, Pater dilatatus, cuius filius *Iauan* Græcorum Parens, qui etiam hodie *Iauanim* ab Hebræis dicuntur à *Iaua* atque *Na*, vnde *Ionia*. Porrò Iupiter *in Taurum mutatus*, hoc est, *in Tauricam* translatus, *Europam* suas proles Europæas, primam Europæ gentem *per mare deuexit*. idem *Deucalion*, *Hercules* cum epithetis supra enarratis, *Aruns Clusinus* ab *Aron*, seu *Arca* paterna, in qua olim clausus, *Arion* ab eadem *Arca* inter *Delphinas*, filios vtero Europæ seu Delphicæ Sibyllæ prognatos, qui *Delphini insidens*, hoc

est,

eit, eiuſdem oraculis innixus, per mare primus inequitauit : *Pelops antiqui* nempe mundi ante diluuium *ſpectator*, à quo *Peloponeſus*, quæ *Pelopis Inſula*, ſeu Πέλωπος Νῆσος. *Argonauta*, *Argæus* ab *Argo*, cuius nauta fuit. *Typhys* princeps Argonauta, id eſt, *Iaphet latus*, à *Ta* atque *Iphys*, ſiue *Iaphys*. *Oenothrius* filius *Oenothri* Noë, ab οἶνος ſeu vino ita appellati, vnde *Oenothria* Italia dicta, & Itali *Oenotrij viri*. *Auſon* ab Αὐξέω augeo, dilato, vnde ſunt *Auſones*, atque *Auſonia* eadem Italia. Αεταλὸς, quaſi αετὸς ἁλὸς, ſeu *Aquila maris*, vnde fit *Italus*, cuius *filiam Romam* eſſe tradunt, atque *Italia*. *Latus* & per Syncopen *Atus* primus Latij colonus, à quo *Latium*, & *Latini*. Πλατὺς per epentheſim Παλατὺς, vnde *Palatium* atque *Palatinus collis*, atque *Palatini Comites*, qui Comitem Euandrum ſecuti, iuxta Virgilium, & cæteros authores. Πλατὺς per Syncopem, *Atys*, qui primus etiam inquilinus Italiæ fertur. *Inuus* quaſi υἱὸς Νῶε, ſeu filius Noæ, à quo *caſtrum Inui*, puta *Palatium*, de quo Virgilius. *Inachus* idē *filius Noæ* quem teſte Ioſepho, Græci *Nacum* quaſi *Noacum* vocant. ab υἱὸς autem & Ναχυ fit Inachus, vnde græci *Inachidæ* appellati, & *Inachia Argo*. *Inachum* autem *priſcum* Horatius vocat: *Diueſne priſco natus ab Inacho ; nil intereſt, an pauper*. Iaphet porrò atque coniux eius, verus Europę *Delphis* ſeu vterus fuerunt, ob quos Etruriæ incolas, Tyrrheni *Delphines*. veri item *Indigenæ*, & *Aborigines*, qui *Græci* Maiores, ſeu per Antonomaſiam, vnde Itali ita appellati, quia *inde* ſeu *ab* illis, omnes Europæi *geniti* & *originem* duxere. ob quorum Sibyllinam ſiue fatidicam *Argo*, ſiue Claſſem ex *truncis* arborum, & *duro robore* perfectam, primi quoque eiuſdem regionis coloni *truncis* arborum, atque *dura quercu* excluſi ferũtur. Is *Pelaſgus* à *Pala* ſeu Latina *Argo*, & *Maris* id eſt, *Dilatatus*, primus Auſonum conditor. is *Iapetus Aetalea* & *Cameſes* Anniani Beroſi, quem quidem 112
Iapetum in Italia ſepultum Silius Italicus teſtatur. is *Arcas*, ob quem *Arcades* Itali *Luna* ſeu *Lunatis Tauricis* origine priores. Is *Appius*, à quo *Via Appia*, *Deus Peninus*, & *Apis*, & *Deus Aponus* in Italia cultus. Is denique, a quo propè omnia Italiæ Synonyma, regiones, loca, populi, familiæ veteres & recentes, nominum ſuorum rationem deriuant, vti hactenus monſtratum, & deinceps monſtrandum. a *Iaphet* verò ſiue *Iapet* cum puncto Daghes ſeu Raphe, *Iapygia* Italia omnis, vel pars eius maxima, appellata fuit, quaſi *Iapicia*, nam g & c ſunt literæ cognatæ, & *T* & *C* ſæpè conuertuntur, vt in vocibus *Latii*, *lætitiæ* & cæteris patet, quas *Lacium* atque *Læticiam* vulgus pronuntiat, ne ergo mireris Iapygiam pro Iapytia inflecti. a *Iapet* quoque *Iapidia* ſeu Illyris regio, quaſi *Iapitia*, nam *d* & *t* cognata, & *Iapides* populi. *Iapygium* promontorium, quod *Acra Iapygia*, quaſi extrema Italia dicitur. per Syncopam autem a *Iappet*, quod punctum forte daghes efficit, fit *Appius* & nobiles *Appii*. qui per Syncopam *Pii* etiam adhuc extant. vti a *Ryphat* Ryphæus *t* vltimo abiecto, vt Ioſephus tradit, a quo *Via Apia*, & *Appii forum*, *Appianum caſtrum*. item *Apenini montes*, quaſi *Iapenini*, ab hoc item *Peninæ Alpes*, ab hoc *Deus Aponus*, & *Aponus* fons, fluuius, & *Apona tellus*, ager Patauinus, *Apua*, *Apuani Lygures*, *Aphanna*, & *Apina* oppidum, *Argos Hippium*, *ſinus Hipponiates*, ab hoc item *Patauium*, *Padua*, *Padus* prima Syllaba dempta, *Petilia*, *Peticuli* populi, ſiue *Pediculi*, *Petilini* montes, *Phiternum* quaſi Iaphiternum, & omnia a *Pata* deducta, de quibus ſuo loco dicetur. Atq; hic notandum Gallos *Iuppes*, & *Iuppons* veſtes laxiores & productas dicere: quod ſanè *Iappii*, *Iaphii*, ſeu *Iapeti* notationem firmat, qui eiſdem literis, ac

dila-

dilatet, hebraicè expressus, vti supra ostensum &c.

ישא *Iasa*, siue *Isa*. *Iassa*, atque *Iascha*, diffusus, amplus, *dilatatus*. vnde Augustum Nomen IESV deriuatum diximus, quod *oleum effusum* in Canticis vocatur, verus flos seu Nazarenus, ortus à radice *Iesse*, per syncopem *Isai*. ab *Isa* autem similiter *Is* fluuius manat, & *Ister* ab *Isa* & *Tara*, & *Istria* regio, *Issa* Insula, *Isapis* fluuius, *Isacia* Insula per Syncopem *Ischia*, *Isaurus* amnis quasi Isaberus, à *Isa* & *Bero*, *Insubres* populi, nomen deprauatum, quia apud Polybrum, *Isombres* leguntur, ab *Isa*, *Ma*, *Bero*, apud alios autem *Isabares*, ab *Isa* & *Baro* &c.

יאו *Iaua*, Amplus, latus, dilatatus, Synonymum Iaphet, vnde vox *Ieoua*, nomen Dei Magni, & ineffabile, Gentilium *Iouis*, Italicè, *Ioue*. Vnde & *Iupiter* hoc est, *Iaua Pater* Iaphet appellatus, qui in *Taurum* (Tauricam) translatus, *Europam* per mare deuexit, nempe, in suas sedes. cuius filius *Iauan* Pater Græcorum Minorum, qui *Iauanim* hebraicè etiam hodie appellantur, Græce Ἴωνες, ab Homero Ἰάονες, Latinè *Iones*, vnde *Ionia*, & *Ionium* mare, nam *Iauan* sine punctis *Ion* hebraicè legitur. qui *Iaua Pater*, seu *Iupiter* dictus, quia *Pater dilatatus* fuit, iuxta oraculum. ab hoc *Iaua* autem *dilatato*, *Iouis Apenini Templum* deductum est, item *Iouis Latialis*, *Iouis Paleni* à *Pala* atque *Na*, *Tiphatini*, quia Typhis Rector nauis Argonauticæ, *Iouis* item *Villa* & *Colossus*, qui Tarenti structus, item & *Iouis Mons*, *Palatium*, *Alpes*, vel *Capitolium* etc.

L

לא *Laa*, *La*. Latus, dilatatus, multiplex. Vnde λαὸς græcè, multitudo, populi. & λαλεῖν, loqui, à *La* geminato, quia loquendo os aperitur, atque dilatatur. hinc & Latinum *Lallare*, & Romani *Lælij*, hinc & vox *lilium*, quod multiplicetur. *Liberi* proles, a *La* atque *Bero*, quia propagati, à Latino Patre. hinc *Ligo*, *Ligonis* à *La* & *Ga*, quod terram aperiat & dilatet. à *Laa* ergo *Laum* Italiæ oppidum, atque *Lai* populi. *Labicum*, *Lauicum*, *Labici* populi, *Labicani*, *Lauicani*, *Lebeci*. *Lybici* à *La*, atque *Baca*. *Laui* populi à *Laa* & *Ba*. *Laus* ciuitas, à *Laa* & *vasa*. *Lautulæ* locus à *Laua* & *Tala*. hinc latinum *Lautus*, id est, magnificus. *Laborini* autem populi, & *Leborij* campi, vulgò *Terra del lauoro*, hoc est, *dilatati* Patris, & *Liburni*, & *Liburna* ciuitas, atque *Labro* portus à *La* atque *Bero*. *Lacinium Promontorium*, *Lacinii sinus* a *La* atque *Cana*, vnde vox *Lacuna*, atque *Lucinia*. Item *Lucania* Italiæ regio & *Lucani* populi à *La* verò & *Ca*, vnde voces *Lacus* atque *Lucus*, ob multitudinem arborum & aquarum, fiunt item *Luca* oppidum, & *Lucenses*, *Luceria*. *Locri*, & *Lucrinus Lacus* à *La* atque *Cara*. inde *Lucrum* augmentum. vti Romani *Luculli*, à *La* atque *Cala*. A *La* et *Ma Lumo* Italiæ locus. *Lamber* à *Lama* & *Bero*. inde & *Lamina* Metallum expansum, siue dilatatum. *Lametia* oppidum. *Lametinus sinus* à *La* atque *Mata*. *Lanuuium* a *La* atque *Naba Luna* ciuitas à *La* atque *Na*. inde quoque *Lana*, quia nendo deducitur atque dilatatur. *Lingones* populi a *Lana* & *Gana*. *Longula* ciuitas à *Lana* & *Gala*. a *La* atque *Paca Lapicini* Lygures. *Lepinus* mons à *La* & *Pa* dictus, vnde *Lappæ* malæ herbæ, quæ per agros se diffundunt. *Lepontij* a *La*, *Pana* & *Ta*. a *La* atque *Pada* sunt Romani *Lepidi*. à *La* atque *Para Liparis* & *Liparitani* &c.

Latus nomen Iaphet, sed latinè redditum, a *La* & *Ta* hebræo efformatum, vnde quoque græcum ἐλατείνω, extendo, produco, dilato & voces *Læti* & *Lætari*, quia in gaudio animus diffunditur, atque dilatatur, a *Laa* atque *Ta*. A *Lato* Iaphet *Latium*, & *Latini*, & Lingua *Latina*, *Via* & *Porta Latina* & *Lata* in Romana vrbe. inde *Lutatij* Romani. *Lateranus* à *Lato* & *rana*. *Letus* mons. *Latina Sylua*. *Liternum*, quasi Lateranum. Hinc & *Litania* multitudo nominum. à *Lato*, quoque *Collatia*, *Collatinæ* Arces, *Collatini* montes, quasi *colles* Lati, seu Latini Patris. *Collatina* porta &c.

M

מא *Ma*, *Maa*. Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet. à quo sunt *Mæuii* Romani, a *Maa* & *Bea*. & *Mæuanii* populi a *Maa* & *Baua*. à *Ma* atque *Cala* est Latinum *Macula*, quia se diffundit, & *Magnus* à *Ma* atque *Gana*. à *Ma* geminato *Mammon* diuitiæ, copia, seu augmentum. inde quoque *Mamers*, *Mamertus*, *Mamercus*, *Mamertini populi*, *Mamertinus Carcer* sub Capitolio, quo forsitan Parens dilatatus vsus. nam hæc cuncta nomina à *Mama*, & *Rasa*, *Raca*, *Rata*, dilatatum reddunt. vti & *Mamurræ* in Latio ciuitas à *Mama* atque *ra*. a *Mama Memmij* & *Mammææ* matronæ. Iam verò a *Ma* atque *Cara* (vnde est vox Μακὰρ, Latinè beatus, seu bonis adauctus, & Μακρὸς longus, atque dilatatus) fiunt *Macri Campi*, *Macra* fluuius, *Macerata* ciuitas. a *Ma* similiter Radix

מאדא *Mada* emergit, latus, dilatatus, Synonyma Iaphet. vnde Μέδων Græcè Rex, ob amplitudinem, vnde & *Madai* Pater *Mediæ* Europææ, & per Syncopen populorum *Daarum*, qui vulgò *Daci* atque *Dacæ*, filius Iapheti, paternum nomen suo quoque referens. a *Mada* fit *Medama* oppidum. *Meduanus* portus. *Medullia* ciuitas a *Mada*, *Ma*, *Bana* & *Ala*, et *Mediolanum* a *Mada*, *ia*, *Lana*. A *Mada Medinæ* in Hispania, regiones, *Medina campi*, *cœli* etc.

מאגא, *Maga*. Magnus, dilatatus. Synonymum Iaphet. vnde Μέγας græcum. atque *Magi* Reges. atque *Magalia*, magna ædificia, a Marone dicta. inde vox *Magister* a *Maga*, *asta*, *ra*, atque *Magistratus*. inde quoque *Magog Macedonum* Parens & *Mygdoniorum* et *Magnesiorum*, filius Iapeti, a *Ma* atque *Gaga*, *dilatatus* dictus, a quo vox *gygantis*. A *Maga Magia* Italiæ oppidum, et *Megales*, et *Megalia* insula. vti et *Megaris* a *Maga* atque *Ra*. A *Maga* Gallicum *Magazin*, Italum *Magazino* a *Maga* et *Aza* etc.

מאלא *Mala* Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet. hinc *Moles*, hinc *malæ* seu maxillæ dictæ, quia *dilatantur*, hinc Maiores canes *Molossi* dicuntur a *Mala* et *Assa*. A *Mala* porrò *Maletium* oppidum. item *Mola* ciuitas, *Melita* vulgò *Maltha* insula. *Melpis*, *Melphes* amnis a *Mala* et *Pa*, item *Melphitani* populi. *Milonia* ciuitas. *Pons Miluius* a Mala et *Bee*, qui et *Muluius* dictus. à *Mala* denique Romani *Milones*, *Melæ*, *Molones*, et Italicum *Meloni* ab expansione, et græcum μέλι cum latino *melle*, quia se diffundit etc.

מאנא *Mana*. Latus, et diffusus. Synonymum Iaphet. Vnde voces *mano* et *manare*, *Manus* pro exercitu vsurpata, ob multitudinem. hinc *Man* primus conditor Ausonum dictus, Parens Dilatatus Iapher, à quo *Mani* germanicè homines fuere propagati. hinc *Mynies* hoc est, dilatati *Argonautæ* dicti. hinc etiam *Mons* dictus, terra siue petra extensa atque dilatata, in altitudinem, à *Mona* atque *Sa*. a *Mana* item *Manduriæ* oppidum a *Mana* et *Dara*.

Man-

Manliana ciuitas, à *Mana* atque *La*; hinc quoque *Manlii* atque *Manilii*. *Mantua* à *Mana* & *Taua*. *Minturna* à *Mana*, & *Tara*. *Mincius* amnis à *Mana* & *Caa*. *Monades* Insulæ. *Monelia*. *Munio* amnis. *Monæcus*. à *Mona* & *Aca*. A *Mona* quoque atque *Tala*, *Telamon* Iaphet appellatur; hoc est, dilatatus, vnde *Telamonis* in Italia *Portus* etc.

מאפא *Mapa*, *Mappa*, *Mapha*. extentus atque dilatatus. Synonymum Iaphet. inde *Mappa* dicta ab extensione. hinc *Maphæi* Itali. *Mephitis* Templum. *Maphrædonii*. à *Mapha* & *Rada* etc.

מארא *Mara*, Latus, multus, amplus, Synonymum Iaphet. Nam ab aquarum multitudine *Mare* appellatum. hinc & *Mariæ* Venerandum nomen, quæ *Dominam magnam*, vel *Dominam Dei* Hebraicè sonat, à *Mara* atque *Ia*. hinc Μύρον vnguentū, quia diffunditur. hinc *Maris* primus Ausonū colonus ab historicis traditur, qui est, Iaphet dilatatus. hinc quoque *Marphorius* à *Mara* & *Phara*, seu *Para*, qui *Dominus latus* siue dilatatus. vnde non temere coniectes, statuam eius in Capitolio iacentem, esse Patris Iaphet siue Saturni Romæ fundatoris, Italiæ et Europæ Parentis: Ea enim ex vicino loco, Templo Saturni seu Romano Ærario sublata, vti hodierna inscriptio indicat, ad Capitolij cliuum. declarat idem corporis Gygantæa moles, vtpote hominis ante Diluuium geniti, quo Gygantes nati, vt Scriptura indicat. Nam & Noam Gygantem cum filijs multi historici faciunt. *Marem* præterea conditorem Ausonum ijdem Historici tradunt, *Marphorius* hic dicitur. Restat nomen *Paras*, siue *Pharas*. *Euander* Pater Arcadum & Palatinorum, & *Romanæ conditor Arcis* à Marone dictus, etiam *Parrasius* ab eodem vocatur, en *Mar* atque *Pharas*, vnde *Marphorius*. Nam quod à quibusdam *Deus Panarius* esse existimetur, rem nostram confirmat, *Pana* enim & *Ra* dilatatum sonat, cui vt *Saturno*, *Belo* & *Herculi* diuinitas à posteris tributa. Vt vt sit, à *Mara* & *Sa*, *Marsi* populi descendunt. *Marcalla* flumen à *Mara* & *Cala*. *Merula* amnis. *Mirandula* oppidum à *Mara*, *Na*, *Dala*, *Muranum*. *Maranum* *Marnum* etc. hinc dicti *Marii*, et *Marones*, et *Murænæ* viri atque pisces à magnitudine etc. hinc & *Mairi Palatini*, siue *Palatii* nomen amplum ducunt, vt *Mairi* Pagorum etc.

מארבא *Marba*, siue *Marbe*. Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet. vox ex *Ma* & *Raba* conflata. vnde *Marrubii* populi, *Marrubium* oppidum, item *Marruuii*, atq; *Marruuium*, hinc et *Marpesii*, et *Marpesia cautes*, quasi Marbesia, nam b et p et u sunt literæ cognatæ etc.

מארקא *Marca*, *Marcha* Latus, dilatatus, Amplus. vnde *Marchiones* et *Marchionatus* dignitatis nomina a Latino Patre deriuata. hinc *Marcha* Ancona atque Taruisina, et tot regiones, vrbes, fluuij, loca in Germania et Belgio *Marchæ* appellata. hinc *Campus Martius*, Campus Patris Lati ad Tyberim situs. *Aqua Marcia* Romæ, *Marcomanni* Italiæ populi. oppidum *Marchianum*. *Marcinum*. *Morgetes* prima Italiæ gens, quasi *Marchetes*, *g* enim et *ch* sunt literæ cognatæ. *Marcini* populi, qui per epenthesim *Marucini* dicti etc.

מאסא *Masa*, *Massa*, *Masca* per daghes aut raphe. Magnus, dilatatus. Synonymum Iaphet. inde Græcum Μέσσων, Maior. et latinum *Massa* a magnitudine seu diffusione, et *Musæ*, Angelicæ mentes inuocari solitæ, ob naturæ Maiestatem et amplitudinem ita appellatæ, vti et *Camænæ*, vt supra monstratum. hinc quoque *Messias*, quasi magnus IESVS, à *Messa* & *Iasa*. hinc & *Missa*

magnum ſacrificium, in quo *Magnus IESVS* Meſſias offertur. Ab hac voce *Moſoch* Moſochorum ſeu Moſchorum Parens, vt ſupra oſtenſum, Patris dilatati etiam vocabulo inſignis. à *Maſſa* porrò oppidum *Maſſa*, atque *Meſſapia* Italiæ regio, vulgò Calabria. *Maſſica* gens, *Maſſicus* mons, & *Maſſica* vina, *Mazara* Siciliæ. *Meſſana*. *Meſſanum fretum*. *Miſenus* portus & fluuius. *Sylua Moeſia* Tuſciæ. *Meſa* fluuius, item *Miſo*, & clara Germaniæ flumina *Moſa*, & *Moſella* ſuum nomen deriuant &c. a *Maſca* porrò *Muſcæ* nominatæ, eo quod facilè dilatentur. & *Muſco* Italum, Gallicè *Muſc*, quod odorem fundat, & Latinum *Mas*, *Maſculus*, atque *Maſculinus*, quaſi *dilatati*, à Parente Lato ſeu Latino Iaphet etc.

מאתא *Mata*, *Latus*, *dilatatus*. Synonymum Iaphet. vnde *Mater* et *Matrona* dicta, quod filios procreando augeatur, atque dilatetur. *Mater* enim à *Mata* et *Ra*, *Matrona* à *Mata* et *Rana* ſuam vocem deriuant, inde & Metallum, à *Mata* et *Ala* quia diffunditur atque dilatatur. Igitur à *Mata Matrona*, & *Matrinus* fluuij. *Maternum* oppidum. à *Mata* item, *Matini* Italiæ populi, & *Apes matinæ* dicuntur, eò quòd facilè propagentur, & in colonias exeant. *Matin* item Galli grandem canem vocant, à *Mata* rurſum, *Mutia prata* trans Tyberim ſita. *Mutina*. et *Mutij* Romani &c.

N

נא *Na Naa* vox cum *Ma* cognata, Latum, dilatatum ſonat, Synonymum Iaphet. hinc *Neo*, *nere* filum deducere ſiue dilatare. inde & *Neætum* flumen à *Naa* atque *Ta*. à *Na* atque *Ba*, fit *Naba* vox magnitudinis, vt in *Nabonaſar*, *Nabuchodonoſor* patet. vnde & *Nauij*, *Naualia* oppidum, *Naulum*, *Nauo* portus, *Nebris* Mons Siciliæ à *Na* atque *Bero*. *Nauaria* municipium à *Na* atque *Baro* inde & *Nauarra* regnum à *Na* & *ca* fit *Nequinum* ciuitas, *Nicæa*, *Nicia* fluuius. *Nuceria* à *Na* atque *Cara*. *Nigella* fluuius à *Na* atque *Gala*. à *Na* et *La Nola* ciuitas, & *Nolani* populi, inde quoque *Nilus*. à *Na* verò & *Ma*, vnde Numa, Nummus, qui cudendo funditur, Nomen, quia dilatatur, atq; *Nemus*, ob multitudinem arborum, fit ciuitas Italiæ *Nemus*, *Nomentum*, *Nomentana Via* atque *Porta* Romæ, à *Nama* & *Nata*. item *Numicius amnis*, quem Tyberim putamus, quia nuſquam extat, vt infra oſtendendum. à *Nama* item & *Pha*. fit *Nymphæus* amnis. inde quoque *Nymphæ*, Angelicæ mentes, ob naturæ amplitudinem ita appellatæ, de quibus fuſiùs libro ſecundo agendum. hinc & *Nembroth*, à *Nama*, & *Bero*. à *Na* geminato fit *Nonnia Turris*, vbi carcer hodiernus Romæ, & *Nonnij* Romani. quod autem *Nanus* pumilio vocetur, per antiphraſim ſiue ironicè dictum exiſtimes, quod hebræis frequens, quaſi minimè magnus. Nam *Nanus* vox magnitudinis, vt in *Nino* & *Niniue* liquet, quæ *Ciuitas magna* in Scripturis dicta. à *Na* & *pa*, *Nepe*, *Nepetini* populi, *Neptunium* oppidum, quaſi *Nepetunium*, à *Nepe* & *Tana*. hinc quoque *Napææ*, Angelicæ mentes & Dij tutelares Latij, de quibus Virgilius: *faciles venerare Napæas*. à *Na* verò & *Ra*, *Nar* flumen, & *Nerones*, *Narnia* ciuitas, & *Narni* coloni, *Neretum* vel *Neritum* oppidum. à *Na* atque *Raba* vox *Narba* conflatur, *dilatatum* ſimiliter ſonans, vnde *Norba* oppidum, *Norbani* Romani, *Narbo*, *Narbonenſes* Galli, *Nerueſia* vicus in Piceno. & *Neruij* flandriæ: à *Narca*, vt de *Marca* dictum, quæ vox eſt, à *Na* atque *Raca*, fiunt *Norici* populi, atque *Noritia*. *Nurſæ*, quæ & *Nor-*

tia

tia dicuntur. à *Na* atque *Asa Nassij* Siciliæ populi, & *Nasonum* familia vetus. A *Nata* denique *Notium Mare* Italiæ. & *Natiso* fluuius, atque ventus *Notus* etc.

P

נא פא *Pa, Paa, Pha, Phaa*. Latus, dilatatus, Amplus. Synonymum Iaphet. Vnde *Pe* hebræum os seu bucca dicitur, quia *dilatatur* atque aperitur. hinc Παῖς grecè filius, qui *Pater adauctus*. hinc *Pauo* volucris, quod caudam dilatet, à *Pa* et *Ba*, seu *Va*. hinc latinum *faba*, quod multiplicetur. & *Fabij* Romani, à *Pha* atque *Bea*. et *Pauli* et *Publii* à *Pa, Ba*, atque *La* Nã Παῦλοι græcè *Pauli* dicuntur. hinc & *Fabritii* a *Phaba* & *Rata*. hinc & *Fauentia*, à *Phaua* & Nata, & *Fabaris* amnis, etc.

פאקא *Paca, Phaca*, Latus, dilatatus, amplus. vnde *Phocæ* Balenæ, a magnitudine suum nomen trahunt. Synonymum Iaphet. Inde sunt *Piceni*, & *Picentes*, à *Paca*, & *Nata*. *Fucinus Lacus* in *Latio*. à Phaca atque Na. *ficus* morbus, quod per totum corpus venena diffundat etc.

פאדא *Pada* idem. Vnde *Padus* flumen, et Gallia *Padana*, *Padua* atque ciuitas Peda, & Itali *Spadæ* à *Sa* atque *Pada*, nam quamuis gladios pro insigni gestent, horum nomina priora insignibus dicenda, quæ aureo sæculo *dilatatos* viros, seu *Latinos* à Patre Lato exprimebant, quando nondum gladij, sed falces & vomeres erant. quanquam ferreo sæculo *gladii* quoque à *Gala* & *Daa*, & *ensis* ab *Ena* & *sasa* ab extensione seu porrectione in longitudinem, fuere appellati. vti *Hastæ*, à quibus perillustris familia *Astensis*, vti supra dictum, cognominata est etc.

פאלא *Pala, Phala*. Latus, dilatatus. vox fæcundissima Latini Parentis. nam hinc Πλοῦτος diues, atque πλατὺς latum significans. & πλατύνω dilato, per epenthesim παλάτυς, atque παλατύνω, vnde *Palatium* hoc est, domus ampla, atque *Palatinus collis*, ab Euandro Arcade Iaphet primum ædificatus, vnde is *Romanæ conditor Arcis* à Marone dicitur. hinc & *Palatini Comites* & Itali *Palotæ*, hoc est, dilatati, *Platinæ*, & Græci *Platones*. hinc & *Placentia* quasi *Platentia*, nam *t* & *c* sæpe conuertuntur, vt in vocibus *Latii* et *Lætitiæ* patet, & *Iuno Lacinia*, à quibusdam *Latina* appellata. à *Pala* rursum *Palianum*, a *Pala* & *Ana*. *Mons Palænus*. *Palesanum* & *Plessinus Lacus*, à Pala et *Asa*. Palia amnis. Palmaria *Insula*, à Pala & *Mara*, hinc et *palma* manus, a *pala* et *ma*, quia se dilatat, & *pluma*, quia res expansa. Palumbinum oppidum, à Pala & *Maba*, vnde & Palumbes ob fæcunditatem ita nominatæ, vti & *Columbæ*, à *Cala* & *Maba*, inde quoque *plumbum*, quia diffunditur, atque dilatatur. inde Palilia festum Vrbis conditæ, *dilatatæ* Romæ. Pola vrbs, vti Poloniæ regnum. Pelorus promontorium. Pelasgi. Peligni, à Pala & *Gana*. à Phala autem (vnde *filum* dictum, quod nendo deducatur atque dilatetur, & *filius*, qui est Pater *dilatatus*, & *fleo*, seu lachrymas diffundo, *folium* ab expansione, *flumen* & *fluo*, a diffusione, & innumera id genus) fit Plistina lacus, a Pala & *Asta*. Et *Falisci* populi, a Phala & *Asca*. *Falernus* ager, & mons, & *falerna* vina, a Phala & *Rana*. Phalacrini populi, a Phala & *cara*. Phaleria oppidum, a Phala atque *Ra*. item *Fulcinium* oppidum, vulgo *foligini*, a Phala et *Cana*. hinc quoque *Fuluii*, et *Fuluiæ* a Phala et *Bea*, item *Flauii* atque *Flauiani*, vnde *Flauiniũ* oppidũ Consalonero a *Cana*, *Nara* atque Phala. Neque omittendum a Pala & *Ta*

vocem *Pilati* deductam, quæ vox *dilatatum* ſeu *Romanum* ſonat, cuius Palatij ruinæ quædam, ad Pontem Palatinum etiam hodie viſuntur, a quo forſan *Pontiorum* gentile nomen, quod ad *Pontem Palatinum*, ſiue *Pilatinum* habitarent, vt *Pontius Pilatus* à *Ponte Palatino* ſit dictus. Vt vt ſit, grandi myſterio ſub hoc Chriſtus mortuus, quòd ſacrificium incruentum Miſſæ, ſignum mortis cruentæ, à *Pilato*, hoc eſt, à *Romano* ſiue *Dilatato* vſque ad finem mundi eſſet peragendum etc.

פאמא *Pama*, *Phama*, *Pana*, *Phana* per *Nun*, & daghes, et raphe. multiplex, dilatatus, Synonymum Iaphet. vnde voces φήμη loquor, ſeu dilator, quia loquendo os dilatatur, *Fama* ſermo diffuſus, *fæmina* dilatata, nempe, a Parente Lato, *pomum* a *pama*, quod multiplicetur. à *Pama* item *Pometia*, *Pometinus ager*, atque *Pometini* a *Pama* & *Mata*, & *Pompei* ciuitas, & *Pompei* viri, a *Pama* & *Paa*. item *Pomponii*, *Pompilii* & dictio *pompa* magnificentiam quamdam ſignificās, a *Pama* & *Pa*, *Pala*, *Pana*. etc. a *Phana fanum*, & *Fannii*, & *Panſæ* a *Pana* atque *Sa*. *Deus Panarius* a *Pana* et *ra*. hinc auium *pennæ*, & piſcium *pinnæ*, quia expanduntur, ſiue dilatantur. a *Pana* & *Na* *Panonia* regio, Alpes *Panoniæ*, *Pontia* inſula, a *Pana* atque *Ta*, hinc & *pontes* facti, & vox *Pontificis* a *Pana*, *Ta*, *Phaca*, quæ vox *dilatati* ſiue Maieſtatis. *Pincius mons*, a *Pana* et *Caa*, a *Pana* item *Panis* dictus, vel quod hominem augeat, et educet, vel quod toto corpore ille diffundatur in ſanguinem conuerſus etc.

פאפא *Papa*, *Pappa*, Magnus dilatatus, latus, hinc Græcum Παππᾶς, Patrem ſignificans, qui filijs augetur ſiue dilatatur. hinc *Papæ Romani*, a magnitudine ſiue Maieſtate, et antiquitus *Poppæ* Sacerdotes, a nomine *Paparum* indubiè in Sibylla lecto ita vocitati. hincque admirando *Papæ* velut exclamando: *Res magna!* hinc *Papyrus* dicta ab expanſione, quam *Papa* et *Ra* ſignificat. et Papyrij Romani. hinc *Populus* dictus, a multitudine ſeu magnitudine, a *Papa* atque *La*. vnde *Populea porta*, vulgo *del popolo*, et *Populus* arbor a diffuſione. a *Papa* porrò *Pappia* ciuitas. *Pupinius* ager. *Piperinum* ſeu *Pipernum* oppidum, a *Papa* et *Rana*. hinc et *Papinii*, *Poppæ*, et *Puppii*, item et *Pipini* etc.

פארא *Para*, *Phara*. Amplus, dilatatus. Synonymum Iaphet, vnde *Pharaones* ab amplitudine ita nominati. et *Ægyptia Pharos*, quod longè latèque expanderet lumen. inde et Πῦρ græcum, ignem ſignificans, quod ſeſe diffundat. item *Pyramides* à *Para* et *Ma*, quod in altum productæ, ſiue dilatatæ. hinc *Prætor* latinus, nomen dignitatis, à *Para* et *Tara*, item *Prætorium*, Palatium Cæſarum. inde et Franciæ *Pares* nomen amplitudinis, qui quidem *Latinos* ſiue *dilatatos* vocabulo ſignabant, a quibus *Pariſios* vrbem nominatam putem, quæ etiam a *Lati Patris* vocabulo dicta *Lutetia*, quaſi *Latetia*. à *Para* porrò *Parma*, quaſi *Parama*, a *Para* atque *ma*. *Perga* ciuitas a *Para* et *Ga*, vnde et *pergula*, locus a ramis arborum dilatatis dictus, qui ipſum inumbrant. *Peruſia*, *Peruſini* a *Para* atque *Sa*, vnde inuersè *ſapor*, quod per cibos diffundatur. *Priuernum*, *Priuernas* a *Para* et *Bero*, quaſi Paraberinum etc. *Præneſte*, *Præneſtinus* ager a *Para*, *na*, *aſta*. *Præputij populi* a *Para* et *Pata*. a *Para* et *ſa* *Parrhaſius* Euander a *Marone* dictus, hoc eſt, dilatatus, et *Parrhaſij* populi, et *Parrhaſis Vrſa* nominata, hoc eſt, Latina ſiue dilatata. *Parraſiam* autem *Vrſam*, quam cœlò donarunt, Latinam Martyrem S. *Vrſulam* credo, in Sibylla lectam, vnde *Vrſa minor* dicta, quæ omnes ſua naui incluſos ad martyrium duxerit, quare dux nautarum vulgò appellatū id cœleſte ſidus,

quod

quod cur *Vrsula*, siue *Vrsa minor* quoque dictum fuerit, Astrologi rationem aliam, quam proximè dictam, afferre haud possunt. *Arctophylax* verò, id est, *Vrsæ custos*, *Vrsæ* puta maioris, *S. Vedastus*, qui populos *hyperboreos* ad fidem conuertit, et quem *Vrsæ* belluæ custodem futurum, Sibylla quoque cecinerat, & *cælo donandum*, vnde quoque illum in coeleste Sidus antiquitas fabulosa conuertit. Verum hæc de *Parrhasiis* satis. à *Paras* item vox *Persei* descendit, de quo aliàs dicendum. a *Para* denique *propago* Latinum, a *Para* & *paga* siue *Paca*, quæ literæ cognatæ. *portus* locus amplus, atque dilatatus, vbi naues quiescunt, à *Para* et *ta*, vti *porta* dictus, quia aperiendo ingressum dilatat. atque hæc a *Para*. A *Phara* autem *Pharos Insula*, *Phorcus Lacus* à *Phara* & *Casa*. item *furca*, eò quod in duos ramos se diffundat. *Furconia* oppidum. *Firmum* ciuitas quasi Phiramum, nam φύραμα græcè subactam farinæ massam significat, quæ diffundi & augeri solet. hinc quoque *Phregellæ*, & *Phregennæ* à *Phara* et *Gala* & *Gana*, denique *Farnesij* Itali, à *Phara* & *nasa*, id est, dilatati etc.

פאשא Pasa, Phasa, Pascha, Phasca pro varietate punctorum. Latus, fusus, dilatatus, multiplex. Synonymum Iaphet. hinc *pestis* nomen a Pasa & *Ta*, quia diffunditur. hinc *Pæstum* ciuitas, & *Pæstanus* ager. *Pisæ*. *Pisaurum* à Pasa & Bero, quasi *Pisaberum*. hinc quoque *pisum*, quod multiplicetur, & Romani *Pisones*. *Posidonia* ciuitas, a Pasa & *Dana*. à Phasa est latinum *fusus*. *Phæsulæ*, *Phæsulani* à Phasa & *la*. à Pascha *Paschinus*, qui Latinus homo. à Pasca *Fescēnum* oppidum, atque *fescennia*, atque *fescennini ludi* &c.

פאתא Pata Latus, amplus, dilatatus. Synonymum Iaphet. nam inde vox *Patris*, & *patroni*, qui *filijs*, atque *clientibus* augentur, atque dilatantur. a Pata, *ra*, *rana*. à Pata & *Nasa* fit *potens*, a Pata & *la*, vox *patulus*, vnde arbor *patula*, id est, *dilatata*. *Patauium* à Pata & *Bea*. *Petilia* ciuitas, à *La* atque Pata. *Petrinus mons*, a Pata atque Ra, vnde quoque *Petra*, quod est, saxum ingens atque dilatatum. *Petronia* amnis a Pata & *Rana*. hinc quoque *Petronij* Romani, & *Peti*. atque Vrbs *Petrica* à Pata & *raca*. à Pata demum & *Ra*, vocabulum *Petri* deducitur, quo quidem Simonem Christus insigniri voluit, vt *Romanum* fore, hoc est, *dilatatum* Petrum innueret.

R

רא *Ra*, *Raa*, *Rha*. diffusus, latus. dilatatus: Synonymum Iaphet. Nam hinc ῥέω fluo, seu diffundor. hinc rores, *roro*, & *irroro*, à *Ra* geminato, quod ros se diffundat. *Reate*, *Reatini*, populi, à *Raa* atque *Ta*. hinc & *Rha* fluuius hinc & *Rhabarbarum* siue *Rha* Ponticum, quia ventrem laxat. à *Ra* & *Ba* Synonymum Iaphet

ראבא *Raba*, *Rabba*, *Rana*. Latus, dilatatus. Vnde quoque *Raab* dilatata dicitur, & *Rabbi* & *Rabbini* doctrinæ magnæ & multiplicis viri. à *Raba Mons Rabianus*, atque *Rabirii* Romani. *Rauenna* à *Raua*, vnde quoque *riuus*, & *deriuo*. *Rubico* fluuius a *Raba* & *Ca*. Inde *robba* diuitiæ, siue facultates ab Italis hodiernis dicitur. *Robur* quercus a *Ra* atque *Bara*, quia multum se dilatat, & magnæ vires *robur* appellantur, ab eadem radice &c.

ראקא *Raca*, *Raka* Latus, amplus, diues. Synonymum Iaphet. hinc Italis *Rico* diues appellatur, seu bonis adauctus, & Hebræi *Racha* cœleste firmamentum dicunt, ab amplitudine, atque Galli *Race* propaginem vocant. a *Raca* por-

ea porrò fit *Ricina*. *Recinetum*, vulgò Racanati, a *Raca* & *Nata*, inde quoque *Rocca* saxum ingens atque dilatatum, hinc & *Terracina*, & *Dyrrachium* Græciæ, quasi θύρα seu porta ad *Rachos* siue dilatatos Italos etc.

ריארא *Rhada, Rada*. Idem. Synonymum Iaphet. hinc ῥόδος græcum rosam significans ab expansione, puta foliorum. hinc *Radix*, quod se in terra diffundat. hinc *Rudiæ* Calabriæ ciuitas, quæ & *Rode* vocata. hinc & flumen *Rhodanus*, atque Insula *Rhodus*. grandi autem mysterio Petrus è carcere Herodis diuinitus liber, ad *Roden* ancillam Ecclesiæ vadit, quia inde *Romam*, cuius Synonymum *Rode*, profectus est, vt Authores tradunt etc.

ריאגא *Raga*. Idem, Synonymum Iaphet. Inde *Rugianum* Calabriæ oppidum. *Rhegium* Galliæ Cispadanæ. *Rhegiates* populi apud Plinium. *Rigusci*. *Ragusa, Reges, Regina* descendunt etc.

ריאמא *Rama*, vox conflata ex *Raa* & *Ma*, Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet, vnde vrbs Vrbium *Roma* nomen habet, vt supra indicatum. nam & *Rama* Itali *æs expansum* vocant, & statuas igne fusas *Ramine*. & Hebræi *Romach* ab extensione *Hastam* indigetant. & *Abraam Ab* Pater multitudinis seu gentium, atque etiam *Romæ*, per *Raam* vocitatus. hinc & *Reuma* diffusio humoris. *A* longum autem, vt *o* pronunciandum Paulus Paradysus docet, vt supra iudicatum. à *Rama* vel *Roma, Romulus* Petrus quasi dilatatus. & Tyberis *Rumon, Romulea* oppidum, *Romatinus* portus. *Remus* siue *Romus* frater Romuli Paulus. *Rama* item Lyguriæ vicus, & *Rhemi* Galliarum ciuitas, & *Rhemenses* Galliarum populi *Roma* deriuati etc.

ראנא *Rana* siue *Rhana* idem. hinc *Rhenus* Germaniæ fluuius, & *Rhenus* Bononiæ, ad Padum. hinc *Tyrrheni* dicti atque *Tyrrhenia*, a *Tara* & *Rana*, hinc & *Rana* loquax, quod os clamando dilatet etc.

ראפא *Rapa*. *Rapha*. Idem. hinc *Ryphat* Iapheti nepos appellatur, *Pater Ryphæorum*, vt Iosephus tradit. inde & *Ryphæi Montes* Apenini seu Alpes à nonnullis authoribus vocati, ob magnitudinem, et a Patre Lato. hinc *Rufæ* oppidum Hirpinorum, & *Ruffi* Romani, & R*uffini* dicti, & R*upæ*, & R*upes* ob amplitudinem, & R*apa*, et R*aphanum* ob expansionem etc.

ראשא R*asa* siue R*asca* cum daghes aut raphe. Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet. nam hinc *rosa*, & *ros* vocabulum sumunt, quod sese diffundant. hinc *res* pro diuitijs, a Latinis sumptæ. a R*asa* R*osanum*, R*osea rura*, de quibus Virgilius: R*osea rura Velini*. R*asena* Italia dicta. R*osellæ* ciuitas. a R*asca* verò R*oscianum*, atque R*uscianum* et R*uscia* Thuriorum nauale, & R*oscij* Romani etc.

ראתא R*ata*. R*hata*. idem. Nam hinc *rete* dictum ab expansione. hinc R*heti*, et R*hetia* Alpestris, et R*utuli* populi a *La* atque R*ata*. R*hetenus* fluuius. et R*utuba* idem etc.

S

שא *Sa* vel *Sca*. Multiplex Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet, vnde a *Sa* gemino Latinum *Sus* dicta, ob fæcunditatem. et *lilium* seu *flos* hebraicè *Sasa*, quod multiplicetur. a *Sa* autem fit *Susa* ciuitas et *Sasina* portus, *Sassina* Italiæ oppidum, *Sassula* idem, a *Sa* geminato. *Sybaris* ciuitas atque *Sybaritæ populi* a *Sa* atque *Baro*. à *Sca* atque *Bero*, sunt Romani *Scauri*. a *Sa* autem et *Ba* fit

שׁאבא *Saba* seu *Scaba*, Item Synonymum Iaphet. à *Scaba Scabini* Magistratus. à *Saba Sabini* populi Italiæ, & *Sabelli* et *Sauelli* Itali. *Sabis* fluuius. *Sabata* ciuitas, *Sabatius lacus*. *Sabaudia* Regio à *Saba* & *Bada*. hinc *Sebum* et *Seuum*, quia diffunditur. et *Sauo* et *Sauona* ciuitas, et *Suessa* quasi *Sauessa*, a *Saba* et *Assa* etc.

שׁאקא *Saca*. Idem. vnde *Succus*, quia diffunditur. inde *Saxum* Petra ingens à *Saca* et *Sa*. hinc et *Saxonia*. *Sacrani* populi, a *Saca* & *Rana*. *Secia* amnis. & *Sechini* nummi, à *Saca* Patre dilatato. *Secusium* oppidum. *Sequana* fluuius. *Succusani* populi. *Sicilia* Italiæ regio, item *Sicania* dicta à *Saca*, *La* & *Na* etc.

שׁאדא *Sada*, idem. vnde *Sidus* multitudo stellarum. *Sidicini* populi, à *Sada* et *Cana*. *Sudertum* ciuitas, à *Sada* et *Rata* etc.

שׁאגא *Saga*. idem. vnde *Sagæ* dictæ, res contagiosa, quia dilatantur, nisi reprimantur. inde *Sagra* amnis, a *Saga* atque *Ra*. *Segusium* à *Saga* et *Asa*. *Segesta* ciuitas a *Saga* et *Asta* etc.

שׁאלא *Sala*, siue *Scala*. Magnus, dilatatus, Synonymum Iaphet. vnde *Lex Salica*, id est, Lati Patris, ne fæminæ regnorum hæredes succedant. Inde *Sol* est dictus, ob magnitudinem, siue quod radios & lucem diffundat. & *Sal*, quod suum saporem perfacilè dilatet ac spargat. Inde & *Salire*, gressum *Dilatare*. igitur a *Sala*, *Porta Salaria* Romæ, atque *Via*, *Sale* oppidum, *Salentum*, *Salentini* populi a *Sala* et *Nata*. *Salapia*, *Salapini* populi a *Sala* et *Paa*. *Salernum* a *Sala* et *Rana*. *Salona* oppidum. *Sulmo*, a *Sala* et *Ma*. *Silarus* amnis. hinc Romani *Syllæ*, et *Silii*, et *Sallæ* Galli magnum atrium vocant. a *Sala* *Sylua* atque *Saltus*, a *Sala*, *Ba* et *Ta*, ob multitudinem arborum atque Virgultorum. hinc *Aquæ Saluiæ*, et *Saluiati* Romani atque *Sallustii*, a *Sala* et *Asta*. à *Scala* denique, vnde *Scalæ* latinæ, quia in altitudinem nempe porriguntur, *Scalæ Gemoniæ*, et *Scylla* scopulus, et *Scyleum*, atque *Scylacium* oppidum etc.

שׁאמא *Sama* siue *Scama*. Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet. nam hinc *Semen* et *Semino*, ob diffusionem, et *Sames*, quasi dilatatus sol hebraicè vocatur, et *Balsamum* magnum vnguentum a diffusione. a *Scama* autem fit Latinum *Squamma*, ab expansione. a *Sama* porrò *Samnium*, quasi *Samanium* Italiæ regio, et *Samnites* populi, et *Simon* Petrus inde vocitatus, vt omni nomine *Romanus*, siue, *dilatatus* esset.

שׁאנא *Sana* siue *Scana* Idem. Vnde *Senex*, *Senecio*, *Senatus*, et *Senator*, dictus ob magnam ætatem, siue dignitatem. et Romani *Senecæ*. vnde quoque *Scena* locus amplus, atque dilatatus arboribus septus. a *Sana Senæ* ciuitas, *Sena* Gallica, *Senogallia*, *Senones*, *Seno* Italiæ fluuius, et *Sena* Galliæ. *Sentinum* oppidum a *Sena* et *Tana*. *Suna* ciuitas. *Synope* a *Sana* et *Pa*. inde et *Sinapi*, a diffusione suæ acrimoniæ etc.

שׁאפא *Sapa*, *Scapa*, *Scapha*. Idem, nam inde fit *Sapor*, quod sese per cibos diffundat. et *Scyphus*, Vas amplũ et *Spina*, quod sese extendat, et *Sapo* & *Spuma* a diffusione. a *Sapa* porrò *Sypum* ciuitas, siue *Sipontum* a *Sapa* et *Nata*, *Syphæum*, *Sapis* fluuius, *Spino* fluuius, hinc et Itali *Spinolæ*, quasi Sapinolæ. *Spoletum* a *Sapo* et *Lata*, *Seplasia* à *Sapa* et *Lasa* etc.

שׁארא *Sara*, Idem. Vnde *Siri* Reges appellantur, Ampli, Dilatati et dictio *Sero*, seu semen diffundo. a *Sara* *Sarranum*, *Siris* amnis, et *Siritis* Italiæ regio. *Sarnus* fluuius, *Sarsina* oppidum a *Sara* et *Sana*. *Sora*, *Surrentum* a *Sara* &

ra & *Nata*. *Soracte*, quasi *Soracate*, à *Sara* & *Raca*. vnde & *Syrausa* Siciliæ ciuitas. *Sirmio* à *Sara* atque *Ma*. *Sardinia*, à *Sara* & *Dana* etc.

שטאא *Sata*, Idem, vnde *Stellæ* dictæ ob multitudinem, à *Sata* atque *La* & *Satellitium*, & *Satur* latinum ob abundantiam, vnde & *Saturnus* Marco Tullio teste, quasi *Saturanus*, hoc est, annis Satur. & Italum *Sitello*, *Sitella* puer & puella à *Sata*, atque *La*. a *Sata* igitur *Saternus* amnis, *Satricum* oppidum a *Sata* et *raca*. *Sturnini populi*, quasi Saturnini. *Saturius ager* & *Sutrium* à *Sata* atque *ra*, *Setia* ciuitas. *Setini* populi. *Stellates* populi, *Stellatinus* ager, à *Sata*, & *Lata*. inde quoque *Stagnum* locus aquis abundans, à *Sata* & *gana* etc.

T

תאא *Ta*. Latus, *dilatatus, multiplex*, Synonymum Iaphet. Vnde Galli *Vn Ta* aceruum seu multitudinem vocant, & *Traca* à *Ta* atque *Raca*, Vnde & *Tarchon* Etruriæ ciuitas, atque *Tarquinij* & *Trachas* ciuitas, & *Trachynæ* regio. à *Ta* atque *Bero*, *Tiberis*, *Tibur*, *Tiberij*, atque mons *Taburnus*. à *Ta* geminato *Titi*, *Tati*, ac *Titij*. *Treba*, *Trebia*, *Trebula* a *Ta*, *Raba*, *Bala*. à *Tara* & *Bero*, *Treuiri*, et *Ticinum* à *Ta* atque *Cana*. *Tuder* a *Ta* atque Dara, *Temesa* à *Ta* atque *Masa* etc.

תאבא *Taba*, *Taua*, *Thaba*, *Latus*, *dilatatus*, Synonymum Iaphet. hinc *Taurus*, dilatans. hinc *Taurena*, quasi *Tauarena* Italia dicta. hinc quoque *Taurinum*. & Germani *Teutones* dilatati, à *Teua* atque *Ta*. hinc & Arca hebraicè *Theba* appellata, à magnitudine, vnde tot Vrbes *Thebarum* nomen sortitæ sunt, in quibus *Thebæ Lucaniæ*. hinc filius Iapheti *Thubal* appellatus, *Pater Iberorum*, vti etiam Iosephus affirmat, à quo & *Toletum*, quasi Tubaletum, & *Thulen* terrarum extremam, quasi *Tubalen* esse deriuata, non perperam credas etc.

תאגא *Taga*, Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet. Vnde Magna vestis, *Toga* appellata. & *Tages* Iaphet, primus Etruscorum doctor & colonus. Inde & filius Gomeri, atque nepos Iapheti *Togorma* appellatus, à *Taga* & *Rama*, vnde *Togormani* per Syncopen, *Germani*. à *Taga* porro *Tigulia* oppidum. *Tigellij* Romani, atque *Tagus* fluuius etc.

תאלא *Tala*, *Latus*, *dilatatus*, *diues*, Synonymum Iaphet. vnde est *Talentum* à *Tala* & *Nata*. & Romani *Tulli*, atque *Tullianum*. & ciuitas *Tolentum*. & *Telini* populi, atque *Vallis Telinorum*, et *Telamon* oppidum, & *Telamon* Iaphet appellatus, vnde *Telamonis portus*, à *Tala* et *Mona* etc.

תאפא *Tapa*, *Tapha* idem. Vnde Vrbs *Topium*, et *Tifernum*, atque *Tifernates*, a *Tapha* et *Rana* etc.

תארא *Tara*, *Thara*, Latus, dilatatus, Synonymum Iaphet. hinc nomen *Tyranni*, quod benè acceptum, Regem significat, ob amplitudinem. hinc & *Tyrus* ciuitas, & *Thurii* Itali, *Tarentum* atque *Tarentini*, à *Tara* et *Nata*. & Pater Thraciæ *Thyras*, à *Tara* atque *Sa*. & *Tharsis* Author *Tartessiorum*, seu Lusitanorum. ab hoc *Tarum* flumen. & *Tartarus* a gemino *Tara*. *Tarpe*, *Tarpeius Mons*, à *Tara* atque Pa. *Taruisium* a *Tara* & *Vasa*. *Tarracina* ciuitas a *Tara* & *Raca*. *Tyrolis* a *Tara*, atque *La*. inde & *Tyrreni* atque *Tyrrenia*, a *Tara* et *Rana*. *Terentij* Romani, a *Tara* & Nata. item *Triuulcij* Italia *Tara*, & *volca*. *Tergeste* a *Tara*, *Gasa*, *Ta*. Traiani Romani, a

Tara atque *Ia*. *Tridentum* à *Tara*, *Dana*, *Ta* etc.

תאשא *Tasa* siue *Tasca*. Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet. vnde vas magnum *Tassam* Galli vocant. hinc populi *Thasij*. à *Tasca* verò *Tuscia*, atque *Tusci*. *Tusculum*, *Tusculanus* ager, atque *Tusculani*, a *Tasca* & *Ala* etc.

V

ואי *Va*: Latus, dilatatus. Synonymum Iaphet. vnde *Væ* Latinum malum ingens comminatur. a *Va* autem *Veri*. *Veientes* a *Vaa* & *Nata*. a *Va* & *Ba* *Vibona* oppidum, *Vibones* Latini & *Vibii*, vnde *Vibii forum*. *Viberi* populi, à *Va* atque *Bero*. a *Va* & *Ca*, vnde *Vaccæ* nomen ob fæcunditatem, seu quòd mugiendo os suum dilatet, fit *Vicus*, ob domorum puta multitudinem. hinc & *Vicetia*, a *Vaca*, & *Ta*, quæ & *Vicentia* dicta à *Vaca* & *Nata*, & *Vacunæ* oppidũ. à *Va* & *Da*, *Vado*, id est, gressum multiplico, hinc *Vadimon* Pater Latus dictus, a *Vada* & *mana*. vnde *Vidmani* Itali, & *Vadimonium* Curia, siue locus Amplus, vbi ius diceret Pater dilatatus. a *Va* & *Ga* *vagitus*, infantium *ploratus*, seu *sermo*, quod flendo aut *loquendo* os suum dilatent, inde *Vagienni* Lygures appellati. à *Vaga* porrò *fit vegetor*, *vegetus* ab augendo, seu crescendo. a *Va* porrò & *La* fit

ואלא *Vala*, vox fæcundissima, Synonyma Iaphet, cui cognata *Bala*. hinc *Valles*, hinc *Villæ*, ob amplitudinem, seu magnitudinem, vel profunditatem ita appellatæ. hinc & *Vola* manus, quia se diffundit, & *Volo*, *Volare*, alas *dilatare*. hinc *Valuæ* portæ maiores, à *Vala* & *Va*. inde & *Voluere*, seu se diffundere per loca. a *Vala* & *Va* *Valerii* Romani, & *Valeriani*, *Valeria* ciuitas. *Valerius lacus*. *Valentia* Roma, & *Valentes* viri, *Valentinum forum*, *Valiates* populi. *Valuata* oppidum. *Valonia* ciuitas, inde & *Valones* Flandriæ Belgicæ populi, quos per *u* geminum *Vuallones*, Germani dixere. hinc *Valesiorum* familia regia a *Vala* & *Asa*. a *Vala* item *Velia*, ciuitas, & *Velini lacus* atque *portus*, de quibus Maro: *Portusque require Velinos*. a *Vala* item *Vola* oppidum, & populi *Volani*, *Volci* à *Vala* & *Ca*. vnde *Triuulcij*. *Volsci* a *Vala* & *Saca*. *Volsinium*, *Volsinij* populi, à *Vala* & *Sana*. *Vultur* mons, *Volturnus* amnis, à *Vala* & *Tara*, vnde & *Volaterra* ciuitas, & *Volaterrani* etc.

ואנא *Vana* idem. Vnde *Vena*, *Vinum* & *Venenum*, quia toto corpore illa diffunduntur. hinc *Venones* populi. *Venafrum*, *Venafrani* populi, à *Vana* & *Aphra*. hinc *Vanus* homo, qui sese in varia superflua diffundit etc.

ואדא *Vara* vox item fæcunda, & cognata *Bara*, Synonima Iaphet, hinc *diuaricari*, hoc est, dilatari. hinc *virus* à diffusione. hinc quoque *Vir* dictus, hoc est, dilatatus, à Patre Latino, & fæmina *Virgo*, & *Virago*, a *Ga* atque *Vara*. *Vires*, atque *Virtus* a magnitudine, robore, siue incremento. hinc *Vari* Romani, & *Veri*, *Varrones*, *Virgilij*, a *Vara* & *Gala*, *Virginij* a *Vara* & *Gana*. hinc *Varus* fluuius: *Vero*, & *Verona* ciuitas. *Verbanus lacus*, a *Vara* & *Bana*. hinc latinum *verbum*, quod ore effundatur, atque *Christus Verbum* a Patre diffusus, seu manans. *Vercellæ* a *Vara* & *Cala*. *Verula* oppidum. *Verulani* populi, à *Vara* & *Ala*. *Vertina* ciuitas a *Vera* & *Tana*. hinc & *Vrsa* oppidum, à *Vara* & *Sa*, inde & Itali *Vrsini*. Inde & nomen *Vrbis* a *Vara* & *Basa*, *Vrbinum*, *Vrbinates* populi, à *Vara* et *Bana* etc.

ואשא Vasa idem. hinc Vas a magnitudine, & Vis, siue potentia, ab amplitudine. & à *Vasa* & *Ta*, *Vastus*, & *Vastitas*. à *Vasa* item *Mons Vesuus*, & *Vesbius*, à *Vasa* & *Ba*, *Veseuus*, à *Vasa* & *Saba*. *Vespa* à *Vasa* & *Pa*, quia dilatatur. *Vespasiæ* locus Italiæ à *Vasa* & *Pasa*, hinc *Vespasianus*, *Vespillo*, quod terram aperiat seu dilatet mortuo inhumando, à *Vasa* & *Pala* etc.

ואתא **Vata**. idem. Inde *Vita* animus, quia toto corpore se diffundit. inde & vox *Vetus*, quod magnæ ætatis. hinc *Vetulonia* ciuitas à *Vata* & *Lana*. *Viterbum* antiqua Italiæ ciuitas, à *Vata* & *Arba* etc.

ואוא *Vaua* quod *Va* geminatum, vnde *viuo* atque *Viuaria* loca magna, quæ aquis replentur. inde et *Viuianum* Italiæ Castellum etc.

Ac de Etymologijs locorum Italiæ hactenus. quæ tametsi ad probandam Patris Lati sedem Latium sufficiant: quia tamen eius antiquitates ab origine scrutamur, operæ quoque pretium me facturum arbitror, si insigniorum nominum Latinorum, atque cognominum fontes aperuero, quòd etiam antiquos Latinos, vtpote rudes sermonis hebræi, ea latuerint.

CAPVT DECIMVM.

Illustriora nomina, prænomina, agnomina veterum Latinorum, quæ à Iaphet parentis Italiæ vocabulo descendunt.

LAtinorum antiqua nomina, prænomina, agnomina non pauca à numeris manare comperio. hinc enim, Primus, Secundus, Secundius, Secundinus, Tertius, Quartus, Quinctus, Quinctius, Quinctianus, Quintilius, et Quintilianus, Sextus, Sextius, Sextilius, Septimus, Septimius, Septimianus, Octauus, Octauius, et Octauianus, Nonus, Decimus, Decius, Decianus etc. à Voluminibus item Sibyllæ, plurima illos tanquam fausta nomina sibi delegisse, in dubium vocari nequit. *Floros* enim à *Iesu* florido siue Nazareno sese appellarunt, à *Luca Lucios*, ac ob *Seruum* seruorum Dei Pontificem Maximum, *Seruiorum*, & *Seruiliorum nomen* haud erubuerunt. quin ab eius officio cælum *claudendi*, se *Claudios*, & *Clodios* dixere, atque *Claudianos*. quin & populi vniuersi à *Vesta Vestini*, ab *æquis* seu iustis Christianis in Latio victuris, *Æqui*, *Æquites*, *Æquicolæ* dicti, & à Christo *Crustumeni*, et *Crustumerii*, et sic de cæteris. nam à Patre Lato orta vocabula, modo recensemus.

A

Ahalæ, Halæ ab *Ala*.
Æmylij, et Aemiliani ab *Ama* et *La*.
Aelij ab *a* et *ala*.
Accij ab *Aca*.
Agrippæ ab *Aga* et *Rypa*.
Albij ab *Ala* et *Ba*.
Anci ab *Anebo*.
Annij ab *Ana*, atque *Anniani*.
Annibal ab *Ana* et *Bala*.
Antonij ab *Ana* & *Tana*.
Aphranij ab *Aphra*.
Appij a Iaphet, quasi *Iappij*.
Aurelij ab *Aron* Arca.
Ascanij ab *Asca* & *Na*.
Attilij ab *Ata*, et *La*.
Autronij ab *Aua* & *Tara*.
Auli ab *Aua* et *La*.

B Balbi

B

Balbi a *Bala* et *Ba*.
Baffus,Baffianus,a *Bafa* & *Ana*.
Bolani a *Bala* et *Na*.
Bruti a *Breet* Germauo.

C

Cæftius à *Caa* & *Afta*.
Cal. à *Caa*.
Cæcinæ à *Caa* et *Cana*.
Cicero à *Ca* atque *Cara*.
Columnæ a *Cala* & *Mana*.
Columellæ a *Cala* & *Mala*.
Cannij a *Cana*,*Canini*,& *Cinna*.
Cnæi ab eodem.
Cæpio,Capys, Capito, Capetus a *Capa* & *Ta*.
Cocceius a *Ca* atque *Caa*.
Curius,Curiatius,Cyrinus, Curtius, Quirinus à *Cara*,*Ta*,& *Na*.
Cornelius à *Cara*,& *Nala*.
Caracalla a *Cara* & *Cala*.
Carbo,Carbonianus Coruinus a *Cara*, *Ba*, *Bana*.
Caffij, Cafcæ a *Cafa* & *Cafca*.
Cæfar a *Cafa* & *Sara*.
Catus,Cotta,Cato à *Cata*.
Catulus a *Cata* & *La*.
Catilina a *Cata* et *Lana*.
Cethegus à *Cata* & *ga*.

D

Domitius à *Dama* et *Ta*.
Domitianus a *Dama* & *Tana*.

E

Ennius ab *Ena*,

F

Fabius à *Pha*,atque *Ba*.
Fannius a *Pha* atque *Na*.
Fabricius a *Phaba* & *Raca*.
Flauus,Flauius, Fuluius à *Phala*, *Na*, *Vana*.
Furius à *Phara*.

G

Gnato a *Gana* & *Ta*.
Gallus,Gellius,Galenus, Galienus, Galerius à *Gala*,*lana*,*ra*.
Galba à *Gala* & *Ba*.
Glabrio à *Gala* & *Bero*.
Gabinius a *Gaba* & *Na*.
Gracchus a *Gara* & *Racha*.

H

Hirtius ab *Hara* & *Rata*.
Herennius ab *Hara* & *Na*.

L

Labeo, Labienus,Libo à *La*,*Ba*, *Bana*:
Lælius à *La* geminato.
Lullus, Lollius ab eodem.
Lepidus à *La* atque *Pada*.
Latinus,Collatinus. Lætus, Lutatius à Lato Parente.
Lateranus à *Lata* & *Rana*.
Lentulus à *Lana* & *Tala*.

M

Mæuius,à *Maa* atque *ba*.
Memmius a *Ma* geminato.
Mamæas ab eodem.
Mamercus, & *Mamertus* ab eodem.
Macer,Macrinus à *Ma* atque *Cara*.
Manlius, Manilius a *Mana* & *La*.
Milo à *Mala*,*Mela* item & *Molo*.
Maphæus à *Mapa*.
Maro,Marius, Murena à *Mara*,& *Na*.
Marphorius a *Mara* et *Para*.
Mufo à *Mafa*.
Meffalla,Meffalinus à *Mafa* et *Ala*.
Marcus,Marcellus,Marcellinus a *Marca*, et *Ala*.
Marfus,Marfilius à *Ma* atque *Rafa*.
Metius,Mutius a *Mata*.

Metellus a *Mata* et *Ala*.

N

Næuius a *Naa* atque *Ba*.
Numa a *Na* atque *Ma*.
Nero a *Na* atque *Ra*.
Nerua, Norbanus a *Nara ba, Bana*.
Naſo, Naſica à *Naſa*, & *Ca*.
Natta a *Na* atque *Ta*.
Nigellius à *Na* atque *Gala*.
Nigidius a *Na* atque *Gada*.

P vel Ph.

Phocas à *Phaca*.
Pædius, Pædo, Pedianus a *Pada*.
Paulus, Publius a *Pa* atque *Bala*.
Pilatus a *Pala* & *Ta*.
Plautus à *Pala* & *Nata*, hinc & Græci *Platones* & latini *Plotij*.
Pompei, Pomponii, Pompilij, à *Pama* atque *Pa*.
Panſa a *Pana* & *Sa*.
Poppæ, & Puppii a *Pa* geminato.
Papyrij a *Papa* atque *Ra*.
Papinij a *Papa* atque *Na*.
Paſchinus a *Paſca*.
Piſones a *Paſa*.
Pheſcennius a *Phaſca*.
Petus, Petilius a *Pata*.
Photinus a *Phata*.
Perpenna a *Para* & *pana*.
Plancus, Plancius a *Pala* & *Naca*.
Portius a *Para* atque *Ta*.
Petronius a *Pa* atque *Tara*.

R

Rabirius a *Ra* atque *Bero*.
Ruffus, Ruffinus a *Rypha*.
Rupa, Rupilius ab eodem.
Roſcius a *Raſca*.

S

Scauri a *Scaba* atque *Ra*.
Sabinius a *Saba* & *Na*.
Sceua, & Sceuola a *Scaba* & *La*.
Sylla et Silius a *Sala*.
Sempronius a *Sama* & *Para*.
Serranus a *Sara*, et *Na*.
Sergius a *Sara* & *Ga*.
Scipio et Scapula, à *Scapa* atque *La*.
Salluſtius a *Sala* & *Aſta*.
Saturninus a Patre *Saturno*.
Stalenus a *Sata* & *Lana*.
Statius a *Sata* & *Ta*.

T

Titius, Titus, Tatus et Tatius a *Ta* geminato.
Tarquinius a *Ta* atque *Raca*.
Tyberius, Tyberinus à *Ta* atque *Bero*. inde & *Tubero*.
Trebatius, Trebellius a *Tara* & *Bata*, *ſeu Bala*.
Tigellius a *Taga* & *La*.
Tullius, Tullianus a *Tala* & *ana*.
Traianus a *Tara* & *iana*.
Terentius a *Tara* & *Nata*.

V

Valens, Valerius, et Valerianus, à *Vala*,
Vibo, Vibius a *Va* geminato.
Vlpius, Vlpianus a *Vala, Pa, Pana*.
Vellius, Vellianus a *Vala* & *Ana*.
Voluſius & Voluſianus a *Vala, Sa, Sana*
Verus, Varus, Varro, a *Vara*.
Virgilius a *Vara* & *Gala*.
Virginius a *Vara* & *Gana*.
Veſpaſianus a *Vaſa* & *Paſa*.
Vitellius a *Vata* & *Ala*.

Tot ergo nominibus Latium Pater Latus vendicat, quando hæc omnia *dilatatum* virum ſignificent. In quo dabit veniam Lector, ſi prolixiores paulò fuerimus; etenim ampliſſimo et principe terrarum populo, atque vrbe fundandis, ſolida atque ampla ſtatui fundamenta oportet, quibus vel rudera ſolent eſſe adiumento. Quæ autem hic prætermiſſa, nullo negotio ex etymologica Synopſi præmiſſa eruentur.

C A.

CAPVT VNDECIMVM.

1 *Romam* idem Parens ad Tyberis flumen condit, ac dedicat.
2 Ab *Vrbe condita* Latinorum Epocha, & Chronologia.
3 Vnde Vrbis *Colles* vocabula sortiti?

1 PRimum Iapheti, seu Saturni Patris in Latium aduentum, Saturnalitijs ludis institutis, Romana antiquitas diu celebrauit, vti & Græcia, vt Auctores tradunt. Decembri igitur in Italiam ingressus, (vt Saturnalia indicant) tumultuariè, vt fit, extructis casis, locisq. ad Tyberim exploratis, Palatinum collem, illique vicinum Tarpeium, sedem Vrbi designat, in quam tutò coire colonia posset, & à ferarum, quæ tunc grassabantur, iniurijs defendi. Primus autem locus, qui illum excepit, Circus Agonensis (qui *Piazza Nauona*) hodie Pamphylio Colosso, Palatio, Fontibus, Basilica ornatus, ab Innocentio nouissimè defuncto, dum Parentem Romæ prælum parturiret, Alexandro VII. eius successore hodie imperante, feliciter tandem aliquando in lucem edendum. Nam Euadrum Arcadem, quē Iaphetū esse supra ostendimus, ibiquieuisse, Propertius testis est:

Atque vbi Nauali stant sacra Palatia Phæbo, Lib.4.El.4.
Euandri profugæ procubuere boues,

Locus autem *Nauona*, vel à *nauibus* dictus, quod olim in eo Circo Naumachia fieret, idest, *Nauium pugna*, vne *Agonensis Circus* appellatus, vel certè à *Nauali* Apolline, seu *Phæbo*, cuius Templum (quod hic *Palatium* Propertius vocat) in extremo foro, quod deinceps S. Apollinari Christiani dicarunt. huc enim Circum excurrisse, fit verò simile. De Romæ autem anno ædificatę, non paruam Scriptores controuersiam mouent, dum in assignanda Olympiade variant. Ijs accedimus, qui septimam præferunt, vt anno septimo ab Olympico Agone, siue Babylonis opere intertupto, Europæ iam tunc Metropolis, futura olim Vniuersi, Augustum caput Roma erexerit. Nam Olympiadas per singulos annos numerando, non ternos (vti diu postmodum Ludis Olympicis in Græcia cœptum) tum classi parandæ, atque instruendæ, tum colonijs per Europam ducendis, tum primæ Romanæ moli construendæ, illis initijs, vt fit, exiguæ, septennium totum sufficere arbitramur. Quanquam qui spatium prorogandum duceret, haud equidem pugnarim. Itaque Anno Diluuij ducentesimo circiter, & octogesimo, affluente vndiq. vicinia nepotum, atque filiorum, è Græcia præsertim, atque Hispania, omnium Europæorum paterna, & auita ciuitas Roma dedicatur. Auxit frequentiam non solùm recentis operis visendi studium, sed potissimè Patris Conditoris, & Matris Carmentæ, quæ Sibylla Itala, quorum ille annis & canis venerandus pariter (nam sub Diluuium Scriptura teste centenarius erat) aureum in Latio sæculum, cuius historiæ, & Poëtæ omnes meminerunt, cum noua Vrbe, suis aperiebat. Ab hoc Romæ natali *Palilia* exorta, quæ a *Pala*, *Palis*, Vrbis *Dilatatæ*, Palatini Patris vocabulum Hebręum sumpserunt, Nam quod *Pales Dea*, seu *Domina Pastorum* vocata, eamdem *Romam* id etiam indicat, in qua *Pastor Pastorum*, Petrus, & Petri Successor Pontifex Romanus, Christi oues pascere, eiusdem Summi Pastoris imperio deberet, vnde *Domina Pastorum*, seu Episcoporum vniuersi orbis Christiani *Pales dilatata* Roma ritè appellata, ex Vaticinijs puta Sibyllinis, quę hunc

Romæ

Romæ prim atum ante Christi ortum longè portenderāt.in *Palilibus* autem ea repræsentata, quæ in prima ex casis in Vrbem migratione, olim euenerant. Nam causas Ouidius perscrutans,cur ijsdem festis per accēssos ignes Romæ exilirent, hanc vti veriorem præfert:

Hoc tamen est vero propius, cum condita Roma,
Transferri iussos in noua tecta lares.
Mutantesque domum, tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ,
Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos,
Quod fit Natali nunc quoque, Roma, tuo.

Tibullus item imaginem dedicatæ Romæ, hoc versu depinxit.

At madidus Baccho sua festa Palilia Pastor
Concinet, a stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ solemnes potus aceruos
Accendet, à flammas transilietque suas.
Et fœtus matrona dabit, gnatusque parenti
Oscula compressis auribus eripiet.
Nec tædebit eum paruo inuigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ qua leuis vmbra cadet.
Aut è veste sacris tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.
At sibi quisque dapes, & festas extruet altè
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

Vbi per *operatam Deo pubem* Sacrificia intellige,quæ Parens Latinus,dedicanda Roma, ante dapes & mensas, Deo, non Dijs, curabat offerri. De ijsdem Pallilibus festis etiam Propertiùs:

Vrbi festus erat, dixere Palilia Patres,
Hic primus cæpit mœnibus esse dies.

Idem alio loco:

Annuaque accenso celebrare Palilia fœno.

Sicut ergo Saturnalia Decembri introitum Saturni in Latium,sic Palilia Aprilis vigesima prima die instituta, Romæ ortum denotant. Sed quoniam insolens, atque noua, hæc multis forsitan narratio videbitur, quos praconcepta de Vrbe fundata à Romulo & Remo,opinio fefellit,veterū authoritate etiam corroboranda,vt non tam nouam historiam condere,quam veterem hactenus explanasse dicamur.Primum omnium igitur minimè ignorādum, permultos veteres Historicos, non solùm ante Romulum & Remum, sed multis ætatibus ante bellum Troianum,& Æneam Regum Albanorum Patrem, Romanæ Vrbis primordia traxisse, ex quorum Regum Albanorum postremo,Iliam matrem Romuli & Remi ortam fabulantur. Nam quod ad Romuli, & Remi commentum fabulosum attinet, adeò ab illo Crispus Sallustius abhorret, quamuis dictus *Romæna primus in historia*,vt Romę conditores Aeneam,& Troianos,cum Aboriginibus pronuntiet,nulla Romuli, & Remi facta mentione. huius verba hæc sunt: *Vrbem Romam, sicuti ego accepi,condidere,atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi,sedibus incertis vagabantur,cumque his Aborigines.*en igitur Roma Sallustio teste

De bello Cat.

teste & Romanæ Historiæ principe, ante Romulum & Remum, et Albanos Reges, quorum Pater Troianus is Aeneas traditur. Plutarchus item historiam de condita Vrbe a Romulo & Remo in dubium vocatam, his verbis testatur: *Horum pleraque (De Romulo & Remo) cum & Fabius referat, & Peparethius Diocles, qui primus putatur de conditione Vrbis Romæ aliquid prodidisse, quidam suspectam habent eam narrationem, vt fabulosam, atque commentitiam*. Idem quoque ibidem *Palilia* festa de Vrbis natali, diu ante tempora Romuli et Remi acta confitetur, ex quibus certissimè colligas, Romam ante eos natam, cum Romæ natalis diu ante illos fuerit celebratus. Phylargirius *in scholijs ad Virgilij Eclogas*: *Roma* (inquit) *& ante Romulum fuit, et ab ea Romulū sibi nomen acquisiuisse, Marianus Lupercaliorū Poëta ostendit*. Pigeat Annianos authores referre, si soli essent vel à superioribus melioris notæ minimùm dissentirent. ex his Sempronius: *Parum consideratè quidam scribunt, Romam postremis, ac nouis sæculis à Romulo conditam, & appellatam, atque coeptam, cum nullum ex his tribus verum apud maiores inueniatur memoratum, sed sint ab eis contraria prodita. Non enim Roma à Romulo nomen habet*. et infra: *Non igitur à Romulo Roma, sed è contra, ab ipsa potius Roma, cuius adeo est occulta deriuatio, Romulus nomen habuit, quæ ante ipsum Romulum coepta legitur coli, annis paulò minus octingentis*. Roma igitur iuxta hos authores, in quibus Romanæ Historiæ princeps Sallustius, ante Romulum stabat, non igitur huius conditor Romulus. quid, quod nec Aeneas dici Author potest, cum Romam diu ante illum, & Troiana bella extitisse, veterum Historicorum primi memorarint? in his Dionysius Halicarnassæus Romanæ Historiæ diligens indagator habitus, historijs de Roma Romuli, & Roma Aeneæ enarratis, cōtinuo subiunxit: *Quod si quis rē altiùs velit repetere, tertiam etiam Romam his antiquiorem inueniet, vt quæ ante Aeneæ, Troianorumque in Italiam aduentum, extiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis, nec recens scriptor prodidit, sed Antiochus Syracusanus, cuius antea memini. Is ait, Morgete in Italia regnante, venisse ad eum quemdam Romanum exulem. Verba ipsius sunt ista: postquam Italus consenuit. Morges pro illo regnauit, huius tempore Roma venit vir quidam profugus, nomine Siculus*. Hactenus Dionysius. Verum è veteri Historia modò eruendum, quinam Romæ illius, ante Romuli & Aneeę tempora, ac excidium Troiæ, imo bellum fundatæ, authores dicantur, nam his quasi gradibus ad Iaphetum parentem paulatim ascendemus. Verùm hic scriptorum in speciem pugna. quorum alij *Saturnum*, atque etiam *Ianum*, alij *Euandrum*; *populos* alij tum *Aborigines*, tum *Arcades*, *Græcos*, *Palatinos*, *Siculos*, Romæ & Romani generis ante Aeneam & Troiam, post diluuii tempora, parentes affirmant. Idem Dionysius, *Aborigines auctores*, *conditoresque Romanigeneris* appellauit, necnon *Italiæ Indigenas*. Eosdem Sextus Aurelius narrat *post diluuium in Italiam fuisse peruectos*, vt supra de Italiæ origine docuimus. De ijsdem & principe eorum Saturno, Iustinus Trogi breuiator: *Italiæ cultores primi Aborigines fuere, quorum Rex Saturnus*. & infra: *Italia à Regis nomine Saturnia appellata est, & mons, in quo habitabat, Saturnius, in quo nunc Capitolium est*. en ergo Saturnus Capitolii Romani primus habitator. Sed clariùs Maro Virgilius, ipsum Vrbis conditorem, quæ ex regione Ianiculi sita est, & *Ianum Ianiculi* ex aduerso, disertè expressit: *Hanc Ianus Pater, Hanc Saturnus condidit vrbem, Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen*. Plinius, dum

[Margin notes: In Romulo. — Ib. — De diuis. Ital. — Ant. Rom. l. 1. — lib. 1. — lib. de orig Gēt. Rom. — lib. 4. — Aen. 8. — Nat. Hist. l. 3 c. 2.]

dum oppida in Latio recenset: Saturnia, inquit, *vbi nunc Roma est. Aeneopolis, quod nunc Ianiculum, in parte Romæ.* Saturniam autem Ouidius Romam appellat illo versu: *A Patre dicta meo quondam Saturnia Roma.* Idem Macrobius de *Iano* et *Saturno* refert. *Ianum & Saturnum vna concordesque regnasse, vicinaque oppida communi opera condidisse, præter Maronem, qui refert, Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen, etiam illud in prompta est, quod posteri quoque duos eis continuos menses dicarunt, vt December sacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum possideret.* Capitolinum verò Montem *Saturnium* fuisse, tum *Varro*, tum *Solinus* memorant. Quibus Annianus Sempronius addendus est: Is enim in Diuisione Italiæ de eodem Romæ conditore hæc Scribit: *Roma ante ipsum Romulum coepta legitur coli, annis paulo minùs octingentis, ab Italo in Auentino Capena, & filia eius Roma in Palatino colle; & ante hos plusquam tresentis annis, aureo Sæculo, a Saturno, vbi nunc Saturni Aedes, ad radices Capitolini collis.* Verum ecce tibi quasi exaduerso veniens Euander, originem Romæ sibi vendicare, & Saturnum, & Ianum incursans, de possessione Romanæ originis deturbare videtur. Etenim de hoc Virgilius:

Fast. 6.

Saa. l. 1. c. 7.

Lib. 4. de Ling. Lat. cap. 2.

Aeneid. 8.

At Rex Euander, Romanæ conditor Arcis.

Item aliquanto ante de Monte Palatino.

Arcades has oras, genus à Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus Vrbem,
Pallantis proaui de nomine, Pallantæum.

Et postea

Muros, Arcemque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo
Aequauit, tum res inopes Euandrus habebat.

Et Seneca in consolatione ad Heluiam: *Quid interest, ait, enumerare Euandrum in ripa Tyberis regna Arcadum collocantem?* Pausanias item in Arcadicis, *Euandrum* eumdem Romæ conditorem facit. Et Solinus: *Palatium nemo dubitauerit, quin Arcades habeat authores, à quibus primùm Pallantæum oppidum conditum, quod aliquando Aborigines habitarunt.* Denique Halicarnassæus: *Ante bellum Troianum, coloniam Græcorum deduxit Euander Mercurii filius, & Nymphæ cuiusdam Arcadicæ, quam Græci Themim fuisse dicunt, diuino afflatu instinctam. Romanorum verò antiquitatum Scriptores, Carmentam patria lingua vocant. Elegerunt autem, sicut eos Themis, post rem Diuinam peractam, præmonuerat, tumulum non longe distantem à Tyberi, qui nunc fermè in Meditullio Romanæ Vrbis situs est, apud eum extruxerunt paruum vicum capacem hominum, quot duæ naues adduxerant è Græcia, nomenque huic oppidulo imponunt, Pallantium, quod nunc Palatium Romanis dicitur.* Hactenus Dionysius. Ex quibus colligimus tres viros de Romæ primordio apud Authores antiquos solummodo certare, *Saturnum, Ianum,* & *Euandrum,* nam *Aborigines* ad Saturnum, vtpotè horum Regem, spectant, vti supra traditum. *Arcades, Palatini, Græci* ad Euandrum, vti quoque supra ex Virgilio, Seneca, Halicarnasseo, & alijs modo didicisti. *Siculi* autem ad Saturnum primum Italiæ vniuersæ Regem, in qua Sicilia, quia nondum ea pars ab Italia diuisa, vti complurimi historici fatentur, adde, quod apud Macrobium, Oraculum

Cap. 8.

Lib. 1.

Dodonæum, rura Siculorum *Saturnia* appellet: *Pergite quærentes Siculum Saturnia rura, atque Aboriginiden Cotylen, vbi se insula vectat.* Siculi igitur, quos primos *Romam tenuisse* Dionysius scribit, ad Saturnum spectant. quid, quod ad pauciores, quàm tres, de origine Romæ pugna redigitur? Etenim ex priscis illis authoribus, alijsque colligere datur, *Saturnum* & *Euandrũ* minimè inter se differre. Etenim vt sibi Virgilius constet, qui Saturnum *Saturniam* Romam condidisse, & *Euandrum* Romanæ Arcis *Conditorem* eodem calamo scribit, eumdem hominem *Euandrum* & *Saturnum* fateri cogemur. *Palatinos* populos ad Euandrum spectare, *Aborigines* ad Saturnum Regem supra audiuimus: Atqui *Varro* Palatinos, & Aborigines eumdem populum vocat: *Palatini, qui & Aborigenes ibi* (in Palatino colle) *Consederunt*, quod qui fieri potest, nisi hunc Saturnum Aboriginum Regem cum Euandro Arcadum seu Palatinorum, vt supra conflemus? Ad extremum Sextus Aurelius victor, de *Euandro* hæc tradit: *Primus omniũ Euander Italicos homines legere, & scribere edocuit. Idemque fruges in Græcia primùm inuentas ostendit, serendique vsum edocuit, terræque excolendæ gratia, primus boues in Italia iunxit.* Atqui hæc *Saturno* alij communiter tribuunt, nam *Falcifer Deus* propterea vocari, & *cum falce* pingi consueuit. igitur *Euander*, & *Saturnus* solo vocabulo differre censendi, quod & eruditus Italiæ indagator Cluuerius vidit, nam *Latini* (inquit) *Euandro Saturni tribuerunt nomen*. Ad *Ianum*, & *Saturnum* igitur alio nomine *Euandrum*, exordium Romæ reduci videmus, & cum *Ianus* cæli Ianitor esse capite proximo infra demonstretur, vnicus hanc *Saturnus* auferet. Verum esto, inquies, ecquid ad Iaphetum illa pertinere censemus? Enimuerò plurimum. nam Iaphet Saturnum, & Euandrum esse supra monstrauimus, & rursus deinceps amplius modò declarandum. Saturni Tullianum etymon, nẽpè *annis Saturi*, soli Iaphet conuenire ob longam ætatem, supra ostendimus. Saturnus à Patria exul in Italiam nauigat, illique à latebra sua, vti fabulantur, Latij nomen indit: Veriùs certè Iaphet à patria sua Asiatica voluntarius exul, vt Diuino iusso de terra replenda obediens esset, in Italiam nauigio peruectus, illam de nomine suo *Latium* indigetat, & de Iaphet *Iapygiam*, quasi Iapitiam, nam eumdem Italiæ colonum fuisse supra ad nauseã habes inculcatum. Saturnum Italiæ aduenam Ianus illo prior hospitio excipit, Iaphetũ similiter Petrus cęli ianitor in filijs eius, suę Ecclesiæ hospitio excepit, prior quidem illo, non tempore colonus, verùm dignitate, vti supra de Fauno, & Faunis primis Italiæ colonis, atque indigenis, habes explanatum. Saturnum Ianus regni Societate donat, vnaque concorditer imperant, quod tempore Constantini Cæsaris Petrus cæli Ianitor in successoribus suis concorditer spiritale regnum, & iurisdictionem cum temporali publicè esset habiturus, Reges, & Cæsares Romanos de Iapheti stirpe coronaturus, vnaque pacificè victurus. Ianus exaduerso Saturniæ Vrbis Ianiculum ædificat, quod idem cæli Ianitor Petrus, atque verus Ianus in Ianiculi colle moriturus, causa esse deberet, cur Ianiculum è regione vrbis Iapetiæ situm, Pontifices Summi Iani Succesores, ædificijs, ac templis in modum Vrbis exornarent, vti hodie videmus, Vaticanam Aedem in honorem eiusdem Iani construerent, & Transtyberinam omnem regionem muris incingerent, quæ quidem omnia, per Iani Vrbem Saturniæ aduersam, Poëtæ, ac veteres historici complexi. *Saturni* porrò effigiem cum Iapheti imagine conuenire ad vnguẽ supra monstrauimus. Saturnus Aboriginum Princeps, & eorum, qui quercu

Sat. l. 1. c. 7.
Lib. 1.
Lib. 4. de Ling. Lat.
De orig. Gent. Rom
Fast.
Lib. 3. c. 2.

duta, & robore exclusi, hoc est, Argonautarum: de Iapheto supra idem ostẽdimus. Saturni aureum in Latio regnum, hoc est, pacificum: Iapheti item mitis principatus, vtpotè Patris in filios, seu nepotes suos. Nullus sub Saturno seruus, ideo enim in Saturnalibus cum heris serui mensæ accumbebant: nec sub Iapeto quisquam seruiebat, omnes enim filij, & nepotes Regis. Saturnus filios deuorasse creditus: item Iapetus ob longam ętatem suis liberis superstes, nam à Diluuio, vt sit fratri Semo coæuus, quingentos annos vixisse oportet, ad quam sanè ætatem nemo post Diluuium natus peruenire potuit, vnde suos liberos eum deuorasse fortè fabulati. Saturnus denique, vti Deus habitus: nostet item Iaphet sub Beli, & Herculis nomine a posteris cultus, vnde Iapetum Ευρυτηδῆ, hoc est, dilatatum, similem Dijs immortalibus Homerus effecit. Atque hæc ferè sunt, quæ de Saturno comperta habemus, Iapheto in omnibus consona. Nam quod *Cæli, & terræ sit filius* dictus, puta ob cælestem animum, & corpus de terræ limo efformatum, *Maritus Opis*, Euæ adiutorii diuinitus dati, *Iouis parens*, *à quo regno pulsus*, ad Saturnum Adam, non Italum illa pertinere, supra probauimus. Age porrò similiter Euandrum cum Iaphet conflemus, vt Romæ eumdem Parentem sub nomine Euandri, ac Saturni Historia vetus descripsisse deinceps credatur. Euandri etymon, siue bonum hominem, siue dilatatum, id interpreteris, pro Iapheto facit, vt supra indicatum. Arcas Euander: Arcas item Iaphet, nam in Arca clausus, vnde Arcadia, & Arcades populi nomen inuenerunt. Euandrum fabula Mercurii filium, & Nymphæ cuiusdam Arcadicæ facit, cui nomen incertum: Iaphet item Christi Mercurii, *Mariæ vterini*, de cuius vtero nomen Mercurii natum, in posteris Italis Christianis filius, vel etiam in se, si Patris exemplo, quod verisimile, in Christum credidit venturum, sine cuius fide neminem etiam veterum salutem esse consecutum, luculenter D. Augustinus aduersus Pelagii discipulos asserit. Nymphæ verò Arcadicæ Iaphet, Noææ coniugis, quæ cum ipso etiam in Arca inclusa, vnde Arcadica, vera proles fuit. Euandri coniux fatiloqua, quæ Mater Carmentis, à carminibus, puta, Sibyllinis fuit nominata, Mater Italorum, non tamen Euandri, sed vxor, vti quidam veterum etiam obseruarunt: Iapheti vxor quoq. Sibylla, cùm se in Sibyllinis, quæ circumferuntur, Noe Nurum (ob maritum Iaphet Noe filium) & filiam, simul agnominet, cum quo patre fuerit in Arca morata. Traditur præterea Euander, ab Arcadia Peloponnesi in Latium ingressus, nam id apud Ouidium loquens Tybris narrat:

Plut. in Numa.

Arcadis Euandri nomen tibi sæpè refertur,
Ille meas remis aduena torsit aquas.

De Iapheto idem supra cognouimus, & aduenam, & colonum Italiæ fuisse, innumeris propè argumentis habes inculcatum. Euander Italos primus litteras docet, primus agriculturam, & cæteras artes, vti de Saturno alij æstimarunt: Cum Iaphetum in Latio vixisse innumeris pateat argumentis, ab eo literas Latinos hausisse, & cæteras artes cum lucis communis vsura necesse fateri, quæ omnia ipse à Parente Noa didicerat. Nam Noam *Agricolam* fuisse, ex Scriptura habemus, & cum eadem à Iaphet cum fratribus disseminatos in terra homines à diluuio testetur, disseminatas simul artes esse, atque disciplinas, sed maximè ruris peritiam colendi, quis non existimet? Alipedis Dei Mercurii, & Fauni bicornis, hoc est, Christiana sacra à Christo

olim

olim instituenda, vti supra explanatum habes. Id enimuerò Soli Iapheto congruit, qui à Patre Noa, et coniuge Sibylla, de Christi venturi sacris, seu Sacrificijs edoctus erat, non minùs certè, quam Poëtæ, qui perquam natiuè ante Christum natum illa descripserunt, vt ex Ouidio supra, alijsque innumeris toto hoc opere memoratis, constat. Euander Carmentis oraculo instructus, de Hercule (Christo Dei filio), à quo cæsus Cacus, Cacodæmon, mira præsagijt, vt de ara Maxima illi Romæ collocanda, in qua hostia Maxima ipse offerretur. Quæ quidem omnia verè significant, Iaphetum à Parente Noa, et coniuge Sibylla, de ijs instructum. Euandri Hospes Argus, vt est in fabulis, Romę interemptus, et in Argileto, qui letum siue mortem Argi suo nomine refert, tumulatus fertur: Iapheti primi Argonautæ, vt etiā ex Scriptura supra probatum est, Argo classis et eiusdem hospes, quando mari vehebatur, in partes distracta, et quasi interempta, vt Rostra ærea forū, et malos Argiletus Romanus seruaret, instar Syluæ densas, et erectas, fabulæ locum de Argi hospitis letho et nemore dedit. Igitur cum totus Euander, et Saturnus totus in Iapheto nostro clarè pelluceat, originem Romæ ante Romulū diu, et Albanos Patres, eorumq; Patrem Aeneam fundatæ, quam Euandro et Saturno veteres Historici et Poëtæ tribuunt, etiam vt cætera, eidem aliquando assignandam vides. Ad quod confirmandum, fortissimus is Achilles erit: Iapheti in diuisione terrarum post diluuium Europam portionem fuisse, vel ex Scriptura hactenus indicatum, dum ab illo et filijs diuisas gentium insulas esse tradit, quorumdam eius filiorum nomine quęsdam in Europa regiones appellat, vt supra ostēsum. Iaphet ergo hactenus in Europā inductū à Scriptura habemus. Ac ne eius in ea sedem diu quæreremus, en illum prophana Historia, cum vetus, tū noua, in *Latio* primaria Europæ regione collocat. nam Iapetum in Italia sepultum supra affirmauit, et plurimas Italiæ Vrbes atque regiones ab eodem, vel filijs conditas aut inhabitatas, vt supra monstratum: præterquam quod *Latium* et *Iapygia* in Italiam eumdem *Iaphet dilatatum* cum cæteris similibus aduocent. His itaque præmissis, non alius à Iaphet Saturnus, non alius Euander certò concluditur. nam si quidem alius is Iapheti filius aut nepos necesse existat. Nam parentem Noë in Asia mansisse, neq; coloniam vllā per se duxisse, clarissimè infra ex Scriptura probamus. Age erge is Iapheti filius, vel si mauis, nepos, primos in Italia boues ad arandum iunxerit, primus Italorum regnum obtinuerit, vti de Saturno et Euandro historia prodit, Iaphet auo, vel Patre præsēte, et in Italia quoque commorante? Iaphetum ergo in Latio habitantem interim ab arando cessasse, inertem, aut rudem ruris colendi fateantur necesse est, qui hæc somniarint, et à Patre Noa degenerem, (quem vel ipsa Scriptura *Agricolam* in Asia facit) Europæ Patrem, Patriarcham, hominem ab eadem Scriptura quoq: commendatum, à quo et iuxta eamdem, omne hominum genus sit disseminatum, idque vt filius Euander, et Saturnus nescio quis, quem et ipsi ignorant, Italiæ imperet, Patri Tyrannicè principatu erepto, primusque in Latio boues arando coniungat. hæc quam sunt absurda! Age porro quātum laborabunt, vt eum *Arcadem* faciant, aut *Arcadum Regem*, qui nūquam in Arca moratus, *Aboriginem* aut *Aboriginum principem*, qui Patrem Iaphetum, originem suam, non iam in Europa, sed secum in Latio habeat commorantem. huic Iapheti filio Italiæ Principi, et primo colono, Tyrrheni quoque reclamabunt, ideo fabulosè Delphines effecti, quod Principes et autho-

res suos, Delphinas, vteros seu vētres Europę Iaphetū et coniugē penes sese habeant. Nec Iapheti filium aut nepotē primum Italię Regem, aut colonum hæc omnia admittent, quæ Iapheto Patri supra attributa. Ineptias igitur missas faciamus. Nec vllos Saturnum et Euandrum credamus, quos quidem nescimus an iuuenes, an senes decesserint, bonine an mali fuerint, quando tamen senes atque bonos, Saturni et Euandri desideret Etymon, quod quidem vtrumq. manifestè Iapheto Scriptura attribuit. Ita enim Sacra et prophana historia inuicem belle consentiet, nec in tot absurda et inepta, nostra obstinatione incidere cogemur. Præterea cursus Argonautarum Romæ terminatus, vbi Argo classis ex aquis educta, vnde et *Nauiū* Rostra in Romano foro, et Argiletus Sacer, et Argea sepulchra et Sacraria Romę, et Argonautarū ibidē porticus, et Argonauticę fragmentū nauis ad Domitianū Cæsarem sanctè custoditum, teste Martiali, aliaq. innumera indicia clamant, Iaphetū sūmum Argonautam, vel Scriptura teste, Romæ conditorem. clamat et Sibyllæ coniugis domiciliū, Argonautas illos instruentis, in hac vrbe fixum, in qua Porta Carmentalis, Carmentæ fanum, atque Sibyllini codices in Capitolio ad Augustum vsque, et deinceps, cautè conseruati. Clamant prope omnia Italiæ loca ab hoc nominata. Clamat Romæ nomen, hoc est, *dilatata dilatatum Patrem*, originis authorem. Clamat et alterum vocabulum Romę, de quo omnis prope historia vetus mira fabulatur, qui id euulgasset, in crucem suffixum, illo publicato vrbem capiendam, quæ quidem à Sibylla excerpta ita euenere. Nam Romę alterum illud nomen, *Babylon*, censendū est, quod S. Petrus, qui Romæ postea in crucem suffixus, primus euulgauit, quando ita scripsit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, coelecta*. quo etiam vulgato, quamuis diu postmodum, Roma à Barbaris capta, et incensa. *Babylō* porrò, vti *Roma*, dilatatam seu diffusam Vrbem significat à *Ba, Bala*, et *Na*, vnde et *Balæna* cognatum suæ magnitudinis nomē mutuatur. Idem sacra quoque mysteria clamant: Nam Petrus in *Ioppe*, quæ et *Iapha* dicitur, puellam à mortuis excitat, quonam mysterio? quod gentilitati ob peccata mortuæ, vita olim esset à Petro reddenda, sed in Vrbe *Ioppæa, Iaphæa, Romana*, à Iapheto condita, atque nominata, inquam et seipsum, et Cathedram suam erat translaturus. Nec id contemnendum, quod vbi in Latino legitur: *Dilatet Deus Iaphet*. πλατύναι, *dilatet*, Septuaginta vertāt. præsagio haud leui, quod Palatinus, siue Pallantæus Heros Iaphet olim esset ob Romam primùm in Palatio condendam, quod nomen Euandro prophana historia assignat. Quorsum ad extremum Apostolus ad *Romanos* scribens, *Græcos* eosdem non vno loco nominare videtur? nisi quod Græcia Maior, vti supra dictum, Italia foret, & *Romani Græci*, hoc est, *dilatati* per excellentiam quādam, vt dicitur, essent, à Patre Iaphet *dilatato* exorti. quo nomine Græcorum à *Ga*, & *Racha*, *Gracchorum* familia vetus, & nobilissima gloriata apparet. Bene igitur habet. Quod felix, quod faustum, sub omine fausto Chisianę Quercus Ramum Aureum Ecclesiæ Principi Petro offerentis, quem fabulæ Aeneam vocarunt, Romani conditorem suum perspicuè agnoscunt, quem docta antiquitas per nebulam tantùm fabulosam Saturni et Euandri, olim intuita.

Portò ab hac *Vrbe condita*, Epocha temporum amœnior et lætior apud Italos et Romanos cœpit, quibus Diluuium, aut Olympiadas semper memorare, durum videbatur. Hanc verò generico nomine ab εὐρὺς Iaphet,

Aeram

Aeram vocauere, vnde *Aera Christiana* post Christum natum, vsu inualuit. Illa autem *Vrbis condita Aera* et Epocha, longa die, et Annalium cum literis neglectu, intermissa diu, anno post diluuium sexcentesimo circiter supra millesimum denique reuixit. Quo tempore Vrbem à Romulo extructam, quidam Romani Scriptores falsò vulgauere, nam annos mille et trecentos ferè antea steterat, vt modò monstratum. Cæterum Olympiadas similiter abruptas, simili prope tempore, Olympicis ludis instauratas, Græcia retinuit. Vnde Epocharum tam Vrbis Conditę, quam Olympiadum, ingentem hiatum licet obseruare, ad vsque spurias illarum sedes, tempore supra memorato fixas. Consequentia autem Romanorum tempora, per Reges, Consules, ac deinde Cæsares signata fuere.

3 Verùm, ne ab Vrbe lōgiùs abeamus, haud facilis coniecturæ arbitror in hac vetustate, quæ prima illius fuerit amplitudo. Palatinum certè collem constat, et Capitolinum, siue Saturnium, ædificijs primum occupatos fuisse, cætera autem iuga Ianiculum, Auentinum, Quirinale, Exquilinum, Viminale, Cœlium, colonorum paucitas haud videtur illis initijs potuisse amplecti. A quibus item collibus, Septicollis Roma fuerit appellata, haud præcisè liquet. Aen. 6.
Nam Seruius apud Virgilium dum eos recenset, Capitolium omittit, quod minimè videtur fuisse omittendum. sunt qui Viminale, atque Exquilinum idem iugum æstiment, quod est probabile. Alij Ianiculum excludunt, quod alij admittunt. Martialis quidem de eo ambiguè illo versu loquitur

Iuli iugera pauca Martialis, longo Ianiculi iugo recumbant,
Hinc septem Dominos videre montes, & totam licet æstimare Romã.

Ad etymologias horum veniamus. Ac Palatinus a *Pala* et *Ta*, vti supra dictum, quod *Latum, Latum*, siue *dilatatum* hebræis designat, a Patre Lato obtinuit nomen, nam inde πλατὺς etiam græcè *latus*, quod per epenthesim Παλάτυς foret, vnde Palatium, Patris Lati Domus ac Regia dicta. Mons Capitolinus, qui et Saturnius, ac Tarpeius dicitur, vtroque postremo nomine, Romæ conditorem Iaphet insinuat. A Saturno nempe Saturnius oritur. à *Ta* atque *Rapa* siue *dilatato*, vt in Etymologijs supra, *Tarpeius*, sic *Cælius* et *Cælimontium*, à *Caa* atque *La*, Patre *dilatato*, vnde *Cælum* dictum, ob amplitudinem ac diffusionem. Capitolij nomen ex Sybillinis oraculis haustum, vti cæterorum, quòd sanguineum *caput Toli* (*Apostoli* Pauli) in Ecclesiæ Romanæ principijs, quasi fundamentis Ecclesiæ, seu Templi Ieouæ, olim Romani essent inuenturi, vnde fabula de capite *Toli*, puta *Apostoli*, originem habet. Haud absimiliter Mons *Exquilinus*, qui et *Viminalis* iuxta nonnullos, ab *excubijs* sibi nomen trahit, vt authores volunt, quasi *excubialinus* Exquilinus esset, quod in ea Vrbe Septicolli, Pontifices summi *excubiæ* Christiani Orbis quondam residerent. Nam *Viminalem* à sacris Vinculis, et prodigiosis, quæ Exquiliæ conseruant, dictum arbitramur, quibus Romanæ Ecclesiæ Parens, vti *Viminibus*, erat alligandus. *Quirinalem* modo quis nescit à Romulo *Quirino* nomen inuenisse? sed quis iste *Romulus*, et vnde *Quirinus*, in Romulo et Remo infra aperiendum. *Auentinus* verò ab Auenione, quasi *Aueniotinus*, in quam Patrum Pontificum à Plebe futuram discessionem etiam acceperant, ideo, vti eruditè A. Gellius obseruat, cum sex alij montes intra sacrum Vrbis pomærium esse censerentur, solus Auentinus superstitiosè illo excludebatur. Igitur, quod summopere mirandum, supradictis collibus Sibyllini Libri, tanto interuallo ante rerum euentus, peperere nomen. L. 13. c. 14.

Ideo

Ideo enim *Vaticani montes* appellati, quod de his plurima Sybilla *Vates cecinisset*, nam & a *Vatibus* & *Vaticinijs Vaticanos* dici, perantiqui Scriptores affirmant. Quod quidem magis perspicuè in Ianiculi colle (qui ad Vaticanum magis propriè spectat) licet intueri. Nam quid *Ianiculum*, nisi *collis Iani*? cuius autem *Iani*, nisi Ianitoris cæli, cui Christus per claues in ianuam Olympi ius tradere debebat? Hunc autem, quod in eo colle siue Ianiculo cruci fixus obijt, hodierni Romani *S. Petri Aureum montem* indigetant. Vnde igitur tot sæculis ante illum cæli Ianitorem natum, & in eo mortuum, nomen Ianiculi, hoc est, Iani collis innotescere potuit? Nam vt cæteros omittam, Virgilius Ianiculi meminit, vt supra ostensum, qui Petrum & Christum ætate præcessit. Vnde, inquam, antiquis hoc nomen compertum, nisi id Sibylla illos prædocente? Hæc enim non modò Romani Imperij fata, sed & Ecclesiæ Romanæ euenta, & casus, clarissimè prædixit, vti sapè aliàs toto hoc opere, summa cum voluptate & fructu, intelligi poterit. At quoniam Iaphetum primum Italiæ colonum, etiam Romæ conditorem hoc capite fecimus, causæ explorandæ, cur idem *Iano* antiquitas ex parte assignarit, & *Romulum* et *Remum* eiusdem Vrbis Authores primos, imo & *Aeneam*, & cum eo *Vlissem* illa prædicarit, vt his adapertis dicta confirmentur, & Pontificiæ Sedis, ac Romanæ Ecclesiæ splendor & dignitas a Sibylla prædictæ, ampliùs innotescat.

CAPVT DVODECIMVM.

1 Cur *Ianum* primum Italiæ colonum, & Romanæ Vrbis ex parte authorem prisci crediderint?

2 *Iani* nomen, mēnsis, festiuitas, nauis, geminum caput, baculus, claues, officium,

3 Ianiculum item collis, & oppidum, Regia in Vaticano, loca Romæ Iano dedicata, Templum clausum & apertum, Olympus ciuitas, Carna coniux, subditorum mores atque religio, *Ianitoris cœli* in Vrbem aduentum, primatum, & Cathedram fundandam Romę prædicebant.

4 Ab hoc quoque Templa consecrata, Altaria erecta, sacrificia instituta, Magistratuum sacra ordinatio, eiusdem Synonymæ voces, Patria, Apotheosis, Aqua Sulphurea idem præmonstrabant.

1 TRIA aurea sæcula in fabulis legimus, quæ a Sibyllæ oraculis accepta, perperam Poëtæ in vnum conflarunt. Primum fuit sub Saturno Adam in Paradiso, quando

Met. 1.

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant.

inter

inter quos *lectos arbuteos foetus*, pomum vetitum Adami, & malum illud causa omnium malorum. hac ætate item Ib.

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis,
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

Altera ætas aurea, sub Saturno Iaphet, primo Italiæ Principe, qui post Diluuium filios & nepotes alta pace rexit; quæ quidem ætas

vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna, metusque aberant, nec vincla minacia collo Ib.
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

Tertium sæculum eiusdem metalli, sub Christi ortu & Euangelio reluxit. de quo Virgilius à Sibylla edoctus, Eccl. 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies Cœlo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, & toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina.

Quòd autem eo sæculo Euangelij aureo, & tempore gratiæ (vt vocant) *Ianum* hoc est, *Ianitorem Cœli* in Sibylla legissent, in Italiam venturum, ibique spiritaliter in Ecclesia Romana regnaturum, propterea Chronologiam, atque regnum *Iani* & *Saturni Iaphet* (qui & aureo sæculo, non tamen eodem, Romæ imperarat) aurei temporis similitudine decepti, vna miscuerunt atque confuderunt. Ianiculum insuper, vbi Ianus passurus, cum ex eadem Sibylla accepissent, in modum Vrbis, ædificijs ornandum, quæ à Barbaris cum Vrbe Roma essent diruenda, Vaticanum Templum atque Palatium in honorem eiusdem Ianitoris cæli ex aduerso Romæ quoque excitandum, insuper loca trans Tyberim a Pontificibus successoribus Iani cęlestis, muris adaugenda, illa Ianiculum seu Iani Vrbem Saturniæ aduersam, sunt interpretati, vti ex Marone conijcere licet

Hæc duo præterea disiectis oppida muris,
Relliquias, veterumque vides monimenta virorum,
Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit Vrbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Ianum propterea ex parte Romæ Authorem fecere, quòd Ianiculum sit *in parte Romæ*, vt Plinius testatur. Illa quoque occasio erroris, de Iano primo Italiæ colono, qui hospitio Saturnum exceperit, & cum quo postea concorditer regnarit, ex eadem Sibylla manat, quæ Ianum siue Ianitorem cæli Petrum, præcipuum ac primum Italiæ aduenam appellasset, ob Pontificiam puta dignitatem, vnde etiam Saturno priorem tempore Ianum credidere, præsertim, cum Latinum Principem, puta Constantinum Cæsarem, quem Saturnum rati, suæ Ecclesiæ hospitio Ianus excepturus esset, cum quo Pontifices Iani successores concorditer postmodum imperium haberent.

mon-

2 Per *Ianum* autem, *Ianitorem Cœli* Petrum esse prædictum, sat prisci demonstrant, dum *Iani à cœlesti Ianua* nomen deduxere. Testis Ouidius, qui illum his versibus loquentem inducit:

Fast. 1.

Præsideo foribus cæli, cum mitibus horis,
Et redit officio Iuppiter, itque meo.
Inde vocor Ianus.

Et infra. *Sic ego prospicio, cælestis Ianitor aulæ,*

Quibus autem clarioribus verbis à gentili homine, *Cœli claues gerens* Petrus exprimi potuit, quam dum *foribus Cœli præsidere* dictus, *atque ideo Ianus*, & *cœlestis aulæ Ianitor* appellatus fuit? Quid, quòd idem Romæ cultus, atque multiplici effigie expressus, diu antequam natus? nam cum ante Sibyllæ oraculum agnitum, primus Romanis mensis Martius esset, iuxta illud quoque in ijsdem Fastis:

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus

& Iulius quintus, seu Quintilis, Augustus Sextilis seu sextus, September septimus, October octauus, nonus Nouember, December decimus, & sic Ianuarius vndecimus foret (nam à Ianuario annum inchoando, December ex c. duodecimus, non decimus erat, & sic de cœteris) in honorem *cœlestis Iani* siue *Ianitoris*, qui Romam venire, & Cathedram eo mense ibidem locare debebat (quippe decimum octauum Ianuarij diem, tam beatæ Sedis auspicijs & ortu insignem, vbique terrarum Ecclesia recolit) vndecimum hunc mensem, *Ianuarium*, à *Iano* non solum vocari, sed etiam primum fieri placuit, vt anni inde exordium flueret, vnde gentilium æternæ salutis principium esset. atque ita

Fast. 1. *Iane biceps, anni tacitè labentis origo*

effectus es. & sic

Frigoribus nouus Incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat,

nisi causa melior iam dicta obstitisset. Calendas ergo adeo fausti mensis, summa lætitia & celebritate prisci venerati, quamuis id agendo transactæ rei, non olim futuræ, festiuitatem coli à se crederent, forsan quòd Sibylla Prophetarum more, verbis præteriti, non futuri temporis, hanc rem prædixisset. Calendarum autem Ianitoris Cœli prisca solemnia, eleganter idem Ouidius suo more explicat:

Ib.

Prospera lux oritur, linguis animisque fauete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.
Cernis odoratis, vt luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde iubar.
Vestibus intactis, Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque noui præeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba falisca suis.

Meri-

Meritò sanè *intactis vestibus*, atque *rebus nouis*, festum Petri colebant, qui Romam superstitione, & antiquis vitijs erat exuturus, & renouaturus. sequitur deinde

Salue festa dies, meliorque reuertere semper, Ib.
A populo rerum digna potente coli.

Neque verò *faustas* eiusdem diei *apprecationes*, publicæ quoque lætitiæ argumenta, Ianum alloquens, siluit:

Sed cur læta tuis dicuntur verba Calendis, Ib.
Et damus alternas, accipimusque preces?

Munera item, *Strenæ*, seu *Xenia*, & *stipes* vltrò citroque missitari solitæ, boni & pauperis ẞωẞ, siue peregrini, in vrbem aduentum primum designabant, quodque ille mendicus, vti æra & stipem, & alia temporalia munera, a Romanis foret accepturus, sic ipse vicissim eos remunerans, Euangelium, Ecclesiam & Cathedram Spiritalia, & immensa bona, esset largiturus. Itaque rursum Ouidius ad Ianum

Dulcia cur dentur video, stipis adijce causam, Ib.
Pars mihi de festo ne labet vlla tuo.

& infra,

Tu tamen auspicium si sit Stipis vtile quaris, Ib
Curque iuuent nostras æra vetusta manus?
Aera dabant olim, melius nunc omen in auro,
Victaque concessit prisca moneta nouæ.
Nos quoque templa iuuant (quamuis antiqua probemus)
Aurea, Maiestas conuenit ipsa Deo.
Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis,
Mos tamen est æquè dignus vterque coli.

Itaque ex gentili vate hæretici discant, Romanæ Ecclesiæ diuitias non calumniari, cum ad *Ianitoris maistatem* spectent. Quod enim modò non solum auro templa fulgentia, sed & opulentos successores *Ianus* Petrus habeat, ære eius veteri in aurum conuerso, ad Diui (inquam) maiestatem pertinet, quantumlibet mendici, atque æra poscentis. hinc non solùm apud ignobile vulgus, sed & ipsos Cæsares & mundi Monarchas, eius festo die mendicandi vsus, & stipes rogandi mos inualuerat: siquidem *Caius Caligula* (teste Suetonio) *edixit, strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium, Calendis Ianuarijs, ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu, omnis generis turba ferebat*. honorata paupertas piscatoris hominis, quæ se imitando, & significando, terrarum dominos mendicos effecit! Ne verò vmquam Romæ deleretur *Ianitoris Cœli* memoria, antiquissima eius *effigies cum naui* incisa in æs spectabatur. Quo factum, vt Petrus Romæ diu ante sculptus, quàm in terris visus (quod qui fieri potuit, nisi eius ideam Sibylla monstrasset?) Nam de hoc rursum noster vates: In Caio.

Multa quidem didici, sed cur naualis in ære Ib.
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses in imagine (dixit)
Ni vetus ipsa dies extenuasset opus.

Ac de *naui* quidem *Ianitoris cœli* (cui Macrobio teste, *Romæ* nomen insculptum) expedita res est, quod ea in Vrbem esset aduehendus; Aut (quod potiùs reor) *nauis* piscatoris *Petri*, vel *Ecclesiæ* æterna, & ærea, seu numquam mer-

genda, hac præformabatur, cuius idem olim gubernator esset. De *gemino capite* haud grauior paulò difficultas, de quo Ouidius ita percunctatur:

Quem tamen esse Deum te dicam, Iane biformis,
Nam tibi par nullum Græcia numen habet?
Ede simul causam, cur de cælestibus vnus,
Sitque quod à tergo, sitque quod ante vides?

causas deinde plures, verum fatuas affert, mysterii ignarus, quod *binum* illud *Iani caput*, geminos Principes Superiores Apostolos Petrum atque Paulum (quamuis principatus gradu & vertice Petrus emineret) sua doctrina & prædicatione Ecclesiam Romanam informaturos, & auspicaturos, iam tum præmonstraret, hinc Paulū cum Petro ferè indiuiduè Ecclesia coniungit & quasi Ianum bicipitem ostentat. Neque autem mirum, si primariæ huius sedis honore caritura Græcia, & non solùm externarum rerum parcissima laudatrix, verùm ferè æmula, minùs sibi benefici Iani cultum neglexerit. Ei porrò Summi Pontificis insignia etiam hodierna, *baculum* atque *claues*, ante eius ortum. Roma appingebat, vti & fasti probant:

Ille tenens baculum dextra, clauemque sinistra,
Edidit hos nobis ore priore sonos.

Atque rursum infra

Tum Deus incumbens baculo, quem dextra tenebat.

Per *baculum* quidem Pontificale pedum designari liquet, at per *clauem*, cæli claues à Christo tradendas, nam inde *Ianus* seu Ianitor, & *foribus cæli præsidere* dictus, eas recludendo atque occludendo. sicuti Poëta disertè & ad hæreticorum ruborem inculcat, qui verum Ianum Romæ, & Latio adhuc eripere frustra moliuntur:

Præsideo foribus cæli, cùm mitibus horis,
Et redit officio Iuppiter, itque meo.
Inde vocor Ianus, cui cum Cereale Sacerdos
Impònit libum, farraque mixta sale,
Nomina ridebis, modò namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine, diuersas significare vices.

Aperiendi nempe & *claudendi* cælum, vnde *Patulcius*, quod patefaciat, & *Clusius*, ab eo claudendo, in sacris vocatus, quia ius ligandi & soluendi homines, penes hunc futurum, ob quod introitus in cælum daretur, atque negaretur. Ad officium eius, primatum, atque potestatem, etiam illa spectant, quòd non solum *custodia illius* vnius, cæli Ianuam creditam, sed etiam Ecclesiam omnem toto orbe diffusam, Ouidius ibidem clarissimè innuat:

Me penes est vnum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.

Potestatis item eius argumento, *sub pedibus* Iani, *aras duodecim* antiqui ponebant, nec non eo numero *colonias* dabant, quibus templa, altaria, & pomeria sacraret, magistratus & Principes crearet, lictores, secures, fasces tribueret, duodenario illo omnes orbis Ecclesias, & per colonias, & aras sub pedibus, Romani Iani in Ecclesiam omnem, primatum atque potestatem rite designantes. Nam Fabius Pictor *Ianus* inquit *duodenis coloniis totidem pomeria arasque sacrauit, & ad continendum recentes tum colonias in officio aureo,* (De Aur. Secul.)

vir-

virgas, fasceſque ſingulis ſingulos dedit. Vnde ipſe in manu virgam, & clauem, ſubque pedibus bis ſenas aras habet. Item M. Cato Portius: *A Iano duodenis coloniis faſces, ad continendos rudes, datos ſcribunt*. verum de hoc rurſum infra agendum eſt.

5 In *Ianiculo* modò idem *cæli Ianitor*, crucem atque mortem paſſus (vnde *S. Petri mons aureus* hodie quoque appellatur) quemnam dubitandi vlli locum relinquit, Ianum Petrum eſſe, & ab hoc euentu locum nomen ſortitum, quaſi *Iani collem*, ſiue *Ianitoris* in hoc morituri? Ianum enim in Ianiculo ſepultum priſci tradidere. Et quoniam ad eiuſdem Tyberis latus, Arx Pontificum ſucceſſorum Petri, cum Baſilica illius, excitanda erat, necnon noua Roma, vetere a Barbaris magnam partem deſtructa, & ad ſolitudinem redacta, atque ſylueſcente, iccirco *Ianus Ianiculum oppidum extruxiſſe* fertur, & *in Vaticano monte ædificaſſe, & Regiam habuiſſe, cum Antiqua Roma paſcua tantum bobus eſſet*, Vti ſupra ex Virgilio monſtratum. Ouidius item de hac Arce Iani

Ipſe ſolum colui, cuius placidiſſima læuum
Radit arenoſi Tybridis vnda latus.
Hic vbi nunc Roma eſt, tunc ardua Sylua virebat,
Tantaque res paucis paſcua bobus erat.
Arx mea collis erat, quam vulgus nomine noſtro
Nuncupat, hæc ætas Ianiculumque vocat.

Tunc ego regnabam, Et quæ ſequuntur. M. verò Portius libro primo de originibus *Ianum ferunt*, inquit. *Deum ſimul Vaticanum habitum, dictumque fuiſſe*, puta, ob peregrinantium Romam, & ad Apoſtolica ſalutanda limina, concurſum futurum. Nam ſequitur: *Et à vaticano progreſſum in tractum Vmbriæ, fundaſſe Regiam, & Auguſtalem Turrhenam, non longè à Regia dicaſſe, vbi ad ſalutandum Regem*, ſeu Rectorem Eccleſiæ *Ianum, duodecim Coloniæ nouis lunaribus conuenirent*. Vbi Baſilica Vaticana Conſtantini *Auguſti Auguſtalis* dicitur, non longè à Regia Domo Pontificum extructa. Per *duodecim* autem *colonias Rectorem* Eccleſiæ Petrum *ſalutantes*, Eccleſiam vniuerſam intellige, quæ ſtatis diebus, Iubilæis, neomenijs ſeu nouis lunaribus, ob Indulgentias hæc limina ſacroſancta terit. & quoniam perquàm ſalutarem Vrbi illum fore, ex libris ijſdem Sibyllæ acceperant, complurimas eidem *ſtatuas* atque *Aedes* Romæ erexere:

Cum tot ſit Iani, cur ſtas ſacratus in vno
Hic, vbi iuncta foris templa duobus habes?

Vicos dein ac plateas tutelæ eiuſdem quoque commendarunt, in quibus forum Boarium, Piſcarium, Tranſitorium, Circus maximus & alia loca, quæ *Iani Vicus ſummus*, & *imus* amplectebatur, de quo quidem Horatius,

O ciues, ciues. quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos, hoc Ianus Summus ab Imo
Prædicat.

Id eſt, *Iani vicus Summus* & *Infimus*, vbi mercatores tabernas habebant, conquirendis nummis, vti fit, ſolummodo intenti. Verùm quid ſibi vult vetus eius *Templum pacis tempore clauſum et bello apertum*? niſi quod cũ Templi ſeu Ianuæ cæleſtis claues gerat Petrus, Cælum autem vim patiatur, & ſtrenuè pugnantes atque violenti, ſibi rapiant illud, tẽpore perſecutionũ Eccleſiæ, ob multitudinem Martyrum, atq; vexatorum in id intrantium, Iani opera,

quasi patens fiat.in pace verò eiusdem Ecclesiæ & prosperitate, ob hæreses, & crebra vitia ferè pullulantia, paucis aditum præbens,clausum videatur.Quod quidem antiqui Romani solemni illo suo more Iani Templum *claudendi*, & *aperiendi*, bellè prædixere. Vnde illud Ouidij ad Ianum.

At cur pace lates, motisque recluderis armis?

Item Virgilij

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione Sacræ, & sæui formidine Martis,
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, vbi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea,cinctaque Gabino
Insignis,reserat stridentia limina Consul.

vbi obseruandum,Romanum Consulem Iani portis reserandis,Ianitorem Cæli Petrum imitatum non solum officio cælum aperiendi,sed & Pontificia veste & purpura, quam *Quirinalis Trabea* & *cinctus Gabini insignia* repræsentant. Sed & *Olympum* aut *Olympi fanum*(vrbem quadrangularem) eodem in *Vaticano extructum* a Iano ferunt, eo quod Romanæ Sedis, atque Ecclesiæ ibidem fundamenta iacturus, quæ quidem Ecclesia non semel in Scripturis Ciuitas nuncupatur, Spiritalis nempe & cœlestis, *vt vrbis Olympi* mysterium agnoscas. atque ob concursum ex quatuor mundi ad eam plagis, & Apocalipsi planè conformiter, *quadratam* formarunt. Ac consimili de causa, *Carnam* Deam & Virginem, *Iani coniugem* fecere, quod eamdem Ecclesiam Romanam, Ianitoris Petri sponsam quondam futuram, ex Sibyllinis versibus percepissent (vnde enim aliàs hæc futura præscirent?) & quia eadem Ecclesia Romana ob Spirituale suum connubium cum Petro Episcopo sponso, potestatem & primatum eius, etiam post obitum, in omnes orbis Ecclesias erat obtentura,propterea *ius Cardinis illi sponsæ Carnæ*, cùm *Virga* & *Alba* à Iano *concessum* quoque fabulati. Vbi per *ius Cardinis* seu *portæ cælestis*,potestatem, & primatum Petri. per *Virgam* autem Pontificale eiusdem pedum, & per *Albam* Sacerdotum insigne,Sacerdotium eius clarè prædixere. Quodque magis mirum,eiusdem *Carnæ* Iani *sponsæ, Iunio mense festum* Romæ celebrabatur,in quo Ianitor cœli Claues Regni cœlestis per *obitum* (qui Iunij die penultimo euenit) Romanæ Ecclesię suæ resignare debebat. Vnde sicut *Ianuarium* mensem *Iani Cathedra* insignẽ, sic *Iunium* eiusdẽ *passione* ac *obitu clarum*, Romani veteres *festo prosecuti*, & vtrumque mensem *Ianuarium* ac *Iunium*,quasi *Ianuum*, ab eodem Iano mutuatum nomen, minimè ambigi potest. Eius autem coniugium cum *Carna*, ingeniosè suo more Ouidius ob oculos ponit,nisi quod Sibyllini atq; Christiani mysterij inscitia,& ignoratione, castum et virgineum sponsi Episcopi cum Ecclesia sponsa connubium, quod episcopali annulo figuratur, solita sua amandi leuitate, atque lasciuia fædè dehonestet:

Prima dies (Iunij) *tibi Carna datur, Dea Cardinis hæc est,*
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.
Vnde datas habeat vires, obscurior æuo
Fama, sed à nostro carmine certus eris.
Viderat hanc Ianus, visæque cupidine captus,
Ad Dominam verbis mollibus vsus erat.

Nym-

Nympha iubet quæri de more remotius antrum,
Vtque comes sequitur, destituitque ducem.
Stulta (videt Ianus, quæ post sua terga geruntur)
Nil agis, & latebras respicit ille tuas.
Nil agis, en (dixit) nam te sub rupe latentem
Occupat amplexu, teque potitus ait:
Ius, pro concubitu nostro, tibi Cardinis esto,
Hoc pretium positæ virginitatis habe.
Sic fatus, Spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Per *morem nymphæ Carnæ, quærendi remotius antrum*, consuetudinem primæ, & nascentis Romanæ Ecclesiæ docta fabula præmonstrat, tempore persecutionum, in subterraneis antris, cryptis, & catatumbis, sub rupibus & collibus Vrbis latitandi, ibidemque sacra peragendi. Per *Spinam* autem, *Spineam virgam* significat, ad crucem Pontificiam alludens, seu pedum, Spinæ instar nodosum, quod idem noxas atque striges, puta malos Spiritus ac dęmones, ob crucis formam atque signum, arcet, vnde ob hæc mala pellenda

Virgaque Ianalis de spina sumitur alba. Fast. 1.

Quanquam ijs locis non rectè Ouidius, *virgam*, seu *Spinam* Iani, cum *Alba* confundat, quod cæteri authores non faciunt. Nam eamdem fabulam Berosus referens, castiùs, breuiùs, atque distinctiùs, *Carnam*, seu *Cranam*, filiam, non sponsam Iani facit (quamuis Ecclesia Episcopi sit filia & coniux) & præter *Virgam* seu sceptrum illi à Iano data, *Albam* quoque iungit: nam 5. antiquitatum libro, *Ianus* (inquit) *Aboriginibus filiam suam Cranam creauit Reginam, eique sceptrum cum Alba dedit.* Albam, puta Sacerdotum sacrificantium insigne, vnde *Albani Patres* Romani Episcopi, atque Sacerdotes. *Albam longam* (inquam) *vestem*, non Ciuitatem, vti infra monstrandum, de qua Virgilius à Sibylla instructus, Aen. 6.

Vndegenus longa nostrum dominabitur Alba,

etenim adhuc *Longa Alba*, Pontificum vestis, Romæ dominatur. Veteres porro *Iani Regis* & *Reginæ Carnæ* ciues, & subditam plebem à Iustitia, pietate, religione, frugalitate, continentia, nobis dum commendant, primos Romanæ Ecclesiæ Christianos scitè descripsere, vti illa monstrant: Fast. 1.

Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Esset, & humanis Numina mixta locis.

Nam plures non Dij, sed Diui, regnante in Vrbe cœli Ianitore, per totum Romanum Imperium, & illi subditum orbem extitere, & per Eucharisticam præsentiam infinitis *locis Numen admixtum fuit*. Sequitur deinde,

Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de superis, illa reliquit humum.
Proque metu, populum sine vi pudor ipse regebat,
Nullus erat Iustis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello, pacem postesque tuebar,
Et clauem ostendens, hæc, ait, arma gero.

Arma nempè Ecclesiastica, quæ sunt *soluendi* & *ligandi facultas*, quam *claues* innunt, quibus armis primos Christianos Ianus (vti successores eius Pontifices) in officio suo continebat. De eorumdem quoque abstinentia, frugali-

galitate, & discrimine ciborum, vbi de Carnæ festo agit, illa quoque profert:

Pinguia cur illis gustentur larda Calendis,
Mistaque cum calido sit faba farre rogas?
Prisca Dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat,
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi Populo sine fraude natabat,
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.
Nec Latium norat, quam præbet Ionia diues,
Nec quæ Pigmæo sanguine gaudet auis.
Et præter pennas nihil in pauone placebat.

Et quæ sequuntur. Macrobius item Saturnalium dierum primo, de eodem Iano Principe hæc ait: *Mythici referunt regnante Iano, omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas.* Quæ quidem *Iustitiæ*, quàm *facinus* seu *peccatum mortale fugat, abstinentiæ, religionis*, ac *sanctitatis* encomia ac laudes, Populum Christianum Ianitoris cœli apertè loquuntur.

4 Quia porrò idem *cœli Ianus*, in Auentino monte commorari, in ædibus Priscæ, vbi eius Templum, aliquamdiu debebat, & in Vrbe passim templa erigere, aras & Cœmeteria sacrare, & sacrificia Missæ cum pijs alijs Ecclesiæ ritibus, celebrare debebat, antiqui Poëtæ & scriptores de Iano suo eadem retulere. Nam Ouidius, quod ille Pastorum Pastor in Auentino armentum pauerit, ita attestatur

Fast. 4. *Hospes Auentinis armentum pauit in herbis*
Clauiger, & tanto est Albula pota Deo.

Vbi obseruandum obiter, quod cum tantus Deus, hoc est, Diuus esset, ille Pastor Ianus, non Albana vina, sed Albulam potaret, Tyberinam aquam, abstinentiæ amore, quod nec gentiles hos Poetas latuit. Quod verò ad reliqua attinet, *Ianus*, teste Fabio, *primus aras, & pomeria, & sacra docuit.* Et Infra: *Fano sacrato, duodenis Coloniis totidem pomeria, arasque sacrauit,* vbi per pomeria à Iano sacrata, cœmeteria intelligi oportet, quę quia *post murum* Templi, vacua relinquuntur, aptissimè *pomeria* dicuntur. Intra pomeria autem, sicut & cæmeteria hodie, minimè ædificare fas erat. Ob sacrata item altaria, Sub pedibus *aras duodecim* illi appingebant, vti supra ostensum. Ex eodem autem Fabio Pictore cognosce, panis & vini sacrificia fuisse, quæ Iano sacra peracta traduntur: is enim de aureo sæculo: *Vinum & far primus Tuscos docuit Ianus, ad Sacrificia & religionem magis, quam ad esum & potum.* Tum subdit: *illi far & vinum prælibari.* Vnde teste Ouidio in Fastis, Romani in honorem Iani, *Cereale libum,* & *farra sale commixta*, & *spicas*, & *thura*, illi offerebant, quibus hodierna Ecclesiæ Romanæ sacrificia constant: nam gentilis vates olim ita canebat:

De aur. sæc.

Sed cum Cereale Sacerdos
Imponit libum, farraque mixta sale.

& infra

Mox ego, cur quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primùm thura merumque fero?

Item:

Ara mihi posita est, paruo coniuncta sacello,
Atque adolet flammis cum strue farra suis.

Rursum

Cer-

Cernis, odoratis vt luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica Cilissa focis?

Far autem & *spicas* igne destruebāt, quia destruendam panis substantiam, in sacrificijs Ianitoris cæli, ex Sibyllæ oraculis crebris acceperant, vti infra monstrandum. Quid, quod Episcopos, ab eodem Romæ ordinandos, eadem Sibylla minimè prætermisit? huc enim illa spectant, quæ de *singulis fascibus duodenis colonijs* hoc est, Ecclesiijs, à *Iano concessis*, ex Fabio Pictore, & M. Catone supra retulimus. Quid enim per *fasces*, qui vincula, virgas, & secures continent, nisi Episcoporum potestas, & iurisdictio docetur, qui Christianos populos censuris, tanquam vinculis quibusdam, & virgis ligant, & emendant, imo maioris excommunicationis securi, rebelles atque contumaces interdum feriunt? quæ omnia ad arma Iani, quæ sunt *claues* pertinent.

Et Clauem ostendens hæc, ait, arma gero,

Iani autem plures Synonymæ voces, vel epitheta fuere: nam idem *Ogyges*, hoc est, *apertor* (puta cælorum) à Fabio dictus. Item *Ianus Pater* à Virgilio, Ouidio, Iuuenale, & alijs, quod nomen ad successores eius Pontifices manauit, qui *Sanctissimi* & *Beatissimi Patres* nominantur, & *Papa*, à Græco Πάππας quæ vox *Patrem* sonat. Idem Ianus *Quirinus* hoc est, *crucemgerens*, vel *cruci affixus*, vti infra in Romulo habes explanatum. Idem *Patuleius* & *Clusius*, *antiquissimus Diuum, Pater omnium Deorum*, hoc est, Christianorum, qui & in Scripturis nonnumquam dij appellantur: Quin & eumdem *Vertumnum Deum* Romæ cultum, cum non contemnendis authoribus credimus, qui *Vertumnus* ab amne verso, seu Tybri mutato, iuxta illud Propertij, sit dictus,

Verso dicor ab amne Deus; In Vertumnum.

vel quod *Tyberinos*. hoc est, Romanos ad Christi fidem *conuersurus*, vel quia prophanas amnis Tyberis aquas, in salutares baptismatis vndas esset *mutaturus*. qui *Vertumnus* Pater atque Deus Vici Tusci, seu Tusciæ habitus, quia Vaticanum Templum in Tuscia extructum, nam Tyberis Tusciam à Latio diuidit. Vertumno porrò, vti Pontifici, *coronam* atque *mitram* dabant,

Sed quum est imposita corona.

Item Ib.

Cinge caput mitra.

Denique de *Vertumno* prisci tradiderunt, illi sacro facto, Romam salubriter habitatam esse, antea pestiferam, ob idololatriam puta ac persecutiones, quæ quidem cessarunt, vbi sacra publicè in honorem Petri celebrata, Constantino Cæsare Basilicam illi extruente. Atque vt in omnibus Petro Ianus conueniret, eum patria *Syrum* seu *Phenicē* quoq; prodidere, vti testis Annius Viterbiensis in origines Catonis. hinc illi forsitan cum *carica palmam*, Syrię & Phæniciæ Symbolum, appingebant; nam φοῖνιξ græcè quoque palmam significat. Quamobrem Ouidius ad Ianum.

Quid vult palma sibi, rugosaque carica (dixi)

Eadem præterea *Petri* atque *Iani* Romæ *Apotheosis*, nam quod Petrus in Diuos relatus, Ianum quoque ex Catone discis, *Deum Vaticanum habitum, dictumque fuisse*, illiq; diuinos honores *decretos*. Ad extremum *aqua sulphurea* eius ad arcendos Capitolio hostes, de qua cum Scriptoribus antiquis Ouidius quoque fabulatur, Petrum verè indicat: I. De orig. Ital.

Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi,

Sumque repentinas eiaculatus aquas.
Ante tamen madidis subieci sulphura venis,
Clauderet vt latio feruidus humor iter.

Nam illa aqua, Christianorum Iani filiorum, de Barbaris olim **reportandam** victoriam canebat, qui castris Marci Aurelij Cæsaris intra montium iuga vndique conclusis, cum Rem Romanam, atque Imperium in discrimen summum adduxissent, per solas Christianorum sub illo Imperatore militantium preces (vti eiusdem ad Senatum literæ laureatæ amplam fidem faciunt) *Sulphureus* ac flammeus *imber*, inimicas acies repente consumpsit. Vnde ab hoc Cæsare *Ioui Pluuio* columna erecta, quam Sixtus V Pontifex reparandam iussit, & Diui Pauli (quem supra alterum Iani caput diximus) statua exornauit, Iano aquam ereptam per pluuium Iouem, quasi restituens. *Prodigium* hoc autem *aquæ sulphureæ* disertissimè gentilis vates Claudianus expressit, qui vel M. Aurelij meritis, vèl Christianornm precibus rem acceptam refert. Quas *magica carmina Caldæorum* vocat, quod ob Apostolos origine Syros, è Syria seu Chaldæa Christiani omnes orti putarentur:

In sexto Cons. Hon.

Non tantis patriæ studijs ad templa vocatus,
Clemens Marce redis, cum gentibus vndique cinctam
Exuit Hesperiam, paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla Ducum, nam flammeus imber in hostem Decidit,
Hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus Sonipes, hic tabescente solutus
Subsedit galea, liquefactaque fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses:
Tunc contenta polo, mortalis nescia teli
Pugna fuit, Chaldea mago seu carmina ritu
Armauere Deos, seu (quod reor) omne tonantis
Obsequium, Marci mores potuere mereri.
Nunc quoque præsidium latio non deesset Olympi,
Deficeret si nostra manus, sed prouidus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi iam, Princeps, soceri sudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.

Atque hæc hactenus de Romano *Iano*, quem verum, & celebre D. Petri Vaticinium fuisse, nemo vllus deinceps inficias eat, dicta sufficerēt, sed recentiorum commentum quoddam restat explodendum, qui leui coniectura ducti, etymologiæ *Iani* ab hebræo *Iain*, quod *Vinum* reddit, Noë Iaphet Patrem, Italiæ Parentem, ac vt primum colonum, eodem venisse audacter affirmant. Nam vt eis etiam id amplius demus, Oenothrios Italos ab Oenothro Noë, vini inuentore, Patre Oenothrij Iaphet, appellatos esse, illum tamen proximum Italorum Patrem seu propagatorem, præcisè negamus. Id enim Scripturæ apertè repugnat, quæ à tribus Semo, Chamo, Iaphet, disseminatum omne hominum genus à diluuio tradit. quod qui verum esse possit, non video, si quartus Noë Italorum Pater ad illos accedat. Dum quoque trium colonias ac sedes Scriptura declarat, de Noa vbique altum silentium. Ab Iaphet porrò atque Iaphetijs diuisas gentium insulas refert, non verò ab Noë, quod necesse erat indicare, si populum ille singularem Europæ, Italum, puta, propagasset. Porrò per quem liberorum Noë proseminat eós? nam tres solùm filios

huic Scriptura assignat. Si per Iaphet, ais, minimè repugnamus, sic enim remotum Italorum Patrem Noam concedimus, vti Africanorum, vti Asianorum, per liberos Chamum atque Semum. Ab illo enim, Scriptura docente, mortales omnes post diluuij aquas remotè prognati. Sed quid necesse fuit, vt hoc modo Italos, cæterosque mortales remotè gigneret, atque propagaret, in Italiam venire? non magis certè, quam in Ægyptum. Vt Iaphetum filium sequeretur? ergo vt liberorum adhæreat vni, sese a duobus longissimè auellit? Dein non attendunt, qui tam leuiter Noam ex Asia mouent, quanto Patriarchæ terræ Asiaticæ amore flagrarint, in qua Deus Incarnandus viuere, mori, sepeliri deberet. Alij cum in Asia viuere necessitate quadam prohiberentur, sua ossa post mortem eidem redonari iubent: Noë maximus item Patriarcha nō solum ossa, sed totū seipsum inde viuens aufert & longissimè asportat, nulla necessitate, manifesto maris periculo, vt vnum filiorum sequatur, in cæteros durus, & in illum, ex cuius semine Deus procreandus? ne ergo deinceps parerga tam inepta prædicent. Sinant Noam cum suo Semo, ex quo Christus ortus, in Asia viuere & morari, in qua Deus victurus, in qua moriturus. Et cum *Prometheum* Noam, *Caucaso* Asiano monti doctæ fabulæ alligent, non hunc inde soluant, nam & à *Icoua* Deo alligatum ibi tradidere, ob causam iam dictam. *Iani* quoque nomen non à *Iain*, sed a Ianua cælesti, vti claues monstrant, sapientiùs cum Ouidio deducant, nec eum ridiculè in Noam trāsforment, nisi forte etiam illum Clauigerum, Quirinum, hoc est, crucifixum, vel crucem portantem, & aquæ potorem, qui vitem plantarit, cum cæteris Iani attributis, valeant demonstrare, in quo, vti liquet, multum se torquebunt, dum Ianum contorquent. sed nunc ad aliam excidij Troiani, & Æneæ in Latium tendentis, fabulam quoque progrediamur.

C A P V T XIII.

1 *Aeneam* Troia profugum, & in Latium tendentem, ibidemque *sponsa Lauinia ducta*, de eiusdem nomine *oppidum* extruentem, D. Petrum esse.

2 Idem *Albæ* conditor. quænam *Alba longa*, *Alba*, & *Albula*? qui *Albani Patres*? quisue *Tyberinus in Albula demersus*?

3 Quis *Syluius* Regum Albanorum Parens?

4 *Aeneæ* genus atque prosapia Petro accommodatur.

1 NEQVE verò solo *Iani* nomine, hoc est, *Ianitoris cæli*, ante eius ortum, vti modo dictum, Petrum insignierunt, verum & *Aeneæ*. ideo enim *Ianiculum* vrbem ab Iano conditam, etiam Plinius *Aeneopolim* ab Aenea vocat, vt Ianus Aeneas fuisse credatur. Ideo vti Ianus, Romæ conditor factus, & totius Italiæ Dominus, quamuis eius Roma eo tempore statuta, ante quod Vrbem extitisse scriptores prisci agnouerunt, vt supra monstratum. *Aeneas* porrò *laudatorem* sonat ab αἰνέω, laudo, quod Apostolus Petrus cum Ecclesia vniuersa, cuius summus Parens atque

Nat Hist. l. 3. c. 5. Sallust. de Bello Cat. Dio Chrys.

Rector, Deum, ſicut oportet, ex *charitate fidei laudaturus* eſſet, & ad id agendum gentes inſtructurus, vnde Apoſtolus ad Romanos ſcribens verſu illo Dauidis (*Laudate omnes gentes Dominum*) prædictam ad Chriſtum conuerſionem earumdem docet, nec (carentes iuſtitia fidei) Philoſophos Gentiles. Sicut oportet, *Numen vmquam laudaſſe* aut *glorificaſſe*. Itaque ab hoc Aenea ſpirituali Patre Latinorum, *Aeneadæ* Itali appellati, & ipſe *Aeneas*, *Romanæ Stirpis origo*, qui Patrem Chriſtum ſumma pietate, *per tela*, *per hoſtes*, ex medijs Hieroſolymæ flammis, olim in Latium efferre deberet, & *Ilij*, hoc eſt, *Æliæ Solimæ ſacra*, ſeu ſacrificia panis & vini diuinitus ibi inſtituta, in *Italiam portare*, vti *fata* ſeu effata Sibyllæ diu antea monuerant, quæ etiam *ſedes* illi ad extremum *quietas ibidem ſpondebant*, hoc eſt, Apoſtolicæ Cathedræ ſeu plurimorum Pontificum Sedis, poſt Eccleſiæ bella ſeu perſecutiones, placidam olim Stationem. *Per tela* enim militum Herodis, & Iudæos *hoſtes* Chriſtianæ fidei diuinitus elapſus hic Aeneas, Chriſtum Patrem in Sacrificio præſentem, primus Romam attulit, & quaſi *ex medijs Aeliæ* ſeu Solymæ *flammis*, quia inter duplex vrbis excidium & conflagrationem, nempe ab Aelia ſub Rege Babylonio incenſa, & ſub Veſpaſiano rurſus incendenda, in Italiam ſeu Romam aduenit. Ad Petrum igitur Virgilij *Aeneis* Sibyllina pertinet. (ſicut ad *Deliam* ſeu Hieroſolymam Homerica *Ilias*) nec alium *Virum inſignem pietate* illa canit . . . . . *Troiæ qui primus ab oris Italiam fato profugus, Lauinaque venit Littora*. Nam quod Latium ingreſſus hic Aeneas Petrus, ſeu Chriſti Laudator, Romanæ Eccleſiæ Sponſus ob Cathedram ibi collocatam fuit, eum iccircò docta fabula tradit, in Latio *Lauro-Lauiniam* (per Syncopen) *Lauiniam*, vxorem duxiſſe, ſic dictam a *lauro* & λαβεῖν, quod eſt *accipere*, popterea quod *laurum*, ſiue *Lauretanam domum*, Itala tellus, ſeu Romanæ Eccleſiæ ditio erat *acceptura*. à qua Lauretana Domo, eadem Italia, *Laurentia* & *Lauinia tellus*, & *Laurentes agri*, agnominata eſt, vti pluribus infra demonſtrandum. De *Nuptiarum* autem harum *dignitate*, & *fæcunditate*, vaticinium illuſtre, apud ſupradictum Virgilium extat:

Rom. 15.

Rom. 1.

Aen. 12.

Aen. 1.

Aeneid. 7.

Ne pete connubiis natam (Lauiniam) *ſociare Latinis*
O mea progenies, thalamis neu crede paratis,
Externi venient generi (Petrus & Paulus) *qui ſanguine noſtrum*
Nomen in aſtra ferent, quorumque à ſtirpe nepotes
Omnia ſub pedibus, qua ſol vtrumque recurrens
Adſpicit Oceanum, vertique, regique videbunt.

verum hæ *nuptiæ Lauiniæ coniugis*, hoc eſt, Eccleſiæ Romanæ cum Petro Epiſcopo ſponſo, vt dignitate ſupremi Primatus, quem *omnia ſub pedibus* indicant, & conuerſione multarum gentium ad Chriſti fidem, quaſi prolium quadam fæcunditate, atque vniuerſi orbis regimine nobilitatę ſunt (quę duo poſtrema per *verti* & *regi* oraculum innuit) ita in primordijs, Ethnici *Turni* cum Petro riuali *crebro certamine*, non parum turbatæ, qui ſibi Aeneam præferri non ferens,

bella, horrida bella

perſecutionum mouit, *Et Tyberim multo ſpumantem ſanguine cerni* fecit. In quibus cædibus martyrum tam Iudæorum, quam Romanorum effuſum cruorem, *dotem Lauiniæ coniugis* idem Virgilius eleganter vocat:

Sanguine Troiano (Iudæorum) *& Rutulo* (Latinorum)
Dotabere Virgo.

Propter

Propter *nuptias* autem Petri *Aeneæ* cum *Lauinia* virgine, de eiusdem nomine Vrbem conditam, *Lauinium* ferunt, Romanam Ecclesiam rursum innuentes, quæ spiritualis ciuitas non solùm à Sibylla, sed etiam in Scripturis identidem dicitur. Qua quidē condenda (sicut & nuptijs eius celebrādis.)

Multa quoque & bello persecutionum *passus* idem, Aeneas nam sequitur *dum conderet Vrbem*,

Lauiniam Ecclesiam Romanam. *Inferretque Deos Latio*, Deos autem *penates*, hoc est, Panem, & vinum, *Deos* quidem appellatos, quod sub horum speciebus olim *Diuinitas* latere deberet, *penates* autem, ob *penu*, in quo obsonia illa reconduntur; qui & *sacra* dicti, ob Sacrificia, quibus consecrantur. de his idem Maro

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates Aeneid. 1.
Classe veho mecum, fama super æthera notus.

2 Ob eamdem quoque *Lauiniam Vrbem*, seu Romanam Ecclesiam *fundatam: ab Aenea* Petro *Alba*, siue *Albanorum* in Latio *ciuitas*, nec falsò ab alijs, ab Aeneæ filio positā memoratur, Ecclesiam enim & Pontifex parens, & grex filius facit. Itaq. haud perperā duo filij Aeneæ, Ascanius, & Iulus authores Albæ cum Patre narrantur, quorum hic Iulus, quasi Aelius, idest, Solymæus, seu Iudæus: Alter Ascanius, idest, Romanus, siue dilatatus ab Asca, & *Ana*. Fuit porrò *Alba* in Latio, seu *Vrbs Albanorum* eadem, quæ *Lauro Lauinia*, vel *Lauinia ciuitas*, nimirum Ecclesia Romana, spirituale oppidum à Christianis Albanis sic cognominatum, quod *Albam vestem*, innocentiæ symbolum, ad Baptismatis fontem erant allaturi. Cuius oppidi Principes Pontifices, atque Episcopi *Albani patres* à priscis vocati, vel ab *Vrbe Albanorum*, hoc est Christianorum, quam regere deberent, vel potius ab *Alba longa* Sacrificantium veste, de qua Virgilius

Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba. Aeneid. 6.

Albam igitur constat, seu spiritalem Christianorum vrbem, siue baptismalem eorumdem stolam accipias, ab *Alba longa* esse distinguendam, quæ erat futura celebrantium Sacerdotum *vestis: Patrum Albanorum*, sicuti adultorum *Alba*, & infantium *Albula*. Vnde *Tyberinus in Albula demersus*, hoc est cum *Albula* in Tyberis aquis, *nouum nomen donans*, Patrem Spiritualem (vulgò Patrinum) baptizati refert, qui *Tyberinis*, hoc est, Romanæ Ecclesiæ *aquis cum Albula* immersus, nouum nomen tribuit, non ipsi Albulæ (in quo fabula errauit) verum alijs Tyberinis, siue Catholicis Romanis, similiter cum Albula demersis, vel tinctis. *Albulam* igitur à *Ianigenis ortam* non temerè Sempronius affert, eò quod hanc cæli *Ianitoris* proles Christianæ, ad sacros fontes erant inducturæ. Inde etiam manifestum euadit, cur *Tyberim Patrem*, cum cæteris fluuijs, antiqui vocarint, quando aquis suis homines Christianos generare deberet, imò Dei filios; vnde fluminibus & fontibus diuinitas quoque attributa, nam quod Dei filios, homines abluendo creare deberent, humanā quadam ratione adducti, *fontes, & fluuios* non *Patres* dumtaxat, sed etiam *Deos* putauere. Ideo ad extremum *omne crimen elui aquis* crediderunt, quia id futurum per aquas baptismi, vt superiora, ex Sibyllino oraculo acceperant. Quamquam id in Fastis Ouidius improbet, Sacrarum aquarum virtutis ignarus. De Diuis. Ital.

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam Fast. 2.
Credebant nostri tollere posse senes.

Græcia principium moris dedit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis,
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Per *Senes* Presbyteros intellige, qui aquis *omne nefas tolli* prædocebãt. Cuius quidem *moris, lustrandi homines per aquas* baptismi, ideò Græcia fertur principium *dedisse*, quòd è Iudea Apostoli egressi, in Græciæ regiones, quàm Latij, prius peruenere. Verum ad Albanos nostros reuertamur. Bellè autem Historici veteres inter *Hetruscos*, puta infideles, & *Latinos* Albanos, seu Baptizatos, fluuiũ Albulam finem, seu discrimen ponunt, quia per *Albulam vestem, & fluuij* baptismalis *aquas* Latini Albani, siue Christiani, ab Ethnicis differunt, quos Etrusci referunt. *In Alba* autem propterea eosdem *Latinos regnasse* proditum est, eò quod per Albam innocentiæ vestem in baptismo sumptam, cum vnctione, seu Chrismare regali Reges efficiantur omnes Christiani, quo nomine Scripturæ ferè illos ornant. *Regnarunt* igitur *Latini in Alba* (intellige *per Albam*) *ante ciuitatem*, hoc est, Ecclesiam, *Romanam extructam*, quia prius fuit, Latinos veteres per Albam Reges baptismalem effici, quam ipsam Ecclesiam Romanam oriri, quando hæc nonnisi baptizatis pluribus, seu Albanis constet. Igitur Æneas cum filijs suis Albam condens, vt est in fabulis, Petrus censendus est, Romanam Ecclesiam cum filiis Iudæis, tum Romanis fundans. Hinc *Iason* quoque memoratur, cum Albanis in Europa, & Latio fœdus percussisse, quod *IESVS* Albanos suos Christianos in Latium translatos numquam deserturus, qui quidem *Iason primus humanorum* dicitur, nempè dignitate: Et quia Romani in Sibylla legerant, commune quoddam apud Christianos carnis, & sanguinis Sacrificiũ fore, ideo in Albano monte Latinas ferias quasdam instituerunt, & sacrum solemne, in quo teste Dionysio, communis omnium victima Taurus vnus esset, de quo cuique populo sua portio tributa. sacrificabant autem pro vniuersis, *eique Sacrificio præerant Romani*, ob Romanæ puta Ecclesiæ primatum, atque dignitatem. Quia item Æneas Petrus in eadem Alba, & sub alba hostia *IESVM* immolare quotidie debebat, pro *IESV* immolando *Suem*, atque *Suem albam* fabula substituit ab Ænea oblatam, vel *IESV* augusto vocabulo decepta, pro quo *Suem* posuit, animal Sacrificio aptum, vel quod inhumanum crederet, hominem immolari, augustum illud nomen truncauerit. per huius autem albæ suis triginta proles, siue fœtus albos, plures albas hostias nobis significauit, & ibi Albam ciuitatem spiritalem condendam, vbi alba victima *IESVS* in Laurenti agro, siue Italia, olim inueniretur.

Liu. Decad. 1. lib. 1.

Iust. l. 41.

Ant Rom. l. 4.

3 Nunc quærere lubet, quare cum *Aeneã* vel *Ilum*, *parentem Regum Albanorum*, historia fabulosa asserat, aliàs secum quasi pugnans *Syluium* quemdam hoc titulo afficiat? Sic enim apud Virgilium Anchises Æneæ eorumdem Albanorum Regum progeniem ostentat:

Aeneid. 6.

Ille (vides?) pura iuuenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aethereas, Italo commixtus sanguine, surget,
Syluius, Albanum nomen, tua posthuma proles,
Quem tibi longæuo secum Lauinia coniux
Educet syluis Regem, Regumque parentem,
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Respon-

Responsio in promptu est, per *Syluium* Christum designari, per *Aeneam*, Petrum, quorum vterque *Parens Albanorum Regum*, hoc est, Christianorum, non eadem tamen ratione *fuerit*, per *gratiam* ille, hic autem *per Euangelium*, in quo Latinos Christianos *genuit*. *Syluius* porrò Christus nominatus, à *Sylua Lauretæ matronæ*, in quam ex Galilæa prodigio mirabili delatus, matris brachio insidens, quæ & *Rhea Syluia*, quasi *Maria Syluosa* ab eodem nemore agnominata est, necnon *Lauro-Lauinia*, per Syncopen *Lauinia*, ab eadem *Lauretana Sylua* cum filio quondam *occupanda*. Non rectè autem Virgilius illam Syluij matrem *Lauiniam*, coniugem Petri, seu Æneæ finxit, cùm fuerit potius eius, vti omnium fidelium, *parens*. Ansa erroris hæc, quòd eiusdem filium in Eucharistia, tum in Romanorum fidelium animis per Euangelium Petrus generare deberet, quo factum, vt Christi Patrem Spiritalem Petrum, seu Aeneam, Mariæ *Lauiniæ*, siue *Lauretanæ* sponsum crediderint, generationis carnalis, & spiritualis nullo discrimine. *Lauinia* verò *coniux*, si pro Ecclesia Romana sumatur; in cuius ditione sita Lauretana domus, ea demum Petri, seu *Aeneæ coniux*. Pro Virgine autẽ Lauretana sumpta, tum *Coniux simul, & parens Anchisæ* est, hoc est, Christi Anchonitani, ab marcha Anchona *Anchisæ* appellati, vti infra dicendum. Modo autem postremo accepta *Lauinia coniux*, filium *Syluium* Christum *Regem, atq. Regum* Albanorum *Patrem*, à quo Anchisæ & Æneæ *genus* Pontifices, *longa alba* veste *dominaturos* idem Maro perhibet, hunc inquam *Syluium è syluis secum* Lauretæ *eduxit*, quòd latrocinia eas infestarẽt, & in propinqno duorum fratrum colle constituit, idque diu post humatum Petrum, vnde eius *posthuma proles*, & *eo longæuo*, nam mille circiter, & trecentos annos Petrus in Latio, siue quod idem est, Petri Ecclesia, tum antea steterat, cum Lauinia, *Virgo* Lauretana, brachio insidentem Christum syluis extulit. Sed cur is *Italo sanguine commixtus*? nisi ob Ecclesiam, qua spiritualis Italorum Pater, factus per gratiam, & Filius per Eucharistiam. Eius verò *pura*, hoc est, sine ferro *hasta* Crucẽ significat, in qua *iuuenis* Christus pendere debebat, vnde illi *inniti* à Virgilio fingitur, cuius etiam crucifixi effigies cum sacra Lauretana Aede fuit asportata. vnde idem Vates

Extinctum crudeli funere Daphnim

Hoc est, *laureum* siue *Lauretanum* Christum in Ecloga canit, *Daphnim*, Eclog. 5. inquam a δαφνὴ lauro, ita nuncupatum, qui & *Albanum nomen*, quod à Syluio Christo Albani omnes, siue baptizati Christiani nomen sortiantur. *primus* deniquè hic Syluius mortuus & in inferis degens debet ad *auras æthereas venire*, quia Christus mortalium primus resurrexit, numquam moriturus.

4 Messala Coruinus ad Augustum scribens, vel quisquis demum ille author fuerit, primam Æneæ stirpem *Dardanum* commemorat, qui *Ericthonium* filium genuerit, is vero *Troium*, Troius *Assaracum*, Assaracus *Capyn*, hic Capys *Anchisem*, Anchises postremò ex Venere *Aenam*. quæ generis series ex Sibyllæ versibus perperam intellectis, tota contexta est. Nam quia *Iudæum*, ex quo Petri origo, varijs nominibus illa nuncuparat, vt *Dardani*, hoc est, Iordanei, à Iordane fluuio, vti *Erichthonij*, hoc est, *terræ bellatricis* viri, à χθὼν & ἐρὶς (nam contra Romanos, Iudaica natio rebellando prælia obstinata gessit) tum etiam *Troij*, quod est, Solimæi à metropoli Iudęorum Solyma, quæ *Troia* vocata, vti infra monstrandum, tum & *Assaraci*, ob Syriam Patriam,

quæ

quæ & *Assyria*: propterea *Dardanum Erichtonium*, *Troium*, atque *Assaracum* (Iudaicæ gentis homonymas voces) *parentibus Aeneæ* fabula accensuit. Qui quidem *Assaracus* fertur, *Capyn* genuisse, eò quod Iudæus, seu Syrus populus *Cepham* Petrum crearet. *Capys* autem seu *Cephas* Petrus spiritualiter *Anchisem* Christum, tametsi parentem, vti supra ostensum, idque ex *Venere*, quia ex Lauretana Virgine ipse Anchises natus, quæ à *veniendo* puta in Italiam, *Venus* nuncupata. Iam verò *Aeneæ* Anchise prognati, *filios ac nepotes*, seu regium genus, eodem prorsus errore concinnant. Nam *Aeneas Ilum* & *Ascanium* gignit, *Ascanius* Romanus *Syluium* Regem atque Regum Albanorum Patrem, *casu quodam*, vti fabulantur, *in Syluis enatum*, reuera autem è nemore Lauretæ Matronæ, prodigio mirabili, eductum, quò fuerat ante asportatus. Is *Aeneam Syluium* creat, is deinde *Latinum Syluium*, Latino *Alba* ortus, Alba *Atys*, Aty *Capys*, Capy *Capetus*, Capeto *Tyberinus* in Albula submersus, *Agrippa* inde Tyberini filius, post Agrippam *Romulus Syluius* regnat, *Auentino*, fulmine ipse ictus, regnum per manus tradit, *Procas* deinde regnat, is *Numitorem* & *Amulium* procreat, ex quo Numitore *Rhea Syluia* oritur, inclyta illa *Romuli* atque *Remi* parens. Quæ quidem Albanorum Regum, Aeneæ posterorum series, ac genealogia, iisdem ferè vitijs (æquiuocorum & Synonymorum) ac superior scatet. Quæ haud operosè quiuis deprehendet, vbi singularum notatio vocum perspicua fuerit. *Ilus* enim vel *Iulus*, vnde gens *Iulia*, & *Iulij*, *Aelij*, & *Auli* Romani vocabula deriuant, Aelium seu Iudæum exprimit ab Aelia Solyma, qui quidem in primis Aeneæ filijs rectè numeratur, quòd Iudæi salus singulariter Petro cara esset futura, vtpotè, cui circumcisorum præcipue demandanda cura, vnde nusquam non Virgilij Aeneis *dilectum Aeneæ Iulum* omittit. cur autem is *Creusæ* coniugis derelictæ *filius*, infra planum erit. Sequitur *Ascanius* Aeneæ, seu Petri proles, quo & Romanus, ab *Asca*, & *Ana*, & etiam Carolus magnus, Germanorum primus Imperator certò innuitur (nam *Aschenets* vnde *Ascanius*, Germani vocantur) qui quod Vrbis Imperium in occidente omnino collapsum erecturus esset,

Magnæ spes altera Romæ,

ab eodem Virgilio canitur. *Syluio* Christo modo pretermisso, de quo supradictum, *Aeneas Syluius* Laudatorem Christianum sonat, Petri quoque filium, sicut *Latinus Syluius* Italum Christi cultorem, ex quo *Alba* Albanus, & *Atys* hoc est, πλατὺς, latus seu Latinus, tum *Capys Cephas*, quo Petri nomine non pauci Christiani gaudent, à quo est *Capetus*, vocabulum Romani. Post *Tyberinus mersus in Albula* etiam Romanum Ciuem baptizatum designat, Patrem *Argiripæ*, per Syncopen, *Agrippæ*, quasi Latini *Argonautæ*, quia Argo naui primi Latinorum in Latium aduecti sunt. cuius proles *Romulus Syluius* Christianus Romanus, qui quod causa fuerit, cur *Auenionem* Papæ siue Patres Roma discesserint, excommunicationis *fulmine ictus interijt*. Itaque eius filius, nempe in Christi fide *Auentinus* dicitur, vel *Aueniotinus* dilectus Romanæ Ecclesiæ filius. *Procha* dein Parochus, *Numitorem*, seu Numinis cultorem, per baptismum gignit, cuius frater per carnem, *Amulius* impostor à Græco, Αἱμυλος (vnde *Aemilij*, & *Aemiliani*) idololatra superstitione populo imponentem notat, qui fratrem Numitorem, seu verum Numen Christianum colentem, per summum scelus, in toto Latio, non solùm *regno*, sed etiam *vita*, & *posteritate priuare conatus* est. Ex quo Numitore, seu numen colente

Liuius Dec. I. I.

Messala Cor. de August.

Aen. 12.

Rhea

Rhea Syluia virgo Lauretana tandem exoritur, clarissima *Romuli* atque *Remi* Parens, vti in Romulo infra declarandum. Itaque istis nominibus in Sibylla lectis, aliquos Æneę filios, & nepotes Christianos significantibus, Genealogia mystica, & spiritualis Petri contexitur, in qua licet multa desideres, nusquam tamen interrupta. Regum Albanorum, hoc est, Christianorum successio cernitur. quod ab oraculo nempe Sibyllino, Petri Progeniem acceperant, *perpetuam*, & *æternam* fore. de qua sic Homerus

Ne sine semine genus, & prorsus extinctum pereat
Dardani (Æneæ) *quem Saturnides præ omnibus dilexit liberis,*
Qui ex se nati sunt, mulieribusque mortalibus.

Omnia autem esse fabulosa, quæ de Alba supra ante Romam conditam, & Albanis Regibus historici memorant, vel ex illo Liuij testimonio liquet: *Quæ ante conditam condendamue Vrbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est.* Præterea Seruius, & Eutropius *Albam* apud Romam, quæ hodie *Albano*, Aneæ Albam esse negant, deinde illa certo quoque persuadent. primùm quod Romam diu ante illos Albanos Reges, atque Albam conditam Historici etiam fateantur, vt supra ostensum. Deinde quam maxima circa Regum Albanorum tempora Scriptorum varietas, item & numerum, quæ fabulam arguunt. quatuordecim Reges ab Aenea ad Numitorem auum Romuli enumerat Liuius, tredecim Ouidius in fastis, duodecim idem in Metamorphosi, nouem Dionysius, septem Aurelius Victor, quatuordecim ergo ad septem redacti. præterea fabulosus Aeneas Regum Albanorum parens, vt infra ostendetur, sicut fabulosa Troia, fabulosum oraculum Aeneam instruens de loco siue sede Vrbis & fabulosa sus, triginta fætus vno partu enixa. Mitto cætera plurima, nam fabulæ licet eruditæ sensum explanatum habes. sed quæ infra præterea dicenda, fabulam non veram historiam esse hos Albanos Reges, atque ciuitatem, nisi in mysterio seu arcano sensu, planè coarguent. Quamobrem de *Alba* & *Albanis* satis, nam cur illa ciuitas cum Romana tandem conflata dicatur, in Romuli gestis infra aperiendum. Nunc me Troia ad se vocat, quò hæc de Albanis, & Aenea Petro magis confirmentur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Per *Ilium*, seu *Troiam*, sacram *Solymæ* vrbem à priscis describi, *Aeliam* quasi *Ilium*, quoque nuncupatam.

TRoiam modò Hierosolymam esse, quis pertinacius in dubium vocet, cũ *Aeneam* Petrum fateri cogatur? Sed nec minus illa persuadent: primùm Etymon nominis, *Troia* enim, quasi *triplex*, seu ter *extruenda*. Nam tametsi incertum, quo Conditore primum ea steterit, alijs alia sentientibus, post excidium tamen sub Babilonijs, & Annos septuaginta captiuitatis Iudaicæ exactos, à *Nehemia* sub Rege Persarum iterum excitatam constat. Et sub Vespasiano à Tito Filio, rursùm funditus euersa, aliam sui instaurationem (pro modo amplitudinis pristinæ, & in pristinis suis fundamentis) & tertiam ædificationem ab Antichristo Iudæorum Messia nunc denique

nique expectat. Siquidem in Apocalypsi, sub tyrannide illius, *Ciuitas magna* Hierusalem appellatur, in cuius plateis, gemina Dei Prophetarum corpora, à bellua illa interempta iacere inhumata oportet, Itaque *Troiani* hæc *nominis* ratio, quam Horatius in Odis apertè confirmat, dum Romanos monet, vt hanc vrbem reparare caueant, quæ si iuxta oraculum Phœbi, tertiùm extruatur, ter sit excindenda. Nam sic apud eum vaticinans Iuno inducitur:

Apoc. 11.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes, auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Ter si resurgat murus aheneus
Authore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argiuis.

Quo quidem fatidico carmine, Iuliani Cæsaris (vulgò Apostatæ) consiliũ demens, & impium de Solyma instauranda notat, quod frustra & infausto alite, ab eo susceptum. Hæc igitur omnia pro *Troia Solymæa* faciunt, non *Hellespontica*. Et quoniam in Iliade, ac alias sæpius Ἴλιος ἱρή, sacrum Ilium *Sacra Ciuitas*, *Diuum domus*, cum *Arce sacra* ob templum Salomonis in Arce Sionis constructum, *Troia* vocitatur, quis dubitet hoc nomen sacratæ Solymæ, & in sacris paginis *Ciuitati sanctæ* nominatæ, solum conuenire, non autem profanæ, nescio cui, vrbeculæ, cui nec vllo modo etiam fabulosa adaptari queunt? Iam *Troiæ*, atque *Troianorum* Synonymæ voces, non in aliã vrbem, atque ciues, quam Solymæ, cadunt. Nam *Ilium* imprimis *Aeliam* illam ciuitatem denotat, ab *Aelio Cæsare* ita nuncupatam. A qua Metropoli, Iudæa *Aulis*, quasi *Aelis* vocatur, *in qua* post subactam Galilæam, atq. Samariam, de Solyma euertenda, *Europeæ gentes*, Iosepho teste, *coniurarunt*. In hac quoque Aulide, vera *Iphigenia*, seu Iephtegenia, hoc est, Iephtæ filia, *virgo* nubilis, vt hostia *cædenda*, atque *immolanda*, in *ceruam* ideo *commutata* fingitur, quod cum sodalibus paulò ante mortem *in montibus*, vti cerua *errans*, *virginitatem per bimestre luxerit*. Huic demum Aulidi, seu Aelidi terræ, sacræ litteræ cum Chronologis fauent, dum (quod sanè mirum) *duplici Iphigeniæ*, siue in Iudæa, seu Peloponneso, vnum atque idem tempus statuere. *Pergama* modò eadem Troia dicta, quod vocabulum πυργὸς, *turritam ciuitatem* sonat, propriè Solymæ conuenit. De cuius turribus illud Iosephi encomium extat: *Turris Hippicos, & iuxta duæ, quas Herodes* Rex *in antiquo muro ædificauerat, magnitudine, siue pulchritudine, ac firmitate, vniuersis, quæ toto orbe essent, turribus præstabant*. Nostrum porrò Ilium, seu Aelia Solyma, ob innumera mala, & calamitates suorum ciuium, *malorum Ilias*, seu *Aelias*, iuxta prouerbium, non fabulosè, sed verè vocatur. Ad hanc quoque nostram maioris Asiæ, non minoris, *Troiam*, *Sigæum* pertinet, & *Sigæa tellus*, hoc est *Sionis* γῆ, seu terra Sionis, & *Sceæ*, Sichææ, seu Sigææ *portæ*, & *Ida* Iuda, & *Idæi*, seu Iudæi *montes*, quos vulgò *Iudææ montana* agnominant, & *Simois* Petri Simonis piscatoris lacus, & *Iardani fluenta*, de quibus Homerus, & *Salamis* Solyma, *Teucri*, seu *Troiani* appellata *ciuitas*. Ad hanc quoque *Phrygii*, seu *Phrugii* spectant, à *frugibus* dicti, quibus illa terra, Iudæis olim promissa, abundabat. huius populi *Dardani*, atque *Dardanidæ*, hoc est *Iordanidæ*, à Iordane fluuio vix deflexa voce, qui quidem

dem *Dardanus* cum *Iasium*, hoc est *Iesum fratrem occidisse fingatur*. *Iasiũ*, inquam, de quo Virgilus Romanum genus, hoc est, Christianum ait propagatum:

Iasiusque Pater, genus à quo Principe nostrum, Aeneid. 3.

quis nam nisi demens ad Hellespontum, *Dardanidas* releget, quos *Iesus*, seu *Iasius frater*, & *Iordanis* fluuius sibi vendicarunt? His accedunt *Teucri*, quorum Patria *Salamis*, tantùm non Solyma, vti modo dictum. *Vrbem* autem *Salamina* apud Syros etiã prisci posuere. Vox aute *Teucri* à Τκῦ & Κέρω. Christianum Sacerdotem sonat, cuius pileolus *Tau* seu crucis *cornibus* solet insigniri, qui quidem *Teucri Troianis permixti*, vti fabula tradit, posterorum nomen obtinuerunt. *Danai* ad extremum ab Danao Rege, hoc est, Iordaneo Christo, per Syncopen dicti, ad eosdem Iudæos, non Græcos quoque referendi, quòd *Troianas opes, siue* Solymæas, *& lamentabile Iudea Regnum* aut suis criminibus aduocantes hostem, *eruerint*, aut quod cum Romanis plurimi Syrorum contra Hierosolymam, & suos gentiles, socia arma iunxerint. Iudæorum autem vulgatæ fraudes, in commercijs præsertim, de *Danum dolis*, communi locum prouerbio dedere. errant igitur veteres, qui Danaos Græcos solos putauere, nam magis propriè Iudæi dicendi à Iordane fluuio, quasi Iordanæi, & per syncopam, *Danai*. Hinc *Danaus Beli filius*, & *Aegypti frater*, Iudæus censendus, non Græcus, qui quod Babilonijs in captiuitate maioribus ortus, *Belo* seu *Babelo* prognatus fingitur, & *Aegypti frater*, quia in Aegypto sub Pharaonibus diutissime vixit, Aegyptijs permixtus. Cuius Danai *filiæ Danaides*, seu *Belides* dictæ, quinquaginta Aegypti generos præter vnum *Linum*, vna & eadem nocte necasse dicuntur, eò quod aquæ maris rubri, filiæ Danai seu Iordanis (nam Iordanis in mare rubrum per occultos & subterraneos meatus influens illud quasi generat) Aegyptios plurimos vnà nocte merserunt, atque extinxerunt, præter vnum *Linum*, puta *Israelinum* Ducem ac Populum, qui diuinitus incolumis euasit. ob quod quasi facinus, *Belides in Inferis Dolium Danum* aqua futili implere fabula commenta est, quod quidem dolium extremi Iordanis, in lacu Asphaltite, ingens vorago est, quam *Danai filiæ*, seu Iordanis aquæ *in Inferis*, hoc est, subterraneis locis assiduè currentes, explere non possunt, quod in mare rubrum continuè effundantur. *Danaum* enim seu *Iordanem* eo influere præter cęteros Maro in Eridano (qui est Iordanis, quasi *Ieridanus*) ita attestatur:

Et gemina auratus Taurino cornua vultu Georg. 3.
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum, violentior influit amnis.

Quis enim *Padum* Italiæ flumen in *mare rubrum*, siue *purpureum* effluere asserat, à quo toto cęlo distat? occasio autem erroris, cur Padus ab antiquis Eridanus creditus, à Phaëtontis fabula petenda est, de qua non hic locus. Tandem à *Iordane* seu *Danao* fluuio, Virgo Christi Mater, quod Iudæa esset origine futura, *Danae*, quasi *Iordanea* appellata fuit, quæ à Ioue seu *Ieoua* filio per aureum imbrem Spiritus Sancti, quem cœli stillarunt, in turri seu loco secreto, grauida effecta est: Verum de hoc quoque aliàs, Troiam redeamus. Quam *Neptunus conditor* Hierosolymam esse præterea clamat. Hanc enim Rex Cyrus, vt est sacris litteris proditum, Spiritus Sancti afflatu (qui idem Neptunus, quasi Pneptunus, à Πνέω spiro, vt secundo libro nobis de- Esd. 1. c. 1. & 2. c. 2.

monſtrandum) poſt excidium primum inſtaurari iuſſit, & eius Succeſſor per Nehemiam legatum perfecit, vnde *Neptunia Troia*, quaſi Spiritus Sancti opus, appellata. Quod verò docta fabula enarrat, *Apollinem*, & *Neptunum* Deos in homines conuerſos, æſtimatis operis illam ædificaſſe, rem quoque de Solymæa Troia conficiunt, non Helleſpontica. vbi enim Apollo Chriſtus, Dæmonem *perdens* ſiue *exterminans* (vti nomen Ἀπολλύων præfert & *intonſus* dictus, quia Nazaræus, cuius ſectæ homines vulgò comam alebant) vbi inquam, *Apollo*, in hominem mutatus, ſiue incarnatus, Eccleſiam, Ciuitatem ſuam ſpiritualē condidit, niſi in hac Troia? vbi Deus Neptunus, Deus Spiritus Sanctus, de Cęlo ad homines lapſus, & translatus, eidem Eccleſiæ inchoandæ, operam quoque ſuam nauauit, niſi in hac Troia? Quod ſi iuxta fabulam, ad Troianam Vrbem. *Dij immortales non ſolùm inter ſe, ſed etiam cum hominibus dimicant, immo vulnerantur, & ſanguinem fundunt*, vbi id peractum, niſi in hac Troia, in qua Chriſtus Deus à Deo Patre Æterno percuſſus atque ſauciatus, in quo idem Deus ab hominibus paſſus, læſus & mortuus? Iam Troiani Reges *Dardanus*, *Erichthonius*, *Troius*, *Ilus*, *Aſſaracus*, *Laomedon*, *Priamus* non alia, quàm Iudæi populi, appellatiua ſunt nomina: de Dardano, Erichthonio, Troio, Ilo, Aſſaraco, ſupra explicatum, *Laomedon* verò *populorum Doctorem* ſonat, à Græcis vocibus λαὸς & μαθεῖν, quo nomine Hebræi ob legem ſibi diuinitus datam, ſemper gloriati. *Priamus* autem Troiæ exitio, quam ſceptro clarior, à Græco Πριᾶσθαι, ſignificat *redemptum*, eò quòd Iudæus in Solymæ caſu ſub Veſpaſiano, Chriſti ſanguine pridem iam *redemptus* eſſet. Age Troiæ bellum, obſidium, & ruina, quid niſi prælia apud Solymos gerenda infauſto euentu, & cum Vrbis clade, & conflagratione, & ciuium exitio, atque ſeruitute olim præcinebant? at

Aeneid. I. quæ belli cauſa? non vna profertur. remotior quidem, *Iudicium Paridis*, in quo ſpreta Palladis & Iunonis forma, ſed hæ proximiores: *Helena diuina mulier* (nam Iouis filia) ſpecie incredibili, Menelao per eiuſdem nominis

Metam. lib. II. quoque Paridem erepta, *Aurum Apollini & Neptuno negatum*, qui Vrbe

Meſſall. in lib. ad Auguſt. condenda operam æſtimarant, denique *Herculis repulſa aut contumelia*, dum *Vrbem* illam *hoſpes inuiſeret, & diuino ſemine cretos* ſeu creatos *equos repeteret*. Quibus aptiſſimè belli Solijmæi fontes recluduntur: infame ſiquidem *Iudicium Paridis* (Adę *Paridiſei*) quo contempta *Pallas*, Sapientia Æterna, & *Iuno* filia mens *Ieouæ* parentis, vti infra monſtrandum, præ *Venere* Eua, cui pulchritudinis maioris Index, ſed diſcordiæ Deum inter et homines materiam pomum, quaſi adiudicatum, doctæ fabulæ finxerunt, hoc inquam, *iudicium Paridis*, vt malorum omnium, ſic Troianę cladis, cauſa remotior. at *Helena*, hoc eſt, *vna Diuinitas* ab *El*, hebraicè, Deo, atque ἑνὸς vno, per Chriſti mortem erepta Iudæo (is eſt *Menelaus* Lunaris Populus à Μήνη & λαὸς, quod Paſchate ſuo celebrando Lunarem curſum Iudæus obſeruet) hæc, inquam, *Helena* ſiue Diuinitas, quæ omne creatum, ſua admirabili, atque infinita pulchritudine vincit, quam *Paris*, hoc eſt *Phariſæus* illata nece, Lunari Populo ſuo eripuit, propinquior Vrbis exitij cauſa reputanda eſt, vti Apollo Chriſtus, & Neptunus Spiritus, Eccleſiæ Iudaicæ primi conditores, auro charitatis (quod erat merces operarum) fraudati: & eiuſdem Chriſti Herculis, ſeu clari Herois iniuriæ inultæ, dum Solymam in propria perſona inuiſeret, & poſt mortem illa cœleſtes equos Apoſtolos cuſtodia incluſos, non modo non redderet, ſed etiam dirè trucidaret. hinc enim

Ilia-

illæ Iliadū lachrymę, terræ *Æliæ* vastitas, Troia Solymea capta & incēsa, *Hesione* Dea, *Hesu* siue *Iesu* Ecclesia, Iudæis ablata, *Telamoni* Italiæ monarchę, Tito, concessa est: ob quam tamen, ab eodem, vt potè infideli, non optimè acceptam, alia quoque persecutionum bella enata sunt. hæ ergò Troiani, siue Solymæi incendij quasi faces fuerunt. At qui obsedere? cum Romanis & Auxiliaribus Syrorum copijs, Achaia & Gręcia. nam teste Iosepho, qui eo bello Ducem strenuum agebat: *Vespasianus protinus ex Achaia, vbi cum Nerone fuerat, Titum quidem filium suum mittit Alexandriam, vt inde quartam, itemque decimam Legiones moueret. Ipse verò Vespasianus ad Hellespontum terreno itinere in Syriam peruenit, ibique Romanas vires, multaque à vicinis Regibus auxilia* (aduersus Iudæos & Solymæ Vrbem) *congregauit*. Quod igitur ad Hellespontum pro Solymæ bello exscensurum Romani exercitus Imperatorem, in Sibylla legissent, locum exscensionis in Asia minore, *Troiam* vocauerunt, ibi Solymam rati, & hinc *de classe Græcorum ad Troiam appulsa*, error fabulæ manat. Vbi ergo (inquies) si Troianum bellum Solymæum fuit, *Neronis*, *Vespasiani*, *& Titi* Imperatorum præcipua nomina? vbi item *Italorum militum* sub his bellantium, in tota Iliade expressa inuenias? Minimùm enim verò in hoc laboramus, cum *Nireus*, *Medon*, *Asius*, *Xanthus*, *Scamander*, *Tydides*, *Agamemnon*, *Telamon*, *Tlepolemus*, *Sthenelus*, *Euryalus*, *Ithacides*, *Aetion* (si singulorum Etymologiam inspicias) statim propositæ quæstioni occurrant. siquidem *Nireus* Homericus *Neronem* Cæsarem simili voce refert, quem post Achillem *pulcherrimum* idem Author *nominat*, ob egregias, puta, ingenij dotes, quibus ille præditus, sed ob delitias, quibus tandem effœminatus, *imbellem*, & *paucis copijs comitatum*, quia vix vmquam ad bellum egressus. Idem quoque *Medon* hoc est Imperator, à verbo Μέδω, ideò cæsus ad Troiam fingitur, quia tempore belli Iudaici apud Romam Nero interfectus. Iam *Vespasianus* eiusdem in Imperio successor, per Syncopam *Asius* ab eodem Scriptore fabuloso dictus, nec non *Irtacides*, quasi *Aethacides* ab Αἐτὸς Aquila Imperij Symbolo, & *Princeps virorum*. Idem quoque Xanthus, ξανθὸς idest *Flauus*, quod Vespasiano nomen *Flauij* foret, vt potè ex illustri *Flauiorum* genere. Quod autem Sybilla Flauij Iudææ vastatoris nomen, cognatum *Flauo* & *fluuio* fore prædixerat, *Xanthum* ideò Troiæ *Fluuium* dixere, & quod iussu Neronis (quem *Nereum* putarunt) Iudæam illam vsque ad Solymam esset vastaturus, ideò *Nereum* seu *Neptunum* suo Flauio, quasi fluuio quodam, ad mænia Troiæ inundasse ferunt, et terræ Aeliæ fruges perdidisse, iuxta illud Ouidij in Metamorphosi

De bello Iud. l.3.c.1

Il. rapſ. 2.

Ib.

Ib.

Ib.

Non impune feres, Rector maris inquit, & omnes
Inclinauit aquas ad auaræ littora Troiæ,
Inque freti formam terras conuertit, opesque
Abstulit Agricolis, *& fluctibus obruit agros*. Metam.l.11

Eumdem quoque *Flauium*, simili ratione *Scamandrum* appellarunt, *Latum*, seu *Latinum hominem* ab Hębręo *Scamen* atque Gręco ἀνδρὸς. Iam verò *Titum* eiusdem filium clare per *Tytidem*, seu *Tydidem* (nam τ & δ litterę equipollent) Gręci expresserunt, quasi *Titorum stirpe progenitum*, quem ob bonitatem *Patre meliorem*, & *ope Palladis superis parē* Horatius appellat, quod non nisi diuina ope, et superno auxilio (vti ipse Titus apud Iosephum historicum fatetur) Solymam Troiam valuit expugnare. Is est quoque *Agamemnon*

De bel. Iud. l.7.c.16.

memnō Princeps populorum ab Homero, et alijs toties decantatus, qui virum *memorem dilectionis* sonat, (nam ἀγάπη charitas, & μέμνομαι recordor) eò quod *humani generis delitiæ* ille vocitatus, diem omnem amissum putaret, quo benefacere cuipiam omisisset. Idem præterea *Telamon*, quasi *Italamon*, Italiæ monarcha, vel a *Tala*, & *Mona*, vti in Etymologijs supra videre est, quia in imperio Patri successerat, quem supra diximus, *Hesione*. Dea, diuina *IESV* Ecclesia, Iudaico populo erepta, potitum, quod Troiæ, seu Solymæ, *omnium primus*, id est, *Princeps murum conscendisset*. *Tlepolemus* insuper, *Sthenelus*, *Euryalus*, *Ithacides*, *Aetion*, Italorum ad Troiam pugnantium sunt nomina. *Tlepolemus* siquidem *Italopolemus*, Italus bellator, nam πόλεμος bellum, *Sthenelus* autem (quem vt *impauidum*, & *pugnæ scientem* Horatius laudat) *fortem* seu Romanum *populum* in memoriam reducit, a σθένος & λαός. nam græcum ῥώμη robur significat. quid porro *Euryalus*, nisi Εὐρὺς Ἰταλὸς latus seu latinus? *Ætion* ad extremum, atque *Ithacides*, nonne ab Αετὸς *Aquila* Romana, vocabula deducunt? Hi igitur fuerunt Troiæ bellatores, quamuis externorum Græci ferè æmuli, ad suam Græciam cuncta deriuarint, ne quid Italia, in communi excidio Troiæ, laudis decerperet, quę primas tenebat. Quid plura? vel ex Sibylla Cumana colligas, Troiam Solymam esse, quæ post Christi ortum hæc futura canit:

Alter erit iam Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Ecl, 4. *Delectos Heroas, erunt etiam altera bella,*
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Doceat ergo, quisquis aduersatur, quando à Christo nato illa *altera* ad Troiam Hellesponticam *bella* gesta fuerint, & *quo sub Achille*? Atqui post *progeniem* (Christū) cęlo *alto demissam*, *altera* Romanorum ad Solymos *bella* extiterunt, cum Assyriorum prima præcesserint. Nabuchodonosor in his *Achilles primus*, at in illis *alter* ipse Christus, ad *Troiam* Solymæam *missus*, verus, inquam, *Achilles*, quia ἄχος ἰλίου *dolor Ilij*, seu *Troiæ*, ob mortem eiusdem meritò supremum excidium perpessæ. Sed & Dio Chrysostomus nec recens, nec ignobilis Scriptor de *Troia numquam capta* Librum composuit, illa nempè Troia, quæ ad Hellespontum sita, ne quispiam tanquam nouitium inuentum meum hoc repudiet, mutato nomine de Hierosolyma fabulam Troiæ enarrari, quæ Ælia, quasi Ilium vocata. Hæc igitur meridie clariùs, hactenus Solymam *Troiam* esse demonstrant, & ad quemuis durum frangendum sensum oppidò sufficiunt. Sed quoniam multorum Scriptorum, atque sæculorum insita opinio aduersans, ægrè & nonnisi magna vi rationum euelli consueuit, summatim & breuiter adhuc vniuersa, quæ *Ilias* Homeri, aliaque siue fabulosa, siue historica, de Troia enarrant, cum Aeneæ nauigatione, rebusque in Latio gestis, ad Solymam & Petrum referre studebimus, illo operæ & olei pretio (nisi fallor) quod hæc ad Romanæ Ecclesiæ decus, & Vrbis splendorem, & ad veros eius, tum spirituales, tum temporales Patres agnoscendos, & Annales hosce magis illustrandos, non parum conducent.



C A-

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1 **Tota *Ilias* Homeri,&*fabulæ de Troiano bello*, ordine temporis de Solyma narrantur.**

2 ***Iliados* fabulis Euangelium Christi,vitam,atque mortem,& quæ hanc secuta, summatim exponi.**

1 INGENS opus aggredimur,totam Iliadem,cum fabulis de Troiano bello, quasi in angusta nuce inclusuri. sed tamen audendum, quando id Romanæ rei magnitudo, & gloria postulat. Primùm igitur obseruandum,Poëtas & historicos veteres,*duplex excidium Troiæ* confundendo, non paruas Solymeæ historiæ tenebras offundere,dum casum vrbis duplicem, sub Chaldæis,nec non sub Romanis,inter se permiscent. Quamquam eis gratia habenda, quòd geminam illam vrbis ruinam minimè siluerint, vti ex illo Ouidij liquet:

Bis periura capit superatæ mænia Troiæ

Item Horatij

Troiæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis & sorore.

Hoc autem quoque non ineptum discrimen,quod primam vrbis euersionem sub *Laomedonte*,sub *Priamo* alteram posuere, eò quod Iudæus sub Babylonijs *Laomedon* populorum doctor, nondum autem redemptus, id est, *Priamus* esset, vti supradictum. Ne autem rerum confusio, narrationi quidquam officiat, hunc ordinem sequemua, vt primùm exequamur ea, quæ Iudæorum aduersus Romanos rebellionem præcedunt, deinde quæ eam,ad vsque supremum Solymæ Troiæ, atque gentis exitium, secuta.quæ quidem omnia fabulosè, atque nullo ordine docta *Ilias* recenset. Troiani verò belli Scriptores altissimè historiam eiusdem,& ab ipsis mundi primordijs repetunt. A *Paridis*, puta *Paradisæi Ada* Patris Pomo, omnis discordię, & omnium malorum, atque adeo geminę Solymęę cladis materia & semine.hac etiam(vti arbitror) de causa, quod *pomum* illud *Veneri* Euę *adiudicatum*(vti supra diximus) occasio extitit, cur *Helenam*(Diuinitatem nempè incarnatam)eadem *Troia* Solymea *acceperit*. nam post illud malum, mali omnis causam,infeliciter ab Eua decerptum, Incarnandus Christus *in Genesi promittitur*,vnde fabula de promissa Helena in certamine Dearum exordium cepit. Huic deinde Troiano bello, *Iphigeniæ*,seu generis aut filię Iephtę sacrificium attexunt, quod in *Aelide* Terra (quam *Aulidem* vocant) contigisset, cuius Troia nostra metropolis,atque belli gratia in eadem gesti, siue ob prosperum prælij successum, quem *ventum fauentem* interpretati sunt. Quamquam non viderint,alterā hanc *Iphigeniam* esse ab ea, quā *Agamemnonis* seu Titi *prolem* esse dixere, & *in Tauricam translatam*, hęc enim Europa seu Italia putanda est,& *Iapheti*, non Iephtę *filia*, vnde nomen hausit.ideoque Titi *Agamemnonis soboles*, quod is Imperator Europæ atque Latij Pater(vt Monarcha) esset. altiùs igitur hisce repetitis, ad *Prophetarum* Iudęorum tempora, & oracula de-

ſcendunt, *qui de Troiæ* Solimæ *caſu cecinere*. Et quia Chriſtus in his princeps fuit, *Helenum*, hoc eſt, *vnum Deum*, tamquam inſigniorem vatem commemorant, quem & *Priamidem* ob originem Iudęam, & *Graias per vrbes* (ob Ecclesiam Græcam) *regnaſſe* dixerunt. cæteros autem prophetarum, nominibus *Panthus, Calchantis Tireſiæ, Caſſandræ* aptè inſigniere, ex vtroque ſexu, quòd fœminæ iuxta atque mares, vaticinandi dono claruerint. Vnde *Tireſias*, qui *hæbreum*, ſiue *Abrahæum* vocabulo refert, à *Thare*, Patre Abrahami deductio, mas & fęmina fingitur, & cœcus fuiſſe, quia quem Chriſtum pęcinebat olim Abrahæus ſiue *Thareſius Vates*, non viderit. eſt autem *Panthus* vir *totus diuinus*. *Caſſandra hominem vatem* ſonat ab ἀνδρὸς & *Coſen*, quod *virum vatem* hębraicè ſignificat, & *Calchas æreum*, ob immutabilia, & *ærea* diuina decreta, ſiue oracula, quæ *adamantina*, ob infallibilitatem, & *in Inferis ſcripta* commenti ſunt, ob iudiciorum Dei in cauſis ſuis obſcuritatem, ſic enim de fatis ſeu vaticinijs (quę quia *effata* prophetarum ore, *fata* nominantur) Venerem apud Ouidium parens alloquitur:

.... Sola inſuperabile fatum,
Nata, mouere paras? intres licet ipſa ſororum
Tecta Trium, cernes illic molimine vaſto,
Ex ære, & ſolido rerum tabularia ferro.
Quæ neque concuſſum cæli, neque fulminis iram,
Nec metuunt vllas tuta, ac æterna ruinas,
Inuenies illic inciſa adamante perenni
Fata tui generis.

ſed vt ad P*rophetas* fatorum pręcones modò reuertamur, *Caſſandram* poetæ *in vincula conijciunt*, et veluti *furioſam ſpernunt*, ob liberiora ſua vaticinia de Troiæ ruina, quia id Prophetis, vti Ieremiæ, alijſque contigit, qui de Solymæ excidio oracula fudere, vnde Dares Phrygius,

Fauiſſent agmina Vatis
Imperio, motas reuerentia Principis iras
Obruit, indigniſque datur Caſſandra Catenis.

Et infra.

Suſpiria vatis, anhelas
Excuſat furias, celereſque ad iurgia voces,
Et vitio capitis ſolitos ſæuire tumultus,

l.3. de bello Troiau.

2 Poſt *vaticinia* autem *de Solymæ clade*, Chriſti vita, et res geſtę Euangelio deſcripta, ordine ſequuntur, cuius poetica, ſiue fabuloſa illa ſunt nomina: *Hercules*, *Helenus*, *Merion*, *Diomedes*, *Anchiſes*, *Achilles*, *Chryſis*, *Mars*, ſeu *Mauors*, *Mercurius*, *Phœbus*, Apollo, *Iaſon*, & *Iaſius*, quæ duo poſtrema veneranda *Ieſu* ſunt nomina. Diuinitatis autem eius vocabula *Diana*, *Iuno*, *Minerua*, *Pallas*, & *Helena*. Spiritus Sancti: *Neptunus*, *Pyrrhus*, ſeu *Neoptolemus*, *Vulcanus*, & *Nereus*: Matris Chriſti; *Alcmena*, *Maia*, *Venus*, *Thetis*, & *Danae*. Eccleſiæ: *Heſione*, *Berecynthia*, *Cybele*. Apoſtolorum; *equi diuino*, aut *cœleſti ſemine procreati*. Petri *Aeneas*, *Capys*, *Patroclus*, *Glaucus*, & *Vlyſſes*. Pauli: *Pollux*, *Hector*, *Aiax*, & *Antenor*. Ioannis; *Anius*. Iacobi: *Panthus*, atque *Aſtianax*. Stephani: *Protheſilaus*, & *Aiax Locrenſis*. Lucæ, *Caſtor*. Iudæi, *Priamus*, *Menelaus*, *Deiphobus*, *Dardanus*, &c. at Iudææ gentis: *Sarpedon*, *Hecuba*, *Polixena*, *Andromache*. Denique Phariſæi *Paris*, et ſic de cęteris, quorum omnium ratio,

tio, vel supra reddita, vel infra reddenda. Ideò autem de Christo in Iliade agitur, quod Troiani, hoc est, Solymæi belli pars maxima fuerit, ob spiritualia puta certamina cum Iudæis obstinatis gesta ad *Aeliam* Solymam, quodque etiam ob suum sanguinem indignissimè ab eis profusum, Romanas acies cum Græcis coniunctas, ad delendam Vrbem euocarit: Igitur Christum Incarnatum per *primum Helenæ raptum ab Hercule*, Iliados fabulæ expresserunt, quando Christus Hercules, idest, Heros magnus ab *Hera*, et *Cala*, *Helenam* vnam Diuinitatem, in vtero Virginis *sibi fecit sponsam*, atque *vendicauit*. Alter autem raptus (nam *triplicem* memorant) factus à *Menelao*, seu Iudæo (qui & *Deiphobus*, hoc est *Deum timens*, puta seruiliter, quemadmodum Iudæus) in Christi natali, tunc enim *Helena* vna Diuinitas *illi* quoque *data*. Tertius verò *Paridis* Pharisæi fuit, cum per Christi mortem, eamdem *Helenam*, *Menelao*, lunari Iudæo, in lunari, seu Paschali festo *eripuit*. Ob quod crimen Paridis, et celebrem raptum, non solùm Græcia, sed et tota Asia, et *Europa commota*, ad *arma concurrit*, et contra *Aeliam* (Poetarum Ilium) in *Aulide*, seu *Aelide* Terra *coniurauit*. Qui quidem *Paris*, siue Pharisæus populi Iudaici *Pastor*, crebriùs iure merito *adulter* appellatur, quòd Ecclesiam, et gratiam Christi, veram suam Sponsam, Synagogæ, et Moysis legi malè postposuit. Neque verò solo illo Helenę ab Alcide raptu, sed et alijs fabulis æquè ingeniosis, eumdem Christum prodigio conceptum, atque incarnatum vates adumbrarunt. vti *per Iouis in Idam descensum, hoc est*, in Iudæam. *Achillis* præterea *corpus* fingunt à *Thetide matre* (hæc est Virgo parens, Oceani, hoc est, Ioachini filia, et *Thetis* dicta, quasi *Deum creans*, à θεὸς, & κτίζω) *Stygio amne tinctum*, & *inuulnerabile*, propterea effectum, eaque dumtaxat parte *passibile*, qua Thetis mater illud tenuisset, hoc est, concepisset. quo quidem figmento duplicem in Christo naturam humanā nempè passibilem, et Diuinam inuulnerabilem, scitè docuerunt, de quo Mysterio eadem ad Achillem Thetis, apud Statium Poëtam, Il. rap. 8.

Si te Stygis amne seuero
Armaui, totumque vtinam?

Neque enim grandi mysterio vacat, *Amnis ille* Stygius. Nam non ante Christus iuxta humanitatem resurgendo factus immortalis, et impassibilis, quam Stygio quasi *amne tinctus*, hoc est, ab inferis redux *effectus est*, tametsi antea quoque inuiolabilis eius esset Diuinitas, ob quam solam fingunt *Paridis*, siue Pharisæi *telum diuinitus regi debuisse*, vt diuinum Christi corpus penetraret, iuxta id Maronis:

Dardana qui Paridis direxti tela, manusque Aen.
Corpus in Aeacidæ.

Eamdem quoque Christi Diuinitatem per *scutum*, et *arma Achillis*, *eiusdem Thetis prece*, et rogatu, *à Vulcano Patre fabrefacta* docent. per *Vulcanum* enim Deum ignis, Spiritum Sanctum significant, cuius opera Christus conceptus, et scuto, et armis prorsus admirandę, et inuulnerabilis Diuinitatis, quasi cataphractus in Mundum processit. Itaque nemo otiosa putet, quę *his armis cælata vates descripserunt*, vti Mundi Genesim, et cętera plurima, quæ Achillis Christi Diuina opera aptè representant. Eiusdem porrò Christi patriam, et genus, per *Achillem Scyrium*, hoc est, Syrum ostendunt, et per *Aeacidem*, quasi *Ioachidem* ab Auo Ioachim, genus trahere indicant, et per *Pelidem* à *Peleo*, hoc est, senc Patre, nimirum Iosepho Patre putatiuo, à Græ-

co Παλαιὸς, quod *Senex* ille ante sacras nuptias cum Thetide Matre, vel esset futurus, vel certè pingendus. De his autem Diuinis nuptijs *Pelei*, seu *senis Iosephi*, cum Thetide Deum procreante, illud Catulli epithalamium extat;

De nuptijs Pelei, & Thetid.

Cum Thetis humanos non despexit Hymenæos,
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes saluete, Deum genus, ò bona mater!
Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo,
Teque adeò eximiæ tædis felicibus aucte
Aemathiæ columen Peleu.

Et infra

O decus eximium magnis virtutibus augens
Aemathiæ columen Peleu, clarissime nato
Nulla domus tales vmquam contexit amores,
Nullus amor tali coniunxit fœdere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Nascetur vobis expers terroris Achilles.

Et quæ quæ sequuntur. vbi vides vatem per voces (*aucti, & augentis*) ad Iosephi nomen alludere, quod *adauctum* sonat. Castitatem etiam harum nuptiarum ijdem Poetæ per *Auroram, matrem solis, linquentem*, seu non tangentem *cubile Tithonis, mariti Senis* declararunt, namque ita Virgilius;

Aon. 4.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Per Tithonem, *Tectonem*, *fabrum* Ioseph innuentes, ætate, vel moribus maturum, & senem. quem etiam *Chironis* nomine appellarunt, quasi *manualiter* viri operantis, à χειρὸς manu. *Cui* tanquam *præceptori*, & *educatori Achillem* Homerus *educandum tradit*. quem quidem Chironem *semiuirum*, & *geminum*, seu duplici natura constantem Ouidius facit, quòd Christi parentem, in quo gemina natura, duplicis naturæ quoque esse crederet: vnde ille eiusdem de Chirone Christum educante versus;

Mot. 2.

Semiuir interea Diuinæ stirpis Alumno
Lætus erat, mistoque oneri gaudebat honore.

Infra autem *Ocyroe mulier* de eiusdem *Chironis* alumni, miraculis, morte, & resurrectione, sic *vaticinatur*:

Ib.

Ergò vbi vaticinos concepit mente furores,
Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat,
Aspicit infantem, totique salutifer orbi,
Cresce puer, dixit, tibi se mortalia sæpe
Corpora debebunt, animas tibi reddere ademptas
Fas erit

Ad vitam mortuos reuocando. dein sequitur

Ib.

Eque Deo corpus fies exangue, Deusque
Qui modo corpus eras, & bis tua fata nouabis.

Iosephi autem, seu *Chironis mortem* (*quem* vti *Dei* immortalis putatitium *Patrem, immortalem facit, & simul mortalem, ob receptum corpore* commune Adami *Serpentis venenum*) in hunc modum prædicit:

Ib.

Tu quoque chare Pater, non iam mortalis, & æuis
Omnibus vt maneas, nascendi lege creatus,

Posse

Posse mori cupies tum, cum cruciabere dira
Sanguine Serpentis, per saucia membra recepta.
Teque ex æterno patientem Numina mortis
Efficient.

Sed & *morientem adstante, hortante*, atque *consolante alumno Achille*, seu Christo, bellissime describit:

Stabat, vt ante Patrem, lachrymis perfusus Achilles,
Sic flendus Peleus, si moreretur, erat:
Sæpe manus ægras, manibus fingebat amicis,
Morum, quos fecit, præmia doctor habet.
Oscula sæpe dedit, dixit quoque sæpe iacenti,
Viue precor (Immortalis) *nec me care relinque Pater.*
Nona dies aderat, cum tu iustissime Chiron,
Bis septem stellis corpora cinctus eras;

Stellis (nempè Angelis) qui corpus tuum mortuum more siderum fulgentes cingebant. Porrò idem *Chiron* Iosephus alio nomine *Lycomedes* dictus, hoc est, *Galilæus sciens*, seu *peritus* artis nempe fabrilis, a λευχὸς, quod est, *albus*, & lacteus, & voce Μαθεῖν, Galilæum enim dum Iosephum vates in Sibylla legunt, ob vocem γαλὰ, lacteum seu *album* putarunt, vnde *Leucomedes. inter cuius filias*, seu *virgines Achillem* fabulantur *Virgineo habitu à matre absconsum, ne ad Troiam iret*, puta Solymæam, *vbi moriturum ex fatis* (prophetarum effatis) *filium didicerat. Virgines* igitur, quibus virgineum Iosephi, siue Lycomedis gynecæum constabat, & inter quas Christus *virgo* vixit, mundo miraculis nondum patefactus, duæ illæ fuerunt, nempe *Virgo Parens*, atque *Virgo sponsus* Ioseph, seu maritus. Neque inconcinnè *Achillem* Christum, postmodum *ab Vlysse* Petro fingunt *esse agnitum* atque *deprehensum*, quando in Galilęa, vbi is educatus, illis verbis: *Tu es Christus filius Dei viui*, eum *detexerit*, & cunctis *vulgarit*: quem etiam ibidem corpore *apprehensum*, in Ierusalem deinceps ad bellum suę passionis & mortis *deduxerit*, vel potiùs *secutus sit*, cum passionem dissuadere non posset. De quo *sic Vlysses* Petrus apud eumdem Ouidium se *iactat*:

Præscia venturi genitrix Nereia (Nazareia) *lethi,*
Dissimulat cultu Natum, & deceperat omnes,
In quibus Aiacem, sumptæ fallacia vestis, Met. l. 13.

nostræ nempe Humanitatis, quæ Christi erat *Virginea vestis*, de virgine carne suę Matris texta, & formata, quam haud noscens Aiax, nempe *Saulus*, ignorans Christum persecutus est. sequitur porrò

Nate Dea, dixi, tibi se peritura reseruant Ib.
Pergama, quid dubitas ingentem euertere Troiam?
Iniecique manum, fortemque ad fortia misi.

Quid, quòd nec baptismum Christi in Iordane, in quem Spiritus Sanctus quamuis aliena effigie, delapsus, docta Ilias omisit? hunc enim *Xanthus Troiæ fluuius* adumbrat (qui Iordanem refert *flauis* suis vndis) *Achillem tamdiu operiens* & *mergens*, dum *Vulcanus*, hoc est, Spiritus Sanctus, de celo descendens, *igne flumen comburat*, & *Achillem* inde *incolumen educat*. Haud absimiliter Christi passionem, & acerbam mortem Iliade expressam, aut fabulis de Troiano bello, quoque videre est. Quia enim Christus in festo Palmarum, solemni triumpho, Ierusalem & Templum ingressus, passionem suam Hom. Il. rap. 21.

P inchoare

inchoare debebat, *Achillem ab Hecuba ferunt ad nuptias Polyxenæ filiæ inuitatum esse*. ad quas veniens sine armis, neque dolum ratus, *insidijs Paridis fuerit interemptus*. Nam quid *Polyxena*, nisi vrbis hospites atque peregrini (vti nomen πολὺς atque ξένος indicat) ad Paschale festum, Solymæo in Templo conuenire soliti, ad quos Ecclesiæ sponsæ Christus aggregandos, non solum ad Solymam & Templum, sed ad voluntariam mortem profectus sit, *Paridis*, hoc est, Pharisæi *insidijs illatam*? ob quod tamen crimen post aliquot annos ad *tumulum eius Polyxena* illa, *hospitum* seu perigrinorum *multitudo* ingens, *mactata est*, vti infra monstrandum. Quas quidem *insidias, in Achillem* Christum *comparatas* sic ij exponunt:

Stabant radiantia Phœbo
Dares Phr. l. 6. de bel. Troi. *Templa suburbano, nomenque auctura tegebat*
Lanugo Thymbræa Deum, circumque, supraque
Vmbrabat dominas folijs ornantibus aras.
Huc Hecuba in facinus audax inuitat Achillem,
Coniugij factura fidem. venit ille, sed arma,
Sed comites nulli, solum sibi Nestore natum
Iungit, vix gladio cingi memor, omnia linquit,
Dum miser optatos properat visurus amores.
Quin vetat insidias credi, fraudesque timeri
Ipse locus, Templique fides. at matris adulter
Dardanus imperio, post læsa cubilia, sæuum,
Nil reputans, pacemque Deum, Delubraque turbans,
Occulit armatas post ipsa altaria turmas;

vbi per *lanuginem Thymbræam Deum obuelantem atque inumbrantem*, ad ramos palmarum atque oliuarum docta fabula alludit. Quod verò *comites nullos*, Christo addit, hinc factum videtur, quod solus & sine comite ad cruciatus suos atque mortem Christus pertexerit, vnico latrone illi auxiliante, quem *Nestoris*, hoc est, Spiritus Sancti *Consolatoris*, ab Hebreo *Noa*, filium hic appellat, & post *Antilochum*, hoc est, *aduersarium electum* seu prędestinatum, qualis latro fuit. Deo quidem antea ob scelera inimicus, sed afflatu diuino repente mutatus, *Næstoris* seu *Nestoris filius* effectus est, & pro Christo in hunc modum pugnans:

Nec segnior ira
Ib. *Antilochi, premit, instat, agit .....*
At Phryges incumbunt propius, prolapsaque nondum
Congestis clypeis, casura cadauera, fisi,
Quos nequeunt armis, armorum pondere vincunt.

Geminæ crucis nempe graui pondere, in qua obierunt. At Achillis mortem aliter Ouidius describit, nam de *Paride* ait, quod

arcum obuertit in illum,
Certaque letifera direxit spicula dextra.

Per *arcum*, crucem Christi significans, à Pharisæis illi procuratam. Et quia *sol hoc facinus Paridis*, siue Pharisæi, *suis tenebris luxit*, continuo sequitur

Vidit, & vltorem Phœbus curuauerat arcum,
Tela dabat Pallas, vetuit Pater igne, sagittis
Obuius intentis, & pacem fulmine sanxit.

Rursus infra

Sic

Sic si destituat superum Pater, orba querantur
Sidera, & ignoto contendant funera fletu. Ib.

Neque etiam *sannas*, & *ludibria*, quæ Christus pertulit, vates non viderunt. nam sic ad *Achillem moriturum Paris*

prior occupat acer
Priamides, ne flecte gradum, sponsæne petita
Amplexus habiturus abis? venit ecce, sed illam
Ornatu studiosa parens, iussisque moratur
Mollibus, & trepidam primæ docet oscula noctis.

verè item idem de Christi sanguine sic vaticinatur:

Si qua iacentum
Gratia, si quis amor lapsis, hoc sanguine ciues
Expectant Phrygij suprema piacula manes. Ib.

Namquid ille versus ab hac sententia differt: *expedit vnum hominem mori pro populo?* ad hanc Christi passionem spectant ea quoque, quæ de *Deorum cum hominibus, & inter se pugna* atque *vulneribus* Homerus *canens*, desipere visus est, cum maximè saperet. Apud eum enim *Venus* D. Virgo, a *Diomede* Sapientia Æterna *in manu læditur*, quia manum Matris, claui manuum filij quasi sauciarunt. In qua eiusdem *Veneris*

Debilitata sunt ad crucem *genua, & dilectum cor*,

vbi eadem illa mortuum suum *Adonidem*, hoc est (Adonai) *plangit*, cuius mortis luctus memoria quotannis in Ecclesia semper recolenda, apud Ouidium ita prædicitur:

Luctus monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris repetet simulamina nostri.

Christo item patiente atque moriente, à *Ioue* seu Iehoua, *Iuno verberatur* (υἱὸς νοῦς filius mens Patris) quam ob scelera populi Deus Pater percussit. eadem Iuno *vinculo aureo* clauorum & *firmo ligatur*, & *cælum inter & aerem pendet, incudes sub pedibus habens*, quæ omnia, vincula, crucem, clauos, & malleos Christi patientis clamant. Christo patiente atque moriente, A *Diomede* Sapientia Diuina, *Mars* (Μαρίας υἱὸς) fit *in ventre saucius*, puta ob lanceam. huius item validus clamor exauditur, dum clamans expirat, nam apud Homerum vulneratus

Sonitum dedit ferreus Mars,
Quantum nouies mille clamant, vel decies mille
Viri in bello pugnam ineuntes

In eodem Christo *Merion*, is est, Mariçus, seu Mariç filius, *puluere Troico niger occubuit*. In eodem Christo *Helena* (Vna Diuinitas) *Menelao Iudæo*, vti dictum, per *Paridem* Pharisæum *erepta* est. In eodem Christo *euersor Troiæ* Solimeæ *Hercules, in Aeteo* seu Iudæo *monte sacrificans cadit*, amoris *flamma in veste* nostrę atque suæ humanitatis *correptus*, *quam mortalitatis veneno imbutam*, non tamen peccati, Mater illi dederat *Deianira* Diuina Virago. *quam antequam exuat*, aut per mortem *scindat*, heroicos *illos cruciatus inter flagra perfert*:

Letiferam conatur scindere vestem,
Quà trahitur, trahit illa cutem (fœdumque relatu) Met. 9.
Aut hæret membris frustra tentata reuelli,

Aut laceros artus, & grandia detegit ossa
Ipse cruor.

Et amoris igne erga mortales incensi Herculis

Sorbent auidæ præcordia flammæ,
Cœruleusque fluit de toto corpore sudor.

In crucis autem supplicio *Lycham*, id est, Lupum, seu malum latronem, qui lupi instar homines vorarat, *indurari finit*. etenim

Ille per aerias pendens induruit auras.

Alium autem latronem *Philoctetem*, hoc est, *amantem regni* sui *possessionē* blādiusculè alloquens, illi, suæ crucis *arcum* & *sagittas* donat, vt *ad Troiā* Solymeā patienter *ferat, sine quibus Troia capi nequeat*, Hierusalē cælestis, vti Christi Herculis exemplum monstrabat. Interim Heros ille clarus & diuinus:

Met. 9. *imposita clauæ ceruice recumbit,*
Haud alio vultu, quam si conuiua iaceret
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

Clauam autem *Herculis*, crucem interpretamur, a *clauis*, quos gessit, *clauam* nuncupatam, quam etiam crucem, per *hastam Achillis*, ob pondus atque grauitatem, *à nemine alio portabilem* Homerus designat. Nec non per *sceptrum*
Il. 167, 705
Il. 33, 36.
eiusdem Achillis, quod erat *truncus arboris sine folijs & ramis, aureis clauis transfixus*. Huc alia plurima ex Iliade aut fabulis de Troiano bello, ad mortem Christi Troiæ Vastatoris aptè congerantur, ni breuitas vetaret, & is *ad sepulchrum, & ipsos Inferos* esset modo *deducendus*. Paris enim Achillis defuncti,

Auibusque, ferisque
(Proh scelus!) extorres artus, & funera nuda
Proiecisset atrox, melior ni iusta moneret
Dar. l. 6. *Frater* (Ioseph ab Arimathæa) *& infandas Helenus* (Deus vnus)
compesceret iras

Qui sepulchrum eius gloriosum effecit. *Descensum* autem *ad Inferos* non vna fabula vates adumbrarunt, *Aesculapij paterno fulmine ad vmbras detrusi*, quia ab inferis quosdam excitasset. Item per *Achillem imperantem mortuis*,
Odyss. 11.
Aen. 6.
vt Homerus testis, atque per *Anchisem in Elysijs campis* (iuxta Virgilium)

conualle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras
Lustrantem,

sed maximè per *Herculis* & *Thesei socij* (qui est *Iesus* noster) *ad manes descensum, vnde quoque cerberum extraxisse proditum*, eò quod *Dæmone*, Inferorum Ianitore victo, ad lucem è Limbo iustos eduxerit, adeo fabula Herculis Christum in omnibus refert. qui etiam *angues immissos in cunis manu elisisse* fingitur, quia venenatos satellites Herodis, infantium tabo ac sanie fluentes, ipsum ad necem quærentes, cum adhuc in cunis vagiret, omnipotenti manu eluserit, vnde *elisisse serpentes* dictus est. Iam *resurrectionem* Christi gloriosam satis ille supra de *Achille* aut *Æsculapio* versus indicauit:

Eque Deo corpus fies exangue, Deusque,
Qui modo corpus eras, & bis tua fata nouabis.

At *resurrectionem* cum *Ascensione* illustrius in Hercule videmus. illo enim ita moriente, vti supra dictum, non mediocriter eius Apostoli

Ti-

Timuere Dei pro vindice Terræ.

Quos *Iupiter*, hoc est, Ieoua Pater, interius solans ita alloquitur,

Oetaas Spernite flammas,
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis (amoris) *ignes.* Met. 9.
Nec nisi Materna vulcanum parte potentem
Sentiet, æternum est a me, quod traxit, & expers
Atque immune necis, nullaque domabile flamma.
Idque ego defunctum terra, cælestibus oris
Accipiam.

Et infra Ib.

Interea quodcumque fuit populabile flamma
Mulciber abstulerat, nec cognoscenda remansit
Herculis effigies, nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Iouis vestigia seruat.
Vtque nouus serpens, posita cum pelle senecta,
Luxuriare solet, squammaque nitere recenti,
Sic vbi mortales Tyrinthius exuit artus,
Parte sui meliore viget, maiorque videri
Cæpit, & augusta fieri grauitate verendus.
Quem Pater omnipotens inter caua nubila raptum
Quadriiugo curru, rutilantibus intulit astris.
Sensit Atlas pondus.

O doctas fabulas! qua enim elegantia maiore, ab vllo Christiano homine, Christi mortalitas à Matre contracta. & per mortem igne amoris destructa, perque resurgentem omnino absorpta, atque immutata, explicari potuit? verùm ad alia nobis properandum.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Acta Apostolorum *eadem Iliade* Homeri, atque *Historijs de Troiano bello*, plenius contineri.

IAM vero Apostolica gesta in Actis contenta, eadem Ilias, & historiæ de Troiano bello quoque complectuntur. Nam præter Christi resurgentis, & cælum ascendentis mysteria proximè à nobis allata, Spiritus Sancti præterea descensum festo Pentecostes, per *Deum ignis Vulcanum* exhibent, *à Ioue*, seu Ieoua *Patre in terras deiectum, et in Synthies viros*, hoc est, congregatos discipulos *lapsum*. Per *Pyrrhum* item (qui est *ignis fluens* & *Achillis proles*, quod à Christo procedat) dictum *Neoptolemum*, quia cæso Achille *nouus* ad Solymam aduersus incredulos Iudæos *Bellator* aduenit. Eumdem per *flammam* rursus, atque *ignem sacrum* aptè significant, *Iuli, Ælij* Christiani *cuius Æneas*, hoc est Petrus *Parens*, *capillos*, & *comam innoxiè lambentem*, de quo Virgilius [Act. 2.] [Hom. in Hymn. Ap.]

Subitum, dictuque oritur mirabile monstrum, Aen. 2.
Namque manus inter, mæstorumque ora parentum,

Ecce

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci,
Nos pauidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & sacros restinguere fontibus ignes.

Quia plurimi Iudæorum hoc prodigio territi, & oratione Petri *ad* baptismi *fontes* cucurrerunt: quin & vehementem sonum tunc editum hoc modo declarat

Subitoque fragore
Intonuit læuum.

Ib. Quo quidem sacro igne Stephanus inflammatus, ad saxa & mortem audax prosilijt, quem *Protesilaum,* hoc est, primum Solymæum, subaudi, *martyrem* à πρῶτος & *salẽ* propterea docta fabula facit, qui *Hectoris manu,* (hoc est Pauli

Act.6. & 7. *ductoris* primò Iudæorum, deinde Christianorum, a græco ἄγω *ad* Troiam *Aeliam primus ceciderit*. Quòd verò idem Saulus nondum Christianus, cum Pharisæis Christianos vexaret, *Hectorem* ideo cum *Paride contra Achillæos in*

Il Rapf 6. Rap.2. *aciem profectum* fabulatur Homerus, eumdemque Paulum *Thersiten*, hoc est, *Tharsiten*, à Patria *Tharsi* appellatum, ob hoc grande crimen *deformem* depingit, & *Regibus,* hoc est, Christianis, regali oleo Christi delibutis, *semper aduersantem,* eidemque *Achilli* Christo, & *Vlyssi* Petro *inimicissimum*. Con-

Act.9. Il.Rap.22. uersionem porrò eius ad Christum, idem *Hector ab Achille cæsus* ob oculos ponit, quòd tunc mori Iudaismo, & viuere Christo incæperit, vbi *hasta* seu cruce *Achillis* Christi *transfixus est & humi deiectus*. *Raptatum* insuper

Ib. *ad Troiam eumdem, & equis alligatum* ferunt, eo quod Synagogæ mortuus, & Christo solummodo viuens (vt dictum) ad Aeliam sæpius quasi raptatus

Act.21.& 22. est, dum Templo extractus (vti Acta indicant) dum à militibus Romanis ex consessu Iudæorum *raptus, ne discerperetur*, dum ob vim populi ad arcem Solymæam portatus, & dum in hac Arce *ad equuleum* loris *alligatus*, qui tum propterea *admissos equos terruisse* fingitur, quod Tribuno, à quo iussus

Act.23. Quid. Ep. ad Penel. erat, equuleo torqueri, se ciuem Romanum professus, metum incusserit. Quæ quidem omnia, quod Christi gratia, tolerare deberet, iccircò *Achilles* dictus *eum raptauisse, equis alligasse*, sicut & *exanimum Priamo corpus vendidisse*, quod Iudæus à Præside Syriæ pretio impetrarit, vt idem (quamuis innocens

Act.24.& 27. sæpè declaratus) vinctus permaneret, & Romam captiuus dein abduceretur.

Act.21. Itaque in hac pugna, multis plagis acceptis, vti Acta testantur, *Hector* fortissimus Paulus,

Squallentem barbam, & concretos sanguine crines,
Aeneid.2. *Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros*
Accepit patrios.

multum sanè erat

Mutatus ab illo
Ib. *Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis.*

tunc cum *Achillæos*, id est Christianos, fortunis, *vita*, & nonnumquam fide *spoliaret*. At quoniam obstinata Iudæorum perfidia effectum est (vt & Acta innuunt) vt ab ipsis ad Gentiles Euangelium, & Ecclesia Christi transferretur, idque per Apostolos, in omnem mundi regionem dispersos, verum potissimè in Græciam, atque Italiam: idem quoque multis inuolucris fabulæ obtenderunt. *Iasonis* imprimis *nauigatione* celebri, vellus aureum cum so-

cijs

eijs Argonautis, quo *Aeson* (Asianus Iudæus) diues gloriabatur, in Græciam asportantis, nam per *Iasonem* Iesus, vti supra ostensum, per *socios*, Apostoli eius, per *nauim* seu *Argo*, Ecclesia Christi, per *vellus*, idem Agnus Aureus, tollens mundi peccatum, Christus signabatur, qui per illos suos Sacerdotes in Græciam erat aduehendus. Huc quoque altera *Aeneæ* Petri *nauigatio* spectat, *Anchisem Patrem humeris suis, ex Troia* Solyma *per tela per hostes*, puta Herodianos, & *Ilium* seu Aeliaca *sacra* & *penates* in Latium ferentis, vti supra ostensum, & copiosiùs infra monstrandum est, vbi nauigationem, & res eius in eodem Latio gestas prosequemur. Huc quoque omnium poetarum carminibus tritum & *insigne, Troianæ vrbis Palladium* refer, *per Vlissem* Petrum *eidem ereptum*, & *in Græciam aduectum*, quod alio nomine Aen. 2.

Signum penetrale Mineruæ

à Virgilio doctè appellatur, quia Eucharisticum arcanum & augustum *signum* siue *Sacramentum* Secundę Trinitatis Personæ Verbi exprimebat, quod quia *interpres Patris*, Mineruæ ab Ἑρμηνεύω nomen adinuenit, vti infra monstrandum. Huc quoque *Antenoris* Pauli appellati (ab ἀντὶ ἀνήρ, quod est *aduersarius homo* nempe Christianis) In Græciam vsque ad Illyrim profectio pertinet, de qua in Epistola ad Romanos idem gloriatur. de qua item Virgilius Rom. 15.
canit,

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus Aen. 1.
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui.
Hic tamen ille vrbem Pataui, sedesque locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia.

vbi per *Vrbem Pataui* Latinam Ecclesiam intellige, in qua *sedes Teucrorum*, hoc est, Sacerdotum, vti supra diximus. Nam *Pata* hebræum. vnde Patauium *latum* significat, vnde Latium & Latini profecti. *Latinæ* porrò *genti, nomen* Christianum a Paulo *inditum*, ibique *arma Troia*, Solymæa Crucis Christi insignia, firmissime *fixa* ad hanc diem manent. Quid, quod idem Pauli iter Act. 27. 28. atque etiam naufragium, ad Melitam Insulam cum socio Luca, in Actis, memoriæ traditum, per *Castoris* & *Pollucis* fabulam nobis præcinebant? *Castor* enim seu *Lucastor*, Lucas, & *Pollux* tantùm non Paulus, ijdem *fratres Helenæ*, Christi Diuinitatis, qui Apostolos fratres vocare debebat. *Lucida* modò in cælis *sidera*, atque vt *salutaria Numina* olim, antequam nati, a nautis tempestate iactatis *solita inuocari*, quod beneficio Sibyllæ veteres didicissent, *Polluci* Paulo, cuius frater Lucas, seu *Lucastor*, omnes nauis animas à Christo donandas, ne naufragio ad Melitam perirent. vnde non otiosè in ijsdem Actis, post naufragium factum, *nauim Alexandrinam*, qua cum Luca Paulus in Latium vectus, *insigni Castorum* Sacræ Litteræ notant, vt geminorum Castoris, & Pollucis originem fabulæ quasi suggererent, quorum *nauis Alexandrina*, hoc est, *homines seruans*, vt ex græco liquet. Hinc etiam ob Pauli *iter sæpe repetitum, Pollux ire & redire viam toties* dictus, nempe Solymæ in Græciam, & Græciæ Solymam, & *fratrem*, puta Christianum Romanum, *alterna morte* cum fratre Petro Romæ tolerata, quasi *redemisse*. Quam quidem Petri atque Pauli necem in Actis omissam, eadem Historia de Troiano bello, quamuis fabulosè, suo more supplet. dum Petrus *Vlysses* atque *Aiax* Paulus (ille quidem ὀδυσσεὺς hoc est, *canens Iesum* dictus, ab ᾠδὴ & Ἰησοῦς, hic Met. l. 13.
au-

autem *Aiax*, quasi *Ioacæus*, id est Christianus (à Christi auo Ioachimo) *pro armis Achillis*, siue cruce Christi auferenda, *decertant*. Illa quippe Arma, Vlysses impetrat, quia Romæ Petrus cruci affixus est, & ad eamdem non admissus Paulus, verus *Aiax*, siue Ioacæus, *gladio* Neronis, quia *sponte* pro Christo occumbere deberet, *incumbere* creditus: *ex eius cruore flos* etiam prodigio *enatus*, ad miraculũ lactis ex capite cæso manaturi quondam, alludebat, vnde Nazareni, hoc est, *floridi* Christiani quasi educarentur. Petri quoque mortem *Diomedes & Glaucus* arma commutantes, fabulosè exponunt, quia Christus *Diomedes* Sapientia Dei, & Petrus *Glaucus*, idest, Galilæus sua arma inuicem, ambo in cruce moriendo, quasi tradiderunt. Hinc etiam

Rap. 16. *Patroclus* (hoc est, Petrus clauiger, à πέτρος & κλεὶς clauem designante) *sub armis Achillis*, seu eadem cruce ab *Hectore* Nerone Duce Romanorum seu Imperatore *interfectus moritur*, *eiusque defuncti corpus myrmidones lauant*, atque *sepeliunt*, *myrmidones*, inquam, Achillis subditi, humiles Christiani, qui ob modestiam à græco (Μύρμηξ) formicæ vocati, quæ officiosa Christianorum

Rap. 18. studia, ergà sacrum Corpus aptè præsignabant. *Iacobi* deniquè *Alphæi* passionem & mortem, in Actis quoque prætermissam, per *Astyanactem de Troiana Arce præcipitem datum* nobis enuntiant. *Astyanax* enim *vrbis Regem*

Met. l. 13. sonat, ab ἄστυ & ἄναξ, quod Hierosolymæ Episcopus foret, vbi etiam ex arce Templi deturbatus, & præcipitio læsus interijt, quem alio nomine *Panthum* agnominant (quod *totus diuinus*) & *Othryadem*, hoc est, ex ὀρθοῖς, seu *rectis* parentibus *natum*, eò quod Christi consanguineus esset; & ob Solymæ Episcopatum, *Arcis Phœbique pium Sacerdotem*, vnde Virgilius

nec te tua plurima, Panthu,

Aen. 2. *Labentem pietas, nec Apollinis Infula texit.*

Igitur in Iliade liquet, & fabulis de Troiano bello, Acta Apostolorum inclusa. In quibus iccircò haud absque mysterio putem, vocabula *Aeneæ* & *Troiadis* quoque inueniri, atque illum quidem ibidem à *Petro sanari*: *huius* autem *vr-*

Act. 9. *bis inquilinum* ex alto ruentem & ruina collisum (quo Troiæ casus referri videtur) vita reddita demum *ad Paulum adduci*; vt mysticè forsan innuatur,

Act. 20. meritis horum Apostolorum, *Virgilij Aeneam* à fabulæ mendis & vitijs olim esse sanandum, & *Troiadis ciuem* seu Troianum hominem, iam pridem sua ruina extinctum, ad nouam historię atque veritatis lucem peruenturum, & sic ad Apostolos vtrumque *adducendum*, in quo laboramus.

C A P V T   X V I I.

Bellum Iudaicum cum supremo excidio Solymæ, à Iosepho historico relatum, ijsdem fabulis de *Ilio*, & *Troia* esse comprehensum.

HACTENVS Helena (Christi Diuinitas) à Paride (Pharisæo) crudeli morte (Iudæo) Menelao rapta, Diuinæ pulchritudinis suę pluribus argumentis, Troianos ad amorem sui frustra pellexerat, nempè resurgendo, Cęlos ascendendo, Spiritum Sanctum festo Pentecostes

costes inde emittendo, Apostolos, & discipulos suos mirè roborando, prodigijs, & signis multis honorando, & cultores sui Christianos vbique gentium latè propagando. quando ille raptus omnium sæculorum memoria infamis, *Italiam* & *Græciam*, cum alijs *federatis gentibus*, contra Aeliam (Ilium Poëtarum) armauit. propior belli causa, & quasi Erynnis, Iudæorum aduersus Romanos rebellio fuit, ob crudelitatem, atque peculatum Iudææ Præfecti, cui *Gessius Florus* nomen erat, *Gessii Flori* sæuũ dominatum, atque Tyrannidem subire coacti, qui *Iesum Floridum*, hoc est, *Nazaræum*, Regem respuerant. Rebellionem autem hanc Iudæorum, per *fœdus à Troianis ruptũ belli initium* Homerica Ilias diu antea signarat: Igitur vbi ad arma ventũ, & Romani Præsidiarij aduersus Iudæos confligere cęperunt, ancipiti, & vario Marte vtrimque pugnatum: puta, ob iratum Romanis Christum iuxta ac Solymæis. his quidem, ob raptum Helenæ, vti modo dictum: illis ob Ecclesiam suam non optimè ab eisdem acceptam, & Neronis scelera, qui præter cętera, Petrum, & Paulum Apostolos suos interfici curarat, atque durissimis supplicijs affectos Christianos necarat. Hos autem varios euentus belli, & alternantis fortunæ motus, atque vices, tota propè Iliade idem Homerus proponit, vbi tum *Troiani*, tum etiam *Græci* & *Argiui victores leguntur*. Hinc *Troilus*, *Sarpedon*, *Ilioneneus*, *Deiphobus cadit*, qui Troianos sua voce referunt. illinc *Tlepolemus*, qui Italum Bellatorem sonat, à *Sarpedone*, (hoc est, Saræ filio Iudæo) *iacet interemptus*. Nam Romanus ad extremum fractus sub Præside Cestio, ingenti clade suorum accepta, Solymæ obsidium soluere coactus est, vnde Virgilius

Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis.

Ductores enim *Danaum*, seu Iordanæorum, imperatores Romani exercitus vocat, quibus Iudæi, siue Iordanei ante rebellionem pacificè parebant. Idoneam verò cladis horum causam Homerus ex Sibylla profert, *Chryseidem filiam Chrysis*, qui Apollinis Sacerdos, *seruitia haud exire permissam*, nec non parentem eius *Chrysem in honoratum*, quamuis infinita *pretia liberationis filiæ*, ad Principes Argiuorum *afferret*, vnde Apollinis ira, & iaculis plurimi Græcorum fuerint interfecti. Hæc enim *Chryseis* Ecclesia Christi, vti nomen præfert, *Chrysis* Petri Christiani *filia* (is enim intonsi Apollinis Christi Nazaræi Supremus Sacerdos) hactenus ab Imperatoribus Romanis, quos *Titus* Agamennon refert, vti serua habita, cum Patre contempto, & inhonorato, tametsi ob filiæ libertatem, *infinita pretia*, Christiana bona, & diuina dona Apostolus Petrus Romanis *offerret*. Quod idem per *stragem multiplicem Græcorum*, dum bello Achilles abstinet Principibus iratus, Poeta descripsit: vnde illud vetus:

Delirant Reges, plectuntur Achiui.

Itaque Nero Imperator hac sui exercitus iactura commotus, cum adhuc in Achaia esset, Flauium Vespasianum, ingenti manu Græcorum collecta, vti supra dictum, in Syriam destinat: qui quidem ad Troiam Hellespontica exscendens, *de Græcorum nauibus ad Troiam* Asiæ Minoris *appulsis*, locum fabulæ dedit, *vt hanc euerterent*. Qui inde in Syriam terrestri itinere profectus, omnem Galilæam, atque Samariam, vsque ad Hierosolymæ ferè mœnia vi cepit, atque diripuit: vnde fabula quoque apud Ouidium pro *Nerone* Nereum substituens, & pro *Flauio* fluuium, Neptunum ad Troiæ muros

De bel. Iud. lib. 2. c. 13. 14. 15.

Rap. 4

Rap. 5.

Il. Rap. 1.

Rapſ. I. & II. parte maiore de Bell. Iud. lib. 4. c. 1.

Ib. l. 3. 4. & 5. c. 8.

omnia suis aquis vastantem inducit:

Metam.l.11 *Non impune feres, Rector maris, inquit, & omnes*
Inclinauit aquas ad auara littora Troiæ.
Inque freti formam terras conuertit, opesque
Abstulit agricolis, & fluctibus obruit agros.

Rapf. 20. 21. 22. Eamdemque terræ vastitatem describens Homerus, *in duas turmas Troianos partitur,* quorum *alios ad fluuium Xanthum*, seu Flauum Iordanem *persequatur Achilles,* apud quos *Lycaon,* Galilæus à λευκός, occumbit, *alij intra portas Vrbis, eiusdem metu se includant*. Galilæa porrò vniuersa in Romanorum potestatem redacta, ad Solymam quoque occupandam Vespasianus curas intenderat, cum consilium eius interueniens mors Neronis Cæsaris repentè discussit. Itaque relicta Iudæa, ne quid occasione huius interregni, Ægyptus moueret, Alexandriam Classe se recepit. Quem quidem discessum, *reditum simulatum Græcorum* Maro interpretatus, Alexandriam, De bel.Iud l.5.c.10.11 quia ad *Tanim via* (quasi ὁδὸς τανὶς, ex Aegypto in Syriam nempè profecturis) *Tenedon* Insulam vocat, iniquum sanè nautis portum:

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, diues opum, Priami dum Regna manebant,
Nunc tantùm sinus, & statio malefida Carinis.
Aen. 2. *Huc se prouecti deserto in littore condunt.*

Itaque Solymæi hostem abijsse rati, portis se effundunt:

Nos abijsse rati, & vento petijsse Mycenas,
Ib. *Ergò omnis longo soluit se Teucria luctu,*
Panduntur Portæ, iuuat ire, & Dorica castra,
Desertosque videre locos, littusque relictum.

De bel.Iud. l.5.c.7.9. l.6.c.1. Verùm sub id tempus Hierosolymam triplicis factionis discordia fœdè discerpserat, quæ Vrbem, Sionis arcem, et Templum dolo occuparat, Simonis, Zelotarum, et Idumæorum, qui non solùm mutuis, sed et ciuium cædibus, et rapinis, tota promiscue Vrbe grassabantur. quem quidem Simonem, per *dolosum Sinonem* fabula, Idumæos per *Idomeneum*, & falsos Zelotas, per *Dolonem*, et *Dolopas*, quasi dolosos, aut dolum facientes, aptè significat. sicut Aen.2. & per *geminos angues*, cum *Laocoonte spiris implicato, et paruulis natis, ad Tritonidis Arcem, et delubra summa euadentes, vbi sub pedibus Deæ, et Cly-* De bell. Iud.l. 5.c.7 *pei orbe tecti* permanserint, Zelotæ enim, vt Iosephus testis, vxorem Simonis (qui Hebraicè auditum significat, sicut Græce *Laocoon*, nempè auditū Aen.2. plebis, à λαὸς, & ἀκούω) comprehensam ad arcem tulerunt, et è suburbanis eius virum Simonem, in idem Templum alij induxerunt. Cur item idem *Laocoon Equum Troianum hasta percusserit*, idemque *Sinon illum intra* Aen.6. *mœnia recipi* suaserit, infra planum fiet. Hoc ciuile bellum rursum per *Helenam* vates *accensa face in Arcem Troianam Græcos aduocantem*, scite designarunt. Nam Diuinitas ad Aeliam læsa, ad eius obsidium hac face discordiæ intestinæ, non aliàs ausurum, Titum inuitauit. in qua *Deiphobus* Solymæus ciuis, *Deum*, seruiliter, *timens*, vt Iudæus, à *Menelao*, Simone, Zelotis, alijsque Iudæis, armis spoliatus, & miserrimè acceptus, *et toto corpore lacer*, et *mutilus*, apud Maronem querens inducitur:

Flammam media ipsa (Helena) *tenebat*
Ib. *Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.*

Et infra

Egre-

Egregia interea Coniux arma omnia tectis
Emouet, et fidum capiti subduxerat ensem,
Intra tecta vocat Menelaum, limina pandit.

Et supra,

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidi, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Hæc enim omnia sæuitiæ genera in Iudæos Iudæi intestino illo bello præstitere. Ergò Vespasianus post cædes Galbæ, & Othonis, in Cæsarem electus, vbi pacatum Romanæ Vrbis Imperium accepit, ad Solymam occupandam, Alexandriam Titum filium mittit, *Tidydem*, in fabulis vulgò nuncupatum. Hi sunt *gemmi Atridæ*, viri *sine pauore* (ab *α* priuatiuo, & *τρέω*) quos ad Troiam Principes, & *intrepidè pugnantes*, in ijsdem doctis fabulis agnoscimus. quibus si *Menelaum* (Lunarem Iudæum) rabie, & furore *impauidum* adiunxeris, *Atridæ* illi celebrati *tergemini* existent. Tito igitur Alexandria seu Tenedo ad Solymæ obsidium ascendente,

Iam Arigua Phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo,
Littora nota petens.

Idemque ad Troiam Solymæam adueniens Titus, seu Tidydes, *tres turres ligneas* (vt Iosephi verbis vtar) *quinquagenum cubitorum constitui præcepit, vt his per aggeres singulos positis, hinc hostes in muro stantes, faciliùs in fugam verteret*. Quæ machina triplex, per *equum Troianum* omnium Poetarum mendacijs insignem, vulgò descripta est, qua quia *Troianis muris* potitus est, per *armatos* milites, quos *vtero ferebat*, ideò *illam Troiæ mœnia ascendisse* referunt, et ab ipsis Troianis in *Vrbem inductam*, quod ciuium scelera diuinitùs mulctanda, hanc machinam, & molem Titi meruerint, quæ ipsis *fatalis*, cum fatum, seu mortem cum supremo Vrbis excidio, tulerit. Vnde *Diuinæ Palladis arte fabrefactam*, etiã prodidere, & ab *Sinone* (doloso Simone) eius *claustra laxata*, vt vrbem inclusi armati inuaderent. eius enim seditio ciues quodammodò prodidit. Hanc verò molem *equum* nominarunt, vel quod *Turris hippica*, quæ equinam sonat, ab *ἵππος* equo, in Solymæ muris visceretur, cui adæquandæ, atque superandæ, hæc machina lignea Titi constructa est, vel quod *Turris*, militaris Romanorum machina, soleret aduersus ignes, et faces missiles, pilis et pellibus madefactis tegi, ideòque instar equi, machina illa Troiana, siue Solymæa, pilosa appareret. Vnde etiam liquet, cur à *Laocoonte* (qui populu Simonis) *hic Equus* apud Virgilium, *hasta impetatur*, atque *violetur*, alijque *præcipitandum*, aut *flāmis vrendum* sapienter sentiant, quia hæc omnia Solymæi frustra conati sunt, authore Iosepho, qui eodem bello militabat. Quid, quod et *demissi funis, ex equo illo Troiano* ad vrbem capiendam, idem Virgilius meminit? Nam Iosephus ait, *perfectis illis* turribus siue *operibus, plumbo & lino ab aggeribus iacto, fabros, quod erat ad murum spatium, esse dimensos*. Quod autem ad hoc opus, seu Troianum equum euertendum & labefactandum, vti modo dictum, Solimæi tum ciues, tum seditiosi quotidie erumperent, visum præterea, circum Hierosolymam, murum extruere, qui intra vrbis angustias ciues coerceret. Quod quidem opus, olim Christus his verbis clarè prędixerat; L.6.c.13.

Luc. 19. *Venient dies in te, Hierusalem, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique.* Homerus item à Sibylla doctus, non solum hunc murum, sed & Turres Titi spectandas proponit:

fortes Achiui murum extruxerunt,
Il Rap. 7. *Turresque altas .....*
Dij verò apud Iouem sedentes fulminatorem,
Cum admiratione spectabant magnum opus.

L. 6. c. 16. & 7. c. 7; 8. Itaque compressi oppidani, qui extra mænia frequentes antea pabulatum ibant, vehementiùs fame premi cæperunt, adeo vt mulier quædam, carnes sui infantis, adacta fame & rabie vorarit. quod quidem Ouidius sub persona Met. 8. *impij Brisicthonis*, hoc est, *viri in terra Sion Bellatoris*, ab ἐρις & χθων vocabulo conflato, describere videtur, qui fame vrgente sua membra consumpsit:

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Cæpit, & infelix minuendo corpus alebat.

Virgilius autem hanc famem & facinus, fabulosa *persona Amazonum* inuo- Aen. 1. luit, hoc est, mulierum sine *mamma*, ab α & μάζος, pro Troia bellantium, quia infantes occidendo, deinceps lactare nolebant, aut prę inedia nimia haud poterant, vnde etiam illis ad eamdem mammam *cingula adhibuit*. harum autem princeps P*enthesilea* fingitur, quæ est, *multitudo Pentecostes* festum colentium, a πέντε & λαος. quibus *peltas lunatas* pro armis assignat, quia lunari Paschatis atque Pentecostes ad Troiam Solymam festo aduenerant, de his enim Maro

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Ib. *Penthesilea fureans, medijsque in millibus ardet,*
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ.

Hac fame plurimi prouocati, Romanis vltrò se dedebant. verùm vt omni parte miseri essent, quos iustitia Diuina ob facinora sæua persequebatur, *totis* Romanorum *castris* (vt ait Iosephus) *fama percrebuit, quod auro trasfugæ pleni* L. 6. c. 15. *venirent. Arabum autem multitudo & Syri, scissis ventribus supplicum, aurum inuestigabant. Et hac ego clade nullam credo sæuiorem contigisse Iudæis. vna denique nocte duorum millium patefacta sunt viscera.* hactenus Iosephus. sed hanc calamitatem per *Polydori casum* vates prædixerant. Polydorus enim est, *multa dona habens*, nimirum ventre occultata (à πολύ & δῶρον) quem à Patre Priamo, cum auro plurimo, furtim apud Thraces ferunt custoditum, atque desperata ciuitate Troiæ, a Polymestore Rege, auri potiundi causa, *obtruncatum*. In quo pro *Arabibus* & *Syris*, Troiæ Hellesponticæ vicini *Thraces* supponuntur Polydori homicidæ. Forsan etiam pro *thorace* ventris, in quo aurum seruatum, cognatum *Thracis* vocabulum statuerint, Sibyllæ sensum malè assecuti. Cæterum cum dicat Iosephus, hoc à *Syris* nefas perpetratum, eodem fabula alludit, cum P*olymestorem* facti profert authorem. Nam apud Armenios Syros, a *Polymij* Regis fratre S. Bartholomæus paullò ante tempus Solymææ cladis, excoriatus traditur. quo fit, vt apud Syros *Polymestor* ille fabulosus, in *Polymio* Syro verè inueniatur. De Polydoro autem Virgilius sic canit:

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno,
Infelix Priamus, furtim mandarat alendum
Aen 3. *Threicio Regi, cum iam diffideret armis*

Dar-

Dardaniæ, cingique vrbem obsidione videret.
Ille, vt opes fractæ Teuerum, & fortuna recessit,
Res Agamennonias, victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Quamquã in his tãtis miserijs, *Hecuba* Iudæi Polydori mater (hoc est, Iudaica natio, *procul* à patria Solymæa *viuens*, puta in exilio, ab ἐκὰς & βίος) id in morte filij, exiguum solatium ceperit, quod eius homicidæ, quasi *luminibus priuati* sint, dum tantum facinus lucem fugientes, in tenebris & nocte, patrare cogũtur, ob edictũ Cesaris capitalẽ pœnã authoribus piè sancietis. de quo sic Iosephus: *Id, quod cũ pœna interdixerat Cæsar, occultè in profugos admittebatur. Et siquis transfugisset, circumspectantes ante, nequis Romanorum videret, eos scindebant, & ex visceribus quæstum nefarium trahebant.* cur autem *Hecubam in canem conuertant*, infra monstrandum est. Sequitur nunc *vrbis direpio, ob intromissum fatalem equum*, hoc est, machinarum, seu Turrium armatos, quam tamen *Templi occupatio, & conflagratio* præcessit. Quod enim portis eius ignes inijci, Titus præceperit, de Hectore orta fabula est, ex Ναὸς æquiuoco nomine in Sibylla lecto (*qui Hector* Ducem, seu Imperatorem exercitus, ab ἄγω duco, vocabulo exprimit) *in naues Græcorum ignes iaculante*, per Ναὸς enim non solùm *nauem*, sed etiam *Templũ* Græci significant. vnde apud Virgilium *Hector* memoratur, *Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes*. cum *Templo*, non *Puppi*, dicere debuisset, nisi fortè de Templi *nauibus*, siue porticibus Sibyllam locutam credamus. Acrem autem Troianorum, atque Argiuorum circa Templum pugnam, per *prælium ad naues commissum*, eleganter Homerus in Iliade exponit, vti *ignes subiectos*. Et quia conflagratio vniuersi Templi Solymęi, fatalibus quibusdam, et occultis caūsis euenerat, vt narrat Iosephus; huic explicandæ per naues Gręcorum, inuocationem Musarum præmisit,

Met. 13. Lib. 6. c. 15. Aen. 2. Rap. 15. & 16. Lib. 7. c. 9. & 19.

Dicite nunc Musæ cœlestes domos habitantes,
Quomodò iam primò ignis incidit nauibus Achiuorum.

Et infra:

Hi iniecerunt irrequietam ignem
Naui veloci, per hunc autem statim inextinguibilis flamma
Diffusa est.

Templo occupato, et flammis correpto, plurimi omnis sexus, ętatis, et ordinis homines, qui ad Asylum isthuc confugerant, ibi periere: nam idem Iosephus, *Cum Templum* (inquit) *incenderetur, cædes erat infinita deprehensorum. Nec actæ fuit ætatis miseratio, aut reuerentia castitatis, sed & pueri, & senes, & sacri, & Profani similiter interficiebantur.* Et supra. *Vbicumque occupati fuerant, interficiebantur. & circum aram quidem ingens mortuorum numerus congregabatur: per gradus verò Templi, & sanguis multus profluebat, & eorum corpora, qui supra ceciderant, delabebantur.*

Cap. 11. Cap. 10.

Meritò itaque Virgilius eadem fabulosè describens.

Interea ad Templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis. Aen. 1.

Diuo

Diua solo fixos oculos auersa tenebat.

Item Aen. 2.

Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, & Religiosa Deorum
Limina,

Aen. 1. Et de *Priami*, (hoc est Iudęi redempti) ad aram Templi interitu, Aeneas apud eumdem Didoni refert:

Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat, ignes.

L. 7. c. 19. Rursum ob Sacerdotum cœdem à Tito Cęsare imperatam, vt Iosephus refert, idem Virgilius ait:

Aen. 2. *Tydidem cæsis summæ custodibus arcis,*
Fatale aggressum sacrato auellere Templo
Palladium.

Ad eamdem Sacerdotum necem referenda, quę de *Paridis*, hoc est, Pharisęi morte commemorant, cum Pharisæorum plurimi Sacerdotes essent. cui quidem *ob Helenæ raptum* Parricidę, immo Deicidę, ita imprecantur:

felicior illa (dextra)
Quæ cædis, scelerumque faces, bellique Tyrannum
Dares de bell. Troia. lib. 6. *Abstulit, et mæchos dedit ire in Tartara manes,*
Vade nocens, quò noxa trahit, te sexta meretur
Tœnariæ spelunca domus &c.

Templo iam incenso atque occupato, quod in alto situm, Vrbis possessio erat in procliui. quæ quidem, eò quod primo excidio sui, sub Sedecia à Babylonijs nocte intercepta, propterea noctis Virgilius in supremo quoque eius casu meminit:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrimis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Vrbs sanè *antiqua*, quæ sub Melchisedech Rege Salem staret, cuius *dominatus* sub Dauide, Salomone, cæterisque Regibus diu tenuisset. *Decennalem* porrò hostium *moram* ad eadem mœnia, vel ob plusquam *decem eius obsidia*, vel propter *decimam diem* Augusti mensis, qua bis Templum Solymæ incendio Lib. 7. c. 9. perijt, vel per cumulatam eius obsidionem, sub Babylonio & Romano Principe, quando bis excisa, recte interpreteris. Quod autem de *Memnone* referunt *Auroræ filio*, cum Troianis suppetias ferret, ab Achille cæso, de innumeris aduenis, qui ex regno Persidis, Babiloniæ, totoque Oriente ad Paschalia festa Hierosolimam affluxerant, & teste Iosepho, in eadem vrbe, quasi in communis Iudææ carcere clausi periere, id intelligendum. *Memnon* enim *memorem* significat, à μέμνημαι, recordor, quod festorum Solymę *immemores* Iudæi non essent. *Memnonis* verò *exanimum corpus ad Troiam combustum*, Solimę Vrbis conflagrationē etiam figurabat, quæ fuerit eius quasi bustum. Et quia Iudęorum posteri, post casum Solymæ, quotannis eodem redibant, atque vndique aduolabant, eamdem lucturi, de *Memnonijs auibus* locum id poëtico mendacio fecit, quæ *Memnonem Patrem* ibi demortuum, & combustum, quotannis deplorantes,

Redeunt, mulcentque parentem
Annua Memnonio pacta solemnia busto.

Quin

Quia iuxta Ouidium in duas turmas diuisæ, mutua cæde ad idem sepulchrum annuatim parentant,

Inferiæque cadunt cineri cognata sepulchro
Corpora, seque viro forti meminere creatas;
Præpetibus subitis nomen facit auctor, ab illo
Memnonides dictæ, cum sol duodena peregit
Signa, parentali moritura morte rebellant;

Quibus ingeniosè posteri Iudæorum notantur, qui pro Solyma rursus vendicanda, aduersus Romanos Iudææ dominos, toties rebellarunt, & sanguinem fuderunt, quo factum est, vt sub *Aelio Adriano Cæsare*, nomen *Solymæ* in *Aeliam* fuerit commutandum, vt cum vrbe nominis memoria vna interiret. Itaque per Solymæ casum rite fabula commenta est, *Polyxenam* multitudinem hospitum, seu peregrinorum, qui non solùm ab Aurora ad Paschatis festa atque Pentecostes, sed etiam vndique, & ex omni orbis regione venerant, *Achillis tumulo*, Christi Domini Sepulchro, quod gloriosè & religiosè isthic colebatur, tanquam inferias quasdam *immolatam*: de quo apud Ouidium Achilles sic præcipit: Met. 13.

Vsque meum non sit sine honore sepulchrum, L. 7. c. 17.
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Nam iuxta Iosephum, cum tunc in hac vrbe *vicies centena ac septingenta capitum millia censa essent* per sacrificia, *magna hæc multitudo* potissimè *ab extraneis erat congregata*. Quasnam igitur Hecatombas cum hac Polyxenæ hostia comparemus? Neque minus eleganter id exitium Troiæ, prodigio *Serpentis ad nidum volucris in Arbore lapsi, aut repentis, atque primùm pullos, nouissimè* autem *matrem deuorantis*, vates explicarunt, qui *serpens* deinde *in saxum versus permanserit*, iuxta illud Ouidij

Ille vt erat virides amplexus in arbore ramos
Fit lapis, & seruat serpentis imagine saxum.

Nam per Serpentem in Arborem exaltatum a Moyse, Christus adumbratur, *qui primùm pullos*, hoc est, Galilææ & Samariæ Iudæos *consumpserit*, tum *Solymam eorum matrem* circumuolitatem quoque *rapuerit, atque vorauerit*, qui quidem *serpens* propterea dicitur *in saxum mutatus*, quod in saxeum tumulum ab arbore crucis Christus translatus est. Porrò victor Romanus vti nec incolis, ciuibusque pepercit, sic nec vlla erga ciuitatis mœnia lenitate vsus est. Eam enim pariter cum Templo incensam (si ternas Turres excipias) vniuersam deleuit, nullo vrbis deinceps vestigio manente, vt verè de ea Poëtæ cecinerint, L. 7. c. 18.

Iam seges est, vbi Troia fuit, resecandaque falce Ou. Ep. Pē.
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curuis feriuntur aratris
Ossa, Ruinosas occulit herba domos.

Quamquam non sub Tito, sed sub Iuliano Cęsare demum, dum eam rursus studet instaurare, vrbis fundamenta quodam terræ motu, & subterraneo etiã incendio ita conuulsa sint, vt iuxta Christi Prophetiam super lapide lapis nullus remanserit: quam sanè ruinam illo versu Maro, etsi nesciens, certissimè prędixit:

Hic vbi disiectas moles, auulsaque saxis
Saxa vides, mistoque vndantem puluere fumum,

Neptu-

Aen. 2. *Neptunus muros, magnoque emota Tridenti*
Fundamenta quatit, totamque à sedibus Vrbem
Eruit.

Quod quidem *Neptuno*, hoc est, Deo conditori, verè tribuitur, eo quod diuinis non humanis viribus Ælia destructa est, & funditus euersa; tametsi *Neptuni* Spiritus Sancti instinctu (vti supra dictum) sub Nehemia denuo surrexisset. Quid iam memorem prædas de eadem Solyma incensa raptas, & abductas? de quibus Iosephus scriptor consulendus; & quarum Virgilius hos custodes adhibet: (L. 7. c. 15. & 24.)

Aen. 2. *Custodes lecti Phoenix & dirus Vlysses*
Prædam asseruabant; huc vndique Troia Gaza
Incensis erepta adytis, mensæque Deorum,
Crateresque auro solidi, captiuaque vestis
Congeritur.

Phœnix quidem *prædæ custos lectus*, quia Phœnices cum Vespasiano ad Iudæam omnem expugnandam socia arma iunxerant; de *Vlysse* autem infra declarandum. (L. 3. c. 8.) Per *adyta* verò *Templum*, Sanctum Sanctorum, cæteraque veneranda loca, vnde præda rapta, clare designantur, de qua sic Iosephus Virgilio consonans: *Sacerdotum vnus tradit Cæsari mensas, & crateras, & pateras ex auro solido, & grauissimo facta.* (L. 7. c. 15.) Vestem verò captiuam in hunc modum recenset: *Tradit etiam vela, pontificum indumenta, cum gemnis*, & infra: *Quin etiam Phineas comprehensus, vestes & cingula Sacerdotum ostendit, multamque purpuram & coccum, quæ ad vsum reposita catapetasmatis seruabantur.* Et de Solymæ Spolijs in triumpho Titi Romam importatis: *Eminebant ea, quæ apud Hierusalem in templo reperta sunt; mensa aurea ponderis talenti magni &c. post hæc autem portabatur lex Iudæorum, nouissima spoliorum.* Sed quidnam, inquies, Iudaici Populi reliquijs actum, quibus pestis, fames, ignis, & gladius fortè pepercerant? pars in seruitutem potissima abducta, atque venumdata; pars liberè, quo vellet, abire permissa; pars non modica etiam ludis, & theatris, & triumpho Cæsarum reseruata perijt, vt author Iosephus, (C. 14. 16. 24.) qui quidem mortuos & captiuos bello Iudaico & Solymæ obsidio ita enumerat: *Captiuorum omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus, mortuorum verò per omne tempus obsidionis, vndecies centena millia.* Qui quidem ad Aeliam captiui aut mortui, multiplicia atque illustria Tragædis antiquis pro sua quidlibet potestate fingendi, argumenta donarunt, qui verisimilitudinem sæpiùs, quam verum sequuntur. Meritò igitur apud Ouidium captiuæ Troiades supremùm Troiæ ita valedicunt:

Troia vale, rapimur (clamant) dant oscula terræ
Troiades, & patria fumantia tecta relinquunt,
Vltima conscendit classem (miserabile visu!)
In medijs Hecube natorum inuenta sepulchris.
Met. l. 13. *Prensantem tumulos, atque ossibus oscula dantem,*
Dulichiæ traxere manus.

Sed per *oscula data terræ Troianæ*, ad Sanctitatem soli Solymæi clare alluditur, quam osculis atque prensatione tumulorum & rerum sacrarum peregrini post Solymam euersam erant testaturi. Sed quoniam illud excidium, & hebrææ gentis abductio, Iudæis postmodum totum orbem refersit, ideo Dares

Phry-

Phrygius de Ælia Solyma non ineptè canit:

sic Ilios vnica, damno
Vbere regna, vrbes populis & gentibus implet.

Quod quomodo ad Troiam minoris Asiæ referri possit, nullo modo video, ad maioris Asiæ, etiam cæcis liquet. Quid, quod ad extremum, *Sacerdotium Iudæis ablatum*, & *Ecclesiam Christi*, atque *Prophetiam*, per hoc excidium vates præsignarunt? de *Sacerdotio* quidem, & *Ecclesia Christi* non vno modo supra ostensum est: per *cæsos sacræ arcis custodes*, & *Palladium ereptum*, per *Vellus aureum Aesoni* (Asiano Iudæo) *ab Iasone* (IESV) & *socijs* Apostolis *Argonautis ademptum*, per *Anchisem, cum sacris, & Dijs Penatibus, in Latiū ex Aelia asportatum*, demum per *Hesionem*, quæ à *Iesu* quoque nomen traxit, *Troianis ereptam, & Telamoni ab Hercule concessam*, vti satis patuit. De *prophetia* modò *apud Hebræos* olim *extinguenda*, Poetæ per *Cygnum* Neptuni filium, *ab Achille ad eamdem Troiam* quoque *interemptum*, scitè prędixere. Nam *prophetam* Cygnus adumbrabat, quem fabulantur moriturum canere, eò quòd in cana senecta Patriarchæ, & Prophetæ præcipua ante mortem oracula funderent, vti de Moyse, Iacob, alijsque complurimis legitur. Vnde & Poëtæ Prophetarum nomen ambientes, se vulgò *Cygnos* & *Olores* vocant: 16.de bell. Met.l.12.

Vare tuum nomen (superet modo Mantua nobis) Virg.Ecl.9
Cantantes sublime ferent ad sidera Cygni.

Cygnus autem Neptuni filius, siue Pneptuni, id est, Spiritus Sancti (à Πνέω spiro) quod prophetas faciat, per eos, tanquam organa quædam, *spirando*, & loquendo. At cur Cygnus, inquies, *nulli* telo *peruium corpus gerens* fingitur? eo quod Prophetæ, tametsi varijs supplicijs affecti, & necati, in Iudaica gente numquam defecerint, donec *Achilles Cygni guttur elisit*, hoc est, Hebræorum Prophetarum guttura & ora Christus, post Solymæ supremum excidium obstruxit. Superest vt dicamus, *Hecubam*, quæ Priami coniux, *in canem icirco conuersam*, quod Iudaica natio saxei sui cultri circumcisionis improperio, vt lapide, petita, id saxum, seu Saxeum cultrum, tamquam calumniam, in sese coniectum, vt canis admordeat, hoc est, mordicus semper retineat, omnium quoque gentium sectas allatrando. Hoc igitur fuit Troianæ, siue Solymææ Vrbis exitium, hoc Iudaicæ gentis durissimum fatum, de quo Ouidius, sub persona Hecubæ, quamuis hyperbolicῶς audet affirmare, quòd Met.12.

Illius fortuna Deos quoque mouerit omnes,
Sic omnes, vt & ipsa Iouis coniuxque, sororque
Euentus Hecubam meruisse negauerit illos. Ib.

CAPVT XVIII.

Aeneide seu *nauigatione Aeneæ*, Cathedram Antiochenam, nec non iter Petri in Latium & Romam, clarissimè prædici.

Postquam res Asiæ, Priamique euertere gentem
Promeritam visum superis, ceciditque superba

  *Aelia*

Aen.3. *Aelia,& omnis humo fumat Neptunia Troia,*
Diuersa exilia, & diuersas quærere terras
Iudei coguntur. At *Aeneas* Petrus, non quidem post supremum excidium Troiæ sub Romano, sed post primum sub Chaldæo, vtque Poëtæ ingeniosè finxerũt, *inter medias flammas*, seu duplex vrbis incendium, *Parentem asportat*, & ex Aelia in Latium tendit, vt alteram spiritalem Solymam, siue Hierusalem (Ecclesiam Christi) Romæ instauraret. Hinc fabula multiplex *Aeneã ad Tyberim Troiam* ciuitatem *condidisse* narrat, ob Ecclesiam Romanam, *Hierusalem* mysticè appellatam. Encomia autem, quibus suum Aeneam noster Maro afficit, Apostolum Petrum natiuè depingunt. Illum enim fere
Aen. 1. *Patrem* nominat, qui est græcis Πάππας, *Regem Teuerorum*, hoc est, sacerdotum, a ταυ atque κέρος, vti explicatum, *os humerosque Deo similem, magnanimum*,

Quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & Armis,

Ib. *bello* spiritali, atque *armis* Christianæ gratiæ. illi etiam *ab Ioue summo genus* attribuit, eò quod Christianorum Pater esset, qui ex Deo, seu Ieoua Patre, per fidem nascuntur, *Anchisæ* item & *Veneris filium* (Christi Anchonitani
Aen.6. seu Anchonam cum matre Virgine, & sponsa translati, & Veneris Mariæ à veniendo (nempe in Latium) ita nuncupatæ, quæ & *Cytherea*, quasi *Ioacytherea* à Parente Ioachim, & *Coa Venus* ab eodem nomine appellata, quam pictor *Apelles*, hoc est, suus idem pater Apella Iudæus, ad miraculum formosam, & omnium fæminarum pulchritudine amplè cumulatam, gignendo *depinxit*. Quæ etiam *Mater Dei Cupidinis*, Christi summopere amandi, qui diuinæ suæ charitatis iaculis, atque arcu crucis, immortales iuxtà, ac mortales ferit, cuique nemo resistit, hæc (inquam) *Cupidinis mater*, Spiritalis quoque *Aeneæ* Petri, vti omnium Christianorum, Parens nominatur. Vnde Virgilius

Tu ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad Vndam?

Aen.1. ad *mare* nempe Gallileæ, seu littus Iordanis, vbi Petrus vocatus, Christianus, seu Christi filius, & per consequens Mariæ, fide esse cæpit. quonam autem pacto è Solyma Troia *Aeneas egressus*, nunc aperiendum. Cæso ab Herode
Act.12. Apostolo Iacobo, Petrus etiam custodiæ traditur, vti Acta indicant, ad supplicium post Azimoru m dies producendus, ope Angelica è carcere euadit, & Christianis primum Solymęis nuntiato egressu, ad Tyrios atque Sidonios, Antiochiam versùs, vbi Cathedram fixerat, statim se recipit. Quamobrem *Tyrijs atque Sidonijs iratus*, in ijsdem Actis, non aliam ob causam Herodes legitur (vt interpretes volunt) quam quod honorifico hospitio Petrum accepissent. Quæ quidem Apostolorum dira persecutio, per *tempestatem Iunonis opera excitatam, aduersus Aeneæ classem* luculenter descripta est. In qua
Aen.1. *vnus Orontes* (Apostolus Iacobus, quod diuinitatem Christi cum duobus alijs in monte vidisset, Ορῶν θεόν, seu *Orontes* belle nominatus) gladio *perierit, cæteris Socijs* Apostolis *disiectis*, & in totum mundi orbem diuisis, *qua* Spiritus Sancti, seu *Aeoli ventus*, & inspiratio *eos impulisset*. *Hac* igitur Herodiana *procella iactatus Aeneas, Didonem suam* Ecclesiam & Cathedram Antioche-
Ib. nam, custodia diuinitus ereptus inuisit. quæ *Dido* vocata, id est, *sponsa* siue *data nuptum*, nempe summo Christi Vicario Apostolo, *Regina*, puta Ecclesia-

rum,& *Elisa* ab Aelia Solyma, vnde processerat, & *Sidonia* ob Sidonios subditos, & *Tyriis imperans* ob Tyrios,& *Phænissa* ob Phenices, eiusque Regna Punica ob eosdem Phænices, apud quos *Vrbs Agenoris* (Antiochia) visitur, *Vrbs Patris omnium* Christianorum, ob Cathedram Petri ibi, collocatam, vti vocabulum *Agenoris* indicat. de quibus ad Aeneam Venus:

Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbem,
Sed fines Lybici (libanij) genus intractabile bello. Aen. 1.
Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens.

fines enim *lybicos*, pro *libanijs* posuit, quod Tyrijs Libani montes immineant, non autem Lybici, qui sunt Africæ populi. *Galilæos* autem, quorum rum Tyrus Metropolis, *Gentem bellatricem*, & genus intractabile bello, Iosephus cum Marone facit. Ad *Lybicos* enim atque *Carthaginem Aeneæ aberrationem* Macrobius *fictam* esse docet, neque apud Vllum historicum inueniri. *Dido* autem *Tyria vrbe profecta* hic dicitur, id est, à Galilęa, eò quòd plerique Apostoli Galilæi essent. *Germanus* verò *Pygmalion*, *auri cæcus amore*, & *scelere ante alios omnes immanior*, Iudæus esse apparet, qui ob auaritiam non solùm malè semper audit; sed etiam *ob occisum fratrem Sichæum*, Christum, de *Terra Sionis, priorem* dignitate *Didonis sponsum*, et maritum, vt denarijs pro eo prodendo pactis potiretur. *Qui* quidem *Sichæus*, post mortem resurgens, *Didoni*, hoc est, Ecclesiæ sponsæ apparuit. Aen. 1. Ib.

Traiectaque pectora ferro, ferri lancea,
Nudauit, cæcumque domus scelus omne retexit.

Dein sequitur

Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet,

Nempè Hierosolyma, Cathedram Petri, *Didonem*,

Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros

Sed spirituales, siue gratiæ suæ, & ideò mortalibus

Ignotum argenti pondus, & auri,

Quibus Ecclesia suos Christianos interiùs ditat. ad Hanc igitur *Didonem Aeneas*, non sine tamen prodigio, *aduenit, per tela, per hostes*, puta, Herodianos custodes, Angelo suo tutelari Duce ac comite, qui *Achates* ab ἄχος *cura*, quasi *curam habens* hominis sibi commissi, verè et Christianè, etiam à Gentili Poeta appellatur. Et quia per custodias militum ambo gradientes, à nemine conspecti, iccircò eos Virgilius ad Didonem euntes, *nube circumdedit*, idque *Veneris matris cura, ac opera*, quia D. Virginis adhuc superstitis precibus præcipuè, hoc mortis periculum Petrus euaserat, cum *ab Ecclesia pro eo* captiuo *sine intermissione* foret *supplicatum*. Vnde Virgilius Aen. 1. Act. 12.

At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset. Ib.

Vnde postmodum Aeneas

Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris, neque cernitur vlli,

Vt verè dixerit

 In-

Aen.2. *Inter, & hostes*
Expedior, dant tela locum.
Aen.1. Vbi verò in tuto locatus est,
Prior Aeneam compellat Achates,
Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides:

Act.12. Proficiscitur inde ad Ioannis ædes, vbi multitudo fidelium orans, erat congregata,
Cunctisque repente
Improuisus, ait, coram, quem quæritis, adsum.

b. Aen.12 Neque diu Hierosolymæ moratus, in *alium locum* statim se contulit, *ad Tyrios* nempè, & *Sidonios*, & caram Didonem. Nam de Sidonijs Maro quoque (vti Acta) testatur:
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patrijs, noua regna petentem.

Cui & ille locus Virgilij consentit:
Cessi, & sublato montem genitore petiui.

Montem nempè *Libani*, versus Tyrum, & Sidonem, & Antiochiam. sed antequam eum *hospitio Dido recipiat*, libet obseruare, rectè per *augurium duodecim Cygnorum ab Aquila primò vexatorum, deinde ereptorum*, & *in choro* quodam *canentium*, *Aeneæ incolumitatem sociorum* afferi. eò quod eo numero *Cygni*, *bis Senos* Apostolos repræsentant, cum tunc, vel mortuo Iacobo, totidem superessent. sicut & *eorum in choro cantus*, cœtum primitiuæ Ecclesiæ psallentis, atque prophetantis. Sed & quærere iuuat, *quid è Troia* Solyma *Aeneas* noster Petrus *exportarit*? De *Patre Anchise*, de *Sacris*, atque *Penatibus* supra explicatum. Sed *Vittas*, *Vestam*, & *Aeternum Ignem*, Virgilius adiunxit:
Vittas, Vestamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Aen.1. *Vittæ* igitur tempporibus circum collocari solitæ, Pontificum, & Episcoporum sacrificantium *Mitras* significant, *Vesta* verò, quæ græcæ Εστία, ab ἔδω, comedo, Eucharisticum *cibum*, in quo *potens* homo, atque Deus, Christus cõtinetur. at *æternus ignis*, iuge Altarium lumen, quod ante *Vestam*, seu Eucharistiam perpetuò accenditur, vnde Vestalium, ex Sibyllæ libris perperam intellectis, apud Romanos superstitio fluxit. *Reliquias* quoque sacrosanctas Christi è Solyma secum *extulisse Aeneam* Petrum, hoc versu indicatur:
Munera præterea Iliacis erepta ruinis,
Aen.1. *Ferre iubet, pallam signis, auroque rigentem*, &c.
Ornatus Helenæ.

Pontificum insignia *Sceptrum præterea*, siue Pedum, & supremi Põtificis *Tiaram*, per plusquam simplicem, seu
Duplicem gemmis, auroque coronam.

At *Æneæ comites*, ad suam Didonem, vel in Latium tendentis, Virgilio teste, *multi accessere*:
Atque hic ingentem comitum affluxisse nouorum
Inuenio admirans numerum, matresque, virosque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus,
Vndique conuenere, animis, opibusque parati,

In

In quascumque velim pelago deducere terras,

Nam Apostoli (Teste D. Paulo) *Mulieres* Christianas, seu *Sorores circumducere* solebant, quæ ipsis, quæ erant opus, ministrarent: Quos autem traditio comites Petro Æneæ donat, vt *Marcum, Apollinarem, Rufum, Martialem,* ceterosque, hos Poetæ per *Ilum,* & *Solemum* generatim designant, aut quod *Solymæi*, aut ex *Aelide* terra, seu Iudæa essent. Vnde apud Maronem.

Dextra se paruus Iulus
Implicuit, sequiturque Patrem non passibus æquis. Ib.

Quis enim supremum illũ Ecclesiæ *Parentem* ex filijs eius Christianis *æquaret*, parique cum eo passu contenderet? De *Solemo* autem Ouidius in Fastis

Attulit Aeneas in loca nostra Deos.
Huius erat Solemus Phrygia comes vnus ab Ida,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent. Fast. 5.

Age verò, *quo studio Aeneam exceperit Dido*, videamus. quamquam non primus, verùm nouissimus fuerit ad eam aduentus, cum carcere Herodis Petrus elapsus est: nam septennium ante sponsa Aeneæ effecta fuerat, ob Petri Cathedram ad eam translatam, à qua *nauigationem*, seu Petri nauis Ecclesiæ cursum *inchoando*, verè ad Sponsum Aeneam illa sic loquitur:

Te iam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

Nam ab Annis septem Cathedræ Antiochensis, *Nauigationis Aeneæ spatium vates metiuntur*. Quod autem interea Gallilęæ, atque Samariæ Ecclesijs inspectis, Petrus *venit in Ioppen, ibique diu moratus est*, vt in Actis scriptum, ideò *crinitus Iopas* (ciuis puta *Ioppensis*) *in conuiuio* Didonis *Aeneæ instructo, aurata cythara personare* fingitur. Quod item in eadem Vrbe, apud *quemdam Simonem coriarium hospitium* erat *electurus*, id fabula innuens, de *comitibus Didus* Petri sponsæ narrat. Aen. 1. Cap. 9. Aen. ii.

Deuenisse locos.
Mercatosque solum, facti de nomine, Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo. Act. c. 9. & 10.

Nam βύρσα *corium* Græcè significat, & *coriarium Simonem* Petri hospitẽ indicat, vt *Taurinum tergus*, quo eorum ædes, qui *Corium apparant*, solent *circumdari*. Itaque ad primum aduentum eiusdem in Phæniciam, & *primũ Didonis hospitium*, cum Cathedram suam fundauit Aeneas, illa Virgilij referri oportet: de *Mercurio à Ioue misso, ne hospitio excluderetur*, & de *Cupidine, vt & amaretur*, & *thalamo Reginæ Didonis* tandem *potiretur*. quæ quidem non sine Diuina ope factum significant, vt Petrus piscator, & omnium egens, vti Pontifex summus, ibi exciperetur, & primariæ Cathedrę isthic collocatę sponsus coleretur, & agnosceretur. Nam *Ieoua Pater*, vt Maro testatur,

Maia genitum demisit ab alto, Aen. 1.
Vt terræ, vtque nouæ pateant Carthaginis Arces
Hospitio Teucris, neu fati nescia Dido
Finibus arceret.
Qui quidem, vbi iussa fecit,
Ponunt ferocia Pœni

Cor-

Corda, volente Deo, imprimis Regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.

Vtque *ad nuptias Reginæ* Ecclesiarum tandem *perueniat* Diuinus Amor seu *Cupido*, cum *Venere Matre* suas artes exercet:

Donisque furentem
Ib. *Incendit Reginam, atque ossibus implicat ignem.*

Qua quidem fabula ingeniosè per *Maia*, seu Maria *genitum, cœlo alto dimissum*, in Eucharistia præsens Christus adumbratur, vbi etiam idem *Cupidinis*, seu Diuini Amoris, *Faciem mutatus, & ora, officium præstat*, inde enim *occultum* suæ charitatis *inspirabat ignem,*

Quando illum gremio accepit lætissima Dido,
Regales inter mensas (Altaris) *laticemque lyæum,*
Cum dedit amplexus, atque oscula dulcia fixit.

Illud item scitè Virgilius, quod *Connubio Aeneæ cum Didone venationem* quamdam celebrem *præmittit*, non enim ante Ecclesia illa Antiochena suis partibus constitit, quam ciues eius, & subditi Petri, & sociorum, quasi quodam venatu intra retia fidei conclusi, atque comprehensi. Et quia arcanum inuisibile, castum, & spirituale est, Episcopi cum Ecclesia sponsa coniugium, idcircò *in spelunca* Maro *contrahendum* putauit. ideò enim

Speluncam Dido, & Rex *Troianus eamdem*
Aeneid. *Deueniunt.*

At ne clandestinum, & sine Testibus foret,

Prima & tellus, & pronuba Iuno
Ib. *Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther*
Connubij Diuini.

Quin & *fama* illud *vulgans* inducitur, meritò tamen *vituperata*, tanquam *malum velox, atque monstrum*, quòd circa Christianorum sectam, & connubia casta Ecclesiarum cum Episcopis Sponsis, atque adeò contra Petri Cathedram, multas calumnias vbique sparsisset, quæ persecutiones ingentes mouerunt. Quia porrò indignum videtur, Hierosolymitanam Ecclesiam, tunc omnium primam, per hoc connubium, Cathedræ Primariæ honore fraudari, ideò Virgilius humano more ratiocinans, & verisimilitudinem secutus, eiusdem Solymæ Ecclesiæ Episcopum, seu *Regem*, per *Hiarbam* (quæ vox literarum quadam methathesi *Hebræum* significat) *de his nuptijs apud Iouem*, seu Ieoua *conquerentem* inducit. qui quidem *Hiarbas*, seu Hebræus, *Hammone*, Chamo, vel *Chammone satus* perhibetur, eò quòd ex Aegypto terra Cham, in Syriam Palæstinam aduenit. At querelæ capita: *Sua à Didone* (primaria Cathedra) *connubia respui, quæ in suis finibus errarit*, hoc est, pereegrina, & gentilis existat, *quæ parua* initio *fuerit*, cum Hierosolymitana Ecclesia latè se funderet, *cui littus arandum*, quia Antiochia in littore sita, & Solyma in Syriæ vmbilico, *cui leges dedisset*, non solùm Diuinas, sed & positiuas, vti *de gentibus non circumcidendis*, alijsque, per Apostolos Solymæ congregatos, latas. *illa* (inquit) Dido.

Connubia nostra
Ib. *Reppulit, & Dominum Aenean in regna recepit.*

Et nunc ille (Aeneas) quem *Paridem* per inuidiam quamdam poeticam vocat,

Mœonia mentum mitra, crinemque madentem

Sub-

Subnixus, rapto potitur.

Quibus sanè verbis *mitram* agnoscimus, *&* *Oleum sacrum*, quo crinis *madescit* in consecratione, quibusque Pontifices summi etiam hodie vtuntur, vt se Petri Aeneæ germanos successores probent. Vbi verò se Hiarbas dicit;

Templa Ioui centum, latis immania regnis

Cum *centum Aris posuisse*, de eadem Ecclesia sua intelligit, quæ Ieouæ, vbique terrarum, Christiana Templa, et Altaria erexerit, & *vigilem ignem*, seu *excubias æternas*, per iuge lumen ante Eucharistiam venerabilem *sacrarit*, *pecudumque cruore pingue solum imbuerit*, tempore Synagogæ, et post Euãgelium, *rapta in Cœlum Garamantide Nympha* (Christi Matre Virgine, ab Aegypti populis, vbi exularat, ita nuncupata) *Varijs florentia limina sertis*, dedicandis plurimis Templis, *exornarit*. Sed quod etiam ad has *nuptias* attinet *Didonis cum Aenea sponso*, rectè *Anna soror*, hoc est, *gratia Dei has suasisse* fingitur, eò quod non sine Diuino quodam instinctu perfectæ. Aen. 2. Quamquam in hoc errarit Poeta, qui non potuisse consummari putarit, nisi *abolito amore prioris Sichæi*. *prioris* (inquam) dignitate *sponsi*, qui est Christus Dominus, et cum Hæreticis nostris hodiernis, Ecclesiæ duos sponsos habentis Mysterium haud ceperit. quorum alter minor, et externus, homo Dei Vicarius, qui prędicatione, et ministerio externo Sacramentorum, sponsę suæ Christi Ecclesiæ, proles Christianas gignat, alter autem prior, atque maior Christus, ministerio interno, et inuisibili gratiæ eidem sponsæ filios progeneret. Hos enim binos sponsos suos *Sichæum* & *Aeneam* simul *Dido complexa, Trois* Solymæi, & *Tyrij* nullo discrimine *parens effecta est*, & *eodem nomine Christiano* vtrumque *insignijt*. Nam apud Antiochiam, (Ecclesiam Didonis) primum hoc nomen sortitos fideles, Acta attestantur. A *Phænicibus* porrò Didonis subditis (quia prima apud illos Petri Cathedra fuit) ob Ecclesiam Christi vnicam & æternam, de *Phenice Aue* quoque vnica, atque immortali, fabula exorta est, quem *Aquilæ similem* esse finxit, quia similis cum Ecclesia Romana, atque Aquilari, erat Antiochena, & quæ de Phænice vates mentiuntur; reuera in hominem Christianum cadunt, nam *Phænicia ortus*, vnde nomen *Phænix*, iamque *moriturus pretiosa aromata*, mortui iam pridem Christi Sacramenta, quæ Ecclesia custodit atque *Charismata*, studiosè *colligit*, & *in morte*, *nidum* seu sepulchrum corporis in cęmeterijs, & Templis Christianis, *coram sole* Iustitiæ Christo *constituit*, *aliquo semper consimili in viuis relicto*, & *post bustũ* orbis vniuersi, *deposita corporum senecta*, & veteri vitio, quod est, mortalitas, *vegetior* & *melior*, & solus beatus atque *immortalis* hic *Phænix resurget*. fuit igitur felix inter omnes aues, gentes seu mortales, hospitij, & nuptiarum *Aeneæ*, & *Didonis*, *fructus*, *Phænix Christianus*. at non diuturna connubij felicitas mansit. post septennium enim Didonem *Aeneas diuino admonitu deserere iussus*, & *in Latium migrare*,

Marginal notes: Aen. 1. (beside "abolito amore prioris Sichæi"); Act. 1 (beside "Phænicibus porrò Didonis subditis").

Vt grauidam imperijs, belloque (persecutionum) *frementem*
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.

Hæc enim illi mandata per *Maia genitum* Ieoua Pater dedit, eodem Virgilio teste, qui quidem Mercurius

Aeneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conspexit,

Pontificio habitu, nam

Ty-

Tyrio ardebat muricelæna
Demiſſa ex humeris, diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.

Quid verò Aeneas mandato accepto?

Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperioque ....

Quod Syriæ patriæ Iudæos deſerere & ad gentiles in Latium proficiſci iubebat. Ægrè tamen illum *à Didone auulſum*, pro ſuo in primos illos Chriſtianos amore, & Eccleſiam Sponſam, infitiari quis audeat? Nam apud Maronem Aeneas ſic loquitur:

Italiam non ſponte ſequor.

diſſuadere forſitan iter Chriſtiani, etiam lachrymis fuſis dilectum Patrem remorari conati:

Sed *nullis ille mouetur*
Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures.

Itàque Illius Eccleſiæ luctum, ob diſceſſum Patris, per *Didonis Lachrymas*, *furorem*, & *mortē* Virgilius pathetice expreſſit. In quo obſeruandum, illud vel maximè Reginæ dolere, quod ſponſo abeunte, Primariæ Cathedræ honore priuetur:

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret,
Aen. 2. & 4. *Non equidem omnino capta, aut deſerta viderer.*

Qui enim poſt Petrum Antiochenus Epiſcopus factus Euodius, non is in Cathedra Primaria ſucceſſit, quæ iſthic extincta, atque in Latium fuit aſportata, vti per mortem vxorum Aeneę *Didonis* & *Creuſæ*, & *alteras cum Itala coniuge Lauinia nuptias*, Vates docuerunt. Antiochia ergo derelicta, terreſtri itinere Aeneas, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam Minorem, atque Bythiniam, ad quas eiuſdem Epiſtolæ extant, in P*hrygiam* & *Antandrum* venit, vti Eccleſiaſticis annalibus proditum. Vnde etiam Aeneæ ab *Antandro* & Helleſpontica *Troia* nauigationem in Latium, docta fabula inchoat, hiſtoriæ omnino conſentiens, ſicut *in Siciliam* tum hiſtoria *Petrum*, tum fabula *Aeneam* appuliſſe tradunt. Virgilius ſiquidem

Metaph. Baron.

Aen. 3.

Superat quoniam fortuna, ſequamur,
Quoque vocat, vertamus iter, nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos.

Ouidius quoque de eadem Sicilia ſiue Trinacria:

Met. l. 13.

Intrat
Sicaniam, tribus hæc excurrit in æquora linguis,
Hanc ſubeunt Teucri remis, æſtuq; ſecundo.

Neque prætereundum, quod de quadrageſima, & anniuerſaria Chriſti mortis die celebrata in eadē Inſula, ſub fabulæ inuolucro Virgilius canit. ſic enim de Diuini parentis morte, & annuo feſto Aeneas præfatur:

Aen. 5.

Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine Diuum,
Annuus exactis completur menſibus Orbis,
Ex quo reliquias, diuinique oſſa parentis
Condidimus terra, mæſtaſque ſacrauimus aras,

Iamq;

Iamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum
Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.
Hunc ego Gætulis agerem si syrtibus exul,
Argolicoque mari deprensus, & Vrbe Mycenæ,
Annua vota tamen, solemnesque ordine pompas
Exequerer, strueremque suis altaria donis.

Quibus sanè liquet, Quadragesimam, & Paschales dies *Solemnibus pompis*, & *Sacrificijs* Æneam Petrum coluisse. *Sacrificijs* (inquam) panis, atque vini, quæ per *Serpentem* (qui Christum refert à Moyse in ea figura exaltatum) *Dapes sacrificij, & vina libantem* egregiè depinxit, nam substantiæ in ijs destructionem, speciebus intactis, ea serpentis *libatio* figurat. quod quidem *stuporem* Aeneæ, ob grande rei miraculum affert: nam

Adytis cum lubricus anguis ab imis Ib.
Amplexus placidè tumulum, lapsusque per aras,
Obstupuit visu Aeneas, ille agmine longo
Tandem inter pateras, & læuia pocula serpens
Libauitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis incæptos Genitori instaurat honores.

Sed & *pugnas ludicras*, & *varias corporum exercitationes* plenas magni sudoris, & laboris, in memoriam defuncti Parentis ibidem instaurat, pręmiaq; certantibus proponit, quę ieiunia Christiana referunt, & voluntarias corporum aflictationes, tunc temporis; sicut & hodie, à veræ Ecclesiæ filijs vsurpari consuetas, quibus sua in Cœlis reposita merces. quæ quidem ieiunia, et voluntaria corporum exercitia, etiam pueri exemplo Patrum suscipiunt:

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis.

Quia corpora sacro Ieiunio refrænant: quibus

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona

Ad primam *tonsuram*, & paruam *coronam puerorum* alludit, quæ illis præcipuè Quadragesimę temporibus confertur. Hunc autem morem ieiunandi puerorum in Ecclesia Romana, ex traditione Apostolica futurum, sic Maro, etsi nesciens, prædicit;

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,
Retulit, & Priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, quo secum Troia pubes
Albani docuere suos, hunc maxima porrò
Accepit Roma, & Patrium seruauit honorem.

Ex *Sicilia* porrò in *Latium*, cum tendit Aeneas Petrus, tempestate iactatum falsò ad *Lybicos* fabula, verè *ad Liburnos* traditio refert, vnde *Romam* ad Sedem suam tandem sit *profectus*. Itaque iam *Aeneæ* Petri *nauigationem*, ex *Aelia* Solyma in Italas oras, habes explanatam. *Socij* autem eius *Antenoris* Pauli, *iter in Illyrim*, breuiter quoque supra descripsimus; nam quorsum *Aeneas*, *Anium*, *Phæacas*, *Polyphemum*, *Sibyllam*, *Circen*, aliaque loca, aut personas, ea nauigatione *inuisisse* fingatur, capitibus proximis restat aperiendum, vt nihil tota *Aeneide* (Petreide) lateat. Aen. 1. Baron.

CAPVT XIX.

Aeneide rurſum, & *nauigatione Aeneæ*, ſicut *Odyſſea*, curſum nauis Petri (Eccleſiæ) deſcribi.

ANTEQVAM *Aeneæ* Petri res in Latio geſtas enarremus, vbi Sedem alteram, & Cathedram, priore relicta fundauit, alteramque vxorem, Eccleſiam Romanam, *Lauiniam accepit*, priùs exponenda, quæ *nauigationi* eiuſdem *Aeneæ* vulgò vates affingunt, quibus non illius in Latium iter, verùm ad cœleſtem Patriam varium, & multiplicē Eccleſiæ Chriſtianæ curſum, ex iiſdem Sibyllæ folijs clarè prædixerunt. Eas autē Eccleſiæ Chriſtianæ, ad varias gentes, & populos *miſsiones*, nō *Aeneis* ſolū, ab *Aenea* Petro (laudatore) ſed & *Odyſſea* ab eodē Apoſt. (Ὀδύσσευς, Vlyſſe, ſeu *Ieſū canente*) ita nuncupata, fabuloſè deſcripſit. Quo factum, vt cōmunia pleraque vtrobique legantur, ne quis reputaret, aliud *Aeneidis*, aliud *Odyſſeæ* argumentum eſſe. Quod autem Aneæ, ſeu Vlyſſi Petro plurima aſſignentur, quæ nonniſi mortuo eo euenerint, id propterea factum, quod in ſuæ ſucceſſoribus Cathedræ, & in ſuæ Eccleſię filijs viuat immortalis. Vt igitur pateat, Petrum per *Vlyſſem* (vti per *Aeneam*) à Poetis prędictum, prętere ea, quę de *Palladio* ab eodem *Aeliæ* Solymę *erepto*, & *armis Achillis* (clauis atque Cruce Chriſti) ab hoc *reportatis*, ſupra oſtendimus, vt Iano, vt Aeneę ſupra; ſic etiam Vlyſſi Romanę Vrbis originem aſſignarunt, ob ſpiritalem nempè Ciuitatem, Eccleſiam Romanam in ea fundatam, et in omnibus ferè Vlyſſis adiunctis, Petrum deprehendis. Nam prętèr Vlyſſis etymon, ſiue ὀδύσσευς (quod *canentis Ieſum* viri vocabulum ab ᾄδη, & Ἠύσυς) *Laertæ filius*, ideſt, *Populos* gentiles ad Eccleſiam ſuam, et gloriam *eligentis* Chriſti appellatur, à vocibus λαός, & αἱρεῖσθαι. Et *Dux Nericius*, Latinus, ab Hebręo *Narcha*, lato, vnde, et Patria eiuſdem *Neritos ardua ſaxis* ob iuga Apenini *vocatur*, et *Ithaca*, regio *Aquilaris*, ab ἀετός *Aquila* Romana, *nidulis aſperrimis affixa*, ad quam nauigio illum peruenturum, apud Homerum *Minerua promittit*, licèt *vincula ferrea* (Herodis, nempè Hieroſolymę) *hominem detineant*. Sicut ergò ab *Na* atque *Raca* Nericius, id eſt, *dilatatus*, ita ab *Ithaca*, *Ithacenſis Dux* agnominatus. Vnde *Ithaceſiæ* Italię *Inſulæ*, in quibus *Vlyſſis ſpeculam* ritè conſtituunt, Eccleſiam, et Cathedram Romanam, ex qua velut ex ſpecula quadam ſubliniori, in omnes ſubiectas Orbis Eccleſias, Petrus, & Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, Superior deſpicit, ſemperque inuigilat. Idem quoque *Dulichius Heros*; ſeu *Rex Dulichij* (à δοῦλος ſeruus) Vlyſſes vocatur, quod *Seruos Seruorum Dei* ſe Pontifices Petri ſucceſſores in ſuis titulis erant profeſſuri. *Seruitutem* autem eam, ſiue *Dulichium* Poetę ijdem *Regnum* crediderunt, vel quod Superiores Eccleſiæ Chriſti ſeruiendo regnent, vel quod Deo ſeruire, atque miniſtrare, id eſſe regnare, Sybilla magiſtra, forſan perceperint. Et quoniam Petrus, atque Pontifices eius ſucceſſores, Eccleſiæ Chriſtianæ Sponſi erant futuri, propterea *Vlyſſi*, ſeu Petro *Penelopen*, *Diuinam mulierem*, *connubio iungunt*, à πνέω, λαός, & ποιέω, compoſitis vocibus, Eccleſiam Chriſti innuentes, quæ *populum ſpiritalem facit*. *cuius* quidem

Plinius.

nuptias

nuptias, frustra *Proci* Hęretici *ambiant*, *absente*, idest, mortuo *Vlysse*, quod Hæreticos omnes Ecclesia, casta Petri sponsa, suarum spe nuptiarum decipiat, atque aspernetur. Hanc autem Petri coniugem Italam, et Latinam, non vno nomine *Penelopes* insigniunt, sed et *Calypsus*, *Circes*, *Eurycleæ*, vti postea dicetur, ex quibus Vlysses *Telemachum* Diuinum, *Telegonum*, & *Ausonem* filios procrearit. Quorum primus *Telemachus* Diuinus, id est, *Italus bellator* (puta aduersũ *procos* Hæreticos) ab Ἰταλός, & Μάχομαι, Romanum Pontificem apertè designat, qui *Diuinus*, & *Vlyssi* Patri *similis capite* (ob eumdem primatum) et *pulchris oculis* (ob eamdem curam et ministerium) ab Homero fingitur, et *paternam indolem instillatam habere*, nec non *Eurycleam* Latinam Ecclesiam (ab Εὐρὺς, & καλέω, vnde Ecclesiæ nomen deriuatur) in *sublimi Thalamo constitutus*, vt suam vxorem, *castè diligere*, quo eius primatum, et sublimitatem supra omnes orbis Ecclesias, docet. Ad hæc *Telemachus à Minerua adiutus*, *omnes procorum insidias deuitat*, *ad necem quæsitus*, quod Pontificia Sedes Hęreticis pręcipue exosa, Chisti ope semper incolumis seruetur. Nam et per *Telegonum* Italia genitum ab Ἰταλὸς γεννάω, et *Ausonem*, eius alias proles, *Italiæ Populum* liquidò expressere. Vti per *Anticleam* Vlyssis matrem, *Antiochensem Ecclesiam*, et *Cathedrã*, post quam Romana exorta est. Hoc igitur modo *Vlyssis genus*, atque *Prosapiam* Poetæ contexunt, vt vbique Petrum Apostolum indicent. Quid, quod et *Vlyssem* (vt Petrum) *crispis capillis*, & *comis*, & *caluum*, & *pauperi seni*, *atque tristi similem*, *mala circum corpus vestimenta indutum*, eadem Odyssea depinxit? quid, quod nihilominus Pontificio cultu, et amictu eumdem ornauit? Nam *Pileolo rotundo*, et *calyptra capitis*, et *redimiculo*, quę Tiaram clamant, *baculo*, seu *virga*, quæ pedum, *chlæna tunica*, & *Stola ingenti*, *candida*, *tenui*, & *gratiosa zona*, *perpulchra*, & *aurea*, vt Albam Pontificiam, & Sacerdotalem, cum cingulo agnoscas, imò *vestibus odoratis clarum*, et *insignem facit*, vt nihil magnificentiæ Romanæ, & Pontificiæ, in Homerico Vlysse prorsus desideres. Quod verò dotes animi spectat, eumdem *Diuinum* Minerua cognominat, & *eloquentiam*, & *prudentiam Diuinam* ei vates tribuunt, *Castitatem* quoque *singularem*, vt qui *nolit pedes à muliere contingi*, et *fortititudinem Animi laboribus innumeris*, & *ærumnis ferendis*, grauissimè diuque *exercitam*, vt *ad Patriam suam* (puta Cœlestem) tandem *perueniret*, *ad quam* ideo *diues*, atque *opulentus*, nempè operum meritis, *optat adspirare*. Illum etiam, ad varias orbis regiones classe dum nauigat, *dona ab omnibus auferentem* faciunt, quia Petri nauis, Ecclesia Romana, toto mundo errans, ab omnibus Principibus Christianis, & Regibus, templa Augusta, summi pretij ornatus, beneficia opima, & opes immensas erat collectura. Id quoque in Vlysis nauigatione & peregrinatione obseruatu dignum, quod sicut *Aeneam Venus frequenter apparens*, sic *nostrum Vlyssem Minerua* consilio & opera studiosè *adiuuit*. Et quòd sola Romana Sedes erat permansura, cæteris Apostolorum Cathedris euersis, & temporis vetustate sublatis, ideo eius *socij ad vnum omnes intereunt*, *eo semper saluo*, & iuxta Ouidium, *vnica naui*, *vndecim submersis*, *Circen versus appellit*. *Duodecim* porrò *Nauibus ab Ilio in Ithacam nauigans*, duodecim Apostolorum Ecclesias figurat. ob quam item causam, *omnes diuitias illius* Homerus *duodecim armentis*, & *duodenario* aliarum rerum *numero comprehendit*. Idem porrò

Od. 1. & ii.
Od. 6. 13. 16.
Od. 1.
Od 19.
Od. 11.
Od. 13.
Od. 14.
Met. 14.
Tzetza.
Od. 14.

Apollod. apud Strab. *Vlyssis* ac *Aeneæ cursus*, ex Aelia in Latium, siue Italiam, quam *Ithacam*, id est, *Aquilarem* regionem nominat, alij verò *Caunum*, id est Latium, à χαυνὸς lato, vocab ulo deducto. Et quod Antiochiæ aliquantulum sederit, ex itinere Od. 6. memorant *teneram & ingentem palmam conspexisse*, græco nomine φοίνικα, Od. 11. quasi Phæniciam, vbi Antiochia, nec non *se in Phænicia mansisse*, apud Eumeū Vlysses fatetur, cuius Cathedræ interitum etiam per *Anticleæ mortem* repræsentant, nec non per *Phænissam Dianæ iaculo* quoque *interemptam*. Quia Od. 15. porro Phęnicia digressus, terrestri licet itinere, Pontum attigerit, *ex montibus Solymorum Neptunus eumdem, in nigro Ponto spectat nauigantem*, & velut Aeneam, & Petrum, Herodis excubias fallentem, *nube quadam diuina* Homerus *occultat*, quin & *per ancillam durissimè eumdem lacessit*. Plutarchus verò *in Italia Vlyssem exulantem* afferit, & Dictys Cretēsis *in Ithaca mortuū*. at quonam mortis, aut supplicij genere? eodem, quo Petrus. Nam alij *iaculo ferreo*, alij *spina piscis Trigoni, à Telegono filio, inscie interemptum* tradunt, quæ ad Petri necem, atque crucem, & clauos eiusdem Trigonæ crucis, seu Triangularis, clarissimè alludunt. Et ne Apotheosis eius sileatur, *pro Deo post mortem habitum*, Seneca sua Epistola ad Serenum refert. His itaque de Vlysse modò explanatis, sat perspectum arbitror, Odyssea, vti Aeneide, cursum nauis Petri (Ecclesiæ) descriptum. quod vel ex gentibus, regionibus, ac locis, ad quæ communiter *cum Aenea Vlysses deuenisse* traditur, fiet illustrius. In quo quidem fabulosi authores, nulla, aut exigua topographiæ, chronologiæ, & ordinis rerum ratione habita, Sibyllæ folia adeo perturbarunt, vt Aeneæ, & Vlyssis errores erroribus suis multùm adauxerint. Itaq. vt fabulosum hoc eorum chaos, aliqua methodo, aut luce informemus, illustriora loca, aut personas, ad quas vtriusque classis appulerit, breuiter primùm exponemus, dein aduersos casus, quæ quasi procellæ, atque tempestates, eam iactauere. Igitur *ab Ilio*, idest, *Aelia Solyma*, vtriusque cursum incœpisse, sat demonstratum est, quod quidem *optimorum equorum nutrix* ob Apostolos sæpius *appellatur*, qui Christum ferentes, in omnem terram latè excurrerunt. *ab eodem Ilio*, seu Aelia Solyma ad Antiochenos Ecclesia translata, vti per *palmæ conspectum*, atque per *Didonis, Creusæ, Phænissæ*, atque *Anticleæ fatum* atque *mortem*, supra ostendimus. Inde igitur in *Pontum* & minoris Asiæ regiones *euasit*, vt *per Nigrum Pontum, Antandrum*, & *Troiam* supra docuimus, atque per *Anium Regem sacerdotem* (Apostolum *Ioannem*) vates tradiderunt, *cuius* quidem *filias* (Ecclesias Asiæ) in *frumentum*
Aen. 3. *vinum*, *& oleum* commutasse omnia fabulantur, ob Eucharisticum panem,
Met. 13. atque vinum, & gratiæ oleum, quibus abundabant. Iam verò superfluum arbitror, *Græciæ regionibus*, *Insulisque Ionio in magno*, ad quas cum *Vlysse* & *Aenea* Petrus aduenerit, diutius immorari, cum magna pars Odysseæ, Aeneidos, atque Annalium, in eis versetur. A *Græcia soluentem* Ecclesiæ *nauim Sicilia excipit*, vti supra patuit, & infra docendum. Ex qua Insula in *optatum Latium* seu Ithacam patriam tandem *peruenitur*. vbi iuxta Maronem, *Aeneæ Lauinia coniux*, *Turnus*, & *Euander*, & *bella plurima*, quibus Tyberis rubuit, de quibus infra exponendum. at iuxta Homerum, aliosque, ibidem *casta Penelope*, *Euryclea*, *Calypso*, *Circe*, *& Aeoliæ Insulæ*, & *loca inferorum* ab Vlysse *visuntur*. Inde autem ad *Phæacas* itum, atque *Læstrigonas*, tametsi Poëtæ hunc ordinem inuertant, *quibus nauigatio tota* concluditur. sed ad Ecclesiam atque Petri nauim, quomodò postrema illa referantur, singillatim viden-

videndum. Nam per *Penelopen* Romanam Ecclesiam, à Poëtis olim designatam, vel ex *Ithaca Insula, Aquilarẽ terram* suo Etymo signante, *vbi domicilium illius fixerunt*, tum ex eiusdem *Telemacho filio*, qui Italum bellatorẽ sonat, non obscure colligas. ad quam similiter *Calypso Nympha* pertinere noscitur, quę *tectam* siue *coopertam* à græco καλύπτω propterea significat, *quod* illa Petri *sponsa* Virginea, in cryptis siue catatumbis, & *specubus cauis*, sub vrbe Romana, ob persecutiones cum eodem Petro aut successoribus, *esset moratura*. de qua sic Homerus Od.1.

Vlyssem veneranda detinebat Calypso, Dea D*earum*.

In specubus cauis, illum optans maritum esse. Od.5.& 17

Necessitatem autem illam Vlysis, cum Calypso virginea sponsa, & *Dea Dearum*, hoc est, Ecclesia Ecclesiarum, & *Dea immortali*, *in specubus flebiliter morandi*, *in nauim* Petri *fractã & euersam* verissimè *refert*, quod tempore persecutionum primarum, Templa Christianorũ (vt Cæsarum edicta de ijsdẽ destruendis testantur) fuerint disturbata, ita vt in speluncis, & cryptis sacra Christiana deinceps fuerint celebranda. quod autem per *nauim* Templa significet, vel in Ναὸς æquiuocum nomen, quod *nauim* & *templum* simul significat, vel in formam eorum, quæ *nauim* fere imitantur, puta referendum. Sacrificia autem missæ in specubus illis, & cryptis peracta docet Christus *Mercurius* Μαρίας κύριος Mariæ vterinus, *in ijsdem sibi propositã* Ibid. *Ambrosiam* panis immortalis, atque *vini rubrum nectar*, quo ad substantiam consumendo *gustans*, post quem etiam *Vlysses eius solio insidens*, quasi vicarius, eadem prorsus *manducat*, *& bibit*. A *Calypso* autem *descendens* *Vlysses* (tempore Constantini) ab ea *securim*, & *asciam*, *ad nauim*, siue tem- Ibid. pla sua *instauranda accepit*, nec non *ventum fauentem*, quia exinde Templorum structuræ, & superbæ moles, & pax Ecclesiæ cum prosperitate temporali cœperunt. Quod autem *Ogygiam Insulã*, *Calypsus Patriam*, atque Ortel. tab. *Sedem* facit Author Odysseæ, cum *Ogygia* apertam, siue *Latam Terram* Vlyss. error significet, ea Latium innuit, pręsertim cum ex Calypso *filium Ausonem* ferant *procreatum*, qui certè ab Italo alius esse nequit. Hanc verò *Vlyssis cum Calypso* (Ecclesia Romana) in Speluncis commorationem, per descensum *eius*, & *Aeneæ viui ad Inferos*, & *fauces Auerni*, *à Sibylla Cumana haud procul remotas*, Vates quoque describunt: eò quòd Ecclesia illa sub Vrbe cubilia cœca effodiendo, quasi *in inferis*, hoc est, subterraneis locis miserè vitam tolerarit. Item *Aeolia Insulæ* in mari *Tusco*, seu Thirreno *sitæ*, *ad quas quoque nauim applicuit Vlysses*, eamdem Romanam Ecclesiam loquuntur. *Aeolus* enim id est Spiritus Sanctus, ab ἄω spiro, in eamdẽ in Tuscia manentem, ventos diuinarum inspirationum immittit, *quibus ad Patriã* Cęlestem homines *citissimè inducantur*. Eum autem *ventorum* R*egem*, *hyppotadem* equestrem agnominant, quod orbis initio conditi, *super aquis* Spiritus quasi *inequitaret*. Ab hoc igitur *clausi ventorum vtres*, dono dantur Vlyssi, q̃uod *sacra*, atque *Sacramenta* Ecclesiæ Romanæ, *ventos* Spiritus Sancti, seu *dona concludant*. quos dum *socii illius* Episcopi, atque Sacerdotes quidam *eo dormiente*, hoc est, mortuo Petro, *auri malo studio, et auarè recludunt*, venti, siue dona Spiritus *illos effugiunt*, *&* propterea à Patria Cœlesti *longissimè arcentur*, et à Spiritu Sancto, vt Simoniaci, in persona Vlyssis, *durè repelluntur*. Quod quidem Simoniæ malnm nauim suam infestans, *vberibus lachrymis*, *atque suspiriis Vlysses* Petrus *luget*, *ac deplorat*.

rat. ſequitur modò *Circe*, atque *Circeius mons*, quem in Italia fabulæ quoque collocarunt, ijs nominibus *Romam* in monte ſepticolli ſitam, et *Romanam Eccleſiam*, *Dominiis temporalibus claram*, et *Illuſtrem* ruſum prędicentes. Nam Κίρκη, ſeu *Circe Dominam* ſignificat à voce κύριος, vnde, Κυριακὴ & per ſyncopen, Κύρκη ſiue Cyrce (nam vetuſti Codices adhuc υ retinent.) Inde & Germani Eccleſiam Κίρκε, quaſi *Circen* etiam hodie nominant. *Ea* autem Romanam Eccleſiam temporaliter olim *dominantem* prædici, præter Etymon vocis, & topographiam, etiam eius proles *Telegonus Italus*, *vel Italia genitus*, necnon epitheta, atque attributa, planè perſuadent. *Circen* enim *Solis* iuſtitiæ Chriſti *filiam* eſſe volunt, & *Deam Dearum*, vt Calypſo,
Od.10.12. nominant, *diuitem*, *pulchricomam*, *venerandam*, *& ſacram*, ad quam idem Vlyſſes *Diuino inſtinctu* etiam *appulerit*, cum qua quaſi *Sponſa*, *Diuino* etiã *iuſſu coierit*, *cautè* tamen, & *prudenter*, & *inſtructus priùs herba moly à Mercurio data* (quæ gratiam Chriſti figurabat, quam ideò *difficilem effoſſu mortalibus* aſſerit, *non immortalibus*, quod omnia poſſint) & *præſtito ante iuramento*, *ne quidquam noceret*. Qui enim aliter amplas dignitates, & beneficia pinguia, & illuſtria, atque honorata Eccleſiæ poſſident, his beneficia, *veneficia* fiunt, vnde docta fabula de *venenis Circes* exordium ſumpſit, atq; *in ſues* tantummodo terrena ſectantes, & *in varias feras*, quamuis *innoxias*,
Ib. & hominibus putidè *adulantes* (vti fit in aulis) *mente firma*, hoc eſt, fide firma, & manente, *intus commutantur*. Ideò enim *Elpenor*, *Magni Vlyſſis ſocius*, quem ſanè *bibacem*, & *nimii vini* Ouidius cum Homero facit, *in domo Circes*, *ſcalas*, puta gradus honorum, *imprudenter conſcendens*, *fractis ceruicibus labitur*, & *anima eius ad Inferos deſcendit*. *Quo caſu territus vnus è ſociis*, *author fit Vlyſſi ſecus ſentienti*, ne ad Circen intret. cui tamen propoſitum obſtinatè tuenti, Vlyſſes *Gladio* Cenſurarum, *mortem comminatur*. Illuſtri planè documento, quòd Hęretici, Romanæ Eccleſiæ honoribus, & opibus infenſi, atque obtrectantes, ob prauum ſenſum, atque contumacem, vindicem Petri manum, & formidandum anathematis gladium olim mererentur. Quod verò Petrus pauper, atque egens, nondũ vllis
Od.10. dominijs clarã vxorem, eſſet olim ducturus, idcirò *Aeneas* apud Virgilium, & Naſonem fingitur, *Circes palatia*, cum in Latium tenderet, *naui prætergreſſus*, & eumdem Petrum *in Vlyſſe* docta Odiſſea, *cum hac Circe coniungit*, quod non tempore Petri, verum ſucceſſorum eius, Eccleſia Romana, *Circe*, hoc eſt, *Domina*, puta, *temporalis*, vbique terrarum latè euaderet. Nam quæ modò Cathedra, quod Collegium, aut Cœtus, quodue Cœnobiũ, etiam fęminei ſexus (ſi Mendicantium quorumdam Ordines forſan exceperis) nobilibus feudis, atque dominijs non hodie gaudet? Quod Chriſtus myſticè ſane prædicebat, dum *Gladios Apoſtolis imperat*, *apud quos duo quoque reperti*, ſpiritualem puta cenſurarum, atque temporalem gladium figurabant, quem Eccleſiaſtica Dominia, & feuda ferè habent annexum. Verũ vt ad *Circen* noſtram redeamus, *eius ædes ſacras*, atque *aulam*, *lapidibus*
Od.10. *politis*, *et vario marmore* Poëte *conſternunt*, *ædificant*, *et ornant*, & ab auro *auream*, & à vitris quoque pretioſis, *vitream* agnominant. Hæc eſt illa Circe, quæ *ad ſe introductos Vlyſſis ſocios*, *per ſedilia*, *atque thronos* locat, *oleoque ſuaui*, *ac pingui inungit*, quibus Epiſcoporum, Abbatum, & Præſulum conſecrationes, atque dignitates in Eccleſia Romana bellè ſignabantur. Hæc illa *Domina*, quæ Petrum *Vlyſſem*, Pontificem Summum, *Sponſum*

ſum

sum suum, iu successoribus eius hodie Ib.

Collocauit in throno argenteis clauis
Pulchro, fabrefacto, scabellum verò sub pedibus posuit.
Adornauit autem potionem, aureo poculo vt biberet.

Nam quid *Vlysi* ad splendorem, aut delicias apud *Circen* deerat, cum *famularum vna*

Iniiceret thronis stragula pulchra,
Purpurea. . . . .
Altera verò ante thoros exteuderet mensas Ib.
Argenteas, his autem apponeret aureas lances,
Tertia verò cratere mellifluum vinum misceret,
Et alia lauaret, & vngeret pingui oleo,
Chlænamque pulchram indueret, atque tunicam?

Verùm quòd ad vestes Pontificias attinet, illud in Homero dignum obseruatu, quod eodem modo *Vlyssem in specubus cauis Calypso ornet, & induat*, atque ipsa Circe *in domibus superbis*, atque *aulis dominans*. ex quo intelligimus hodiernam Ecclesiam suorum Pontificum pretiosas vestes, & ornatus, à prima Ecclesia, quæ in specubus cauis habitabat, esse mutuatam. At *pius* Vlysses tantis honoribus, & lautitijs *acceptus*, pios Pontifices Romanos designans,

Eduliis multis appositis,

etiam *iubente*, *vt edat*, *Circe*, *id gratum non habet*,

Antequam redimantur socii

In porcos mutati, pluris horum salutem, quam cibos, aut honores faciens, *vnde eius cura, prece, & rogatu* quoque *liberantur*. Nam Sacramenti Pęnitentiæ, & Confessionis salutare Pharmacum, & Pęnitentiariorum quasi virgas, etsi nesciens, prædicens, sic *Vlysis socios, Circes remediis iam sanos effectos* loquentes inducit Ouidius: Metam. 14.

Spargimur interea succis melioribus herbæ,
Percutimurque caput conuerso verbere virgæ,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis,

Verba absoluendi contraria verbis confitendi, nam hęc adhuc peccatis ligatum, illa verò solutum hominem significant. tum sequitur

Quò magis illa canit, magis hoc tellure leuati
Erigimur, setæque cadunt &c.

Apud Homerum item, eiusdem Sacramenti virtus in eosdem elucet, qui peccatis suis humanam formam amiserant, nam eo sanati,

Viri continuo facti sunt iuniores, quam antea essent, Od. 10.
Et multò pulchriores, & maiores aspectu.

Ne quis verò demens existimet, omnibus Ecclesię honores, aut opes nocere, præter Vlyssem, *Eurylochus eius socius*, hoc est, *Latinus electus*, seu Prędestinatus, ab εὐρὺς & λέγω, *nullum à Circe detrimentum capit, nec mutari potest*. ne quisquam Ecclesiam Romanam, seu Circen accuset, sed suam potius imprudentiam, atque leuitatem, quando Ecclesiæ honoribus, aut opibus auctus, sui animi mores sinit immutari. *Opera* præterea *Circes* Ecclesiæ dominantis, & quotidiana pensa, illa à Poëtis vulgò recensentur: *telas sacras*, ad Sacerdotum, & Altarium vsus argutissimè texere, *Lucos inaccessos*, Templa Cęmeteriorum arboribus vmbrosa *assiduo cantu*, & *voce pulchra* Ib. Aen. 7. Od. 10.

chra musica *personare*. Quodque Altarium iuge lumen ostendit, *tectis superbis*

Vrere odoratam nocturna in lumina cedrum.

De *herbis* item *simplicibus & mixtis*, hoc est, beneficijs *totius mundi cognoscere, atque ordinare*. Atque vt pietas eius in Vlyssem quoque perspecta sit,
Od. 12. vt supra Calypso, *secundo vento vela eius implere*, vtque à *Syrenibus* (voluptatibus) *caueat*, concionibus crebris, *seriò admonere*. Quibus Ecclesiæ
Ibid. modò dominantis opes, potentia, decus, officia, à Poëtis hæc mysteria nescientibus prædicta, ex Sibyllinis oraculis, pellucent. Sed tempus est, vt Circe relicta, ad *Phæacas* Hispanos, *Vlyssem* nostrum quoque deducamus. nam vel nomen *Phæax* capillo *subnigros* atque *nigricantes* eos manifestat, præ-
Od. 6. terquam quod in *hyperia* (puta, hesperia) habitare dicantur, & *extremi in vndoso mari*, ad Oceanum & Solis cubilia Gades. adde quod *plurimos sceptrigeros Reges* Phæacibus *tribuat*, ob multa in Hispanijs regna, *quibus, vt supre-*
Od. 8. *mus, Alcinous à Dijs cõsilia edoctus & omnium princeps populorum imperet*. *Alcinous*, id est, nouus potens, ab Ἀλκὴ & νέος, Philippos Austriacos innuens, quorum felicitas non ita pridem in potentissimam Monarchiam excreuit, quos etiam Homerus per *Nausithoum* indicat, quasi *Deum nauium* seu nauigantium, ob vtramque Indiam ab illis detectam, & classe lustratam. Ideo
Od. 6. & 13 enim Pheacas, *præstantissimos & audaces nautas*, qui *maria omnia sulcent, & quosuis per ea deducant*, verè ille descripsit. *Nausithous* igitur, quod *Escuriacum* inclytum orbis miraculum constructurus esset, id cognata voce per *Scheriam* suam (quasi *Escurial*) Homerus prædixit. in qua *Aedes ære & auro Superbas, cum Hortis, & fontibus amænis, miro Artificio factis*, etiam deprædicat. In hanc autem *Scheriam Phæacas* ait ab *eodem translatos*, cum in *Hyperia lata atque spatiosa ante habitarent*. Quid, quod *Alcinoi hortos aureis* atque *felicibus pomis semper obsitos*, diuites, atque inexhaustas Indiæ orientis & Americæ fodinas, nobis præcinebant, ex quibus Phæaces Hispani *aurea sua poma numquam defectura*, annuatim, imo bis *in Anno*, missa classe *legunt*? Quod verò ad mores subditorum pertinet, *Phæaces* vti *generosos*, atque *magnanimos* Homerus dilaudat, & ob Christi fidem ab ijs susceptam atque propagatam, *Dijs immortalibus caros & affines* facit, & *mercium* siue *commercij cum vicinis populis parum studiosos*. ac licet *superbos vulgò* Alcinoi filia *subditos suos* fateatur, id vitij tamen in vulgus tantummodo serpit, & nobilium virorum mores non inquinat, quorum est singularis modestia Animi, & egregia comitas, atque humanitas. Phæacum item *ingenium bonum mulieribus* tribuit author Odysseæ, & *tractandi viros peritiam*, vt quod *gratum* illis, *bis*
Od. 7. *quoque probetur*. Cum verò *Reginam atque Regis filiam*, à virtute, forma, cæterisque commendat, mira ingenia, ac egregias dotes Reginarum, earũque prolium (quas *Infantas* vocant) non obscurè præcinit. Hispaniam quoque Phæaciam esse, *muli, vina infusa per vtrem caprinum, malus punica ficus, oleæ*, horum *ludicra* (*Taurorum*) *certamina, balnea calida & lauacra*, cœteraque horum similia apud Homerum de ijsdem enarrata probant. verùm præcipuè, quòd *horum nauim bellissimè compactam, in profundo Oceano perituram* fata denuncient, quod ad Hispanicam classem, sub Elisabetha Anglorum Regina, in littore illorum disiectam, pertinere noscitur. Sed eiusdem gentis in Romanam sedem atque Ecclesiam obseruantia futura, liberalitas, pietas, officia, fides, hoc vaticinio *Iouis de Vlysse* satis declarantur:

Die

Die vigesima, ad Schæriam fertilem perueniet, Od.5.
Phæacum terram, qui Dijs affines sunt,
Qui ipsum animo Deum veluti honorabunt,
Mittent autem in naui charam in patriam terram,
Aesque, aurumque abundè, vestemque vbi exhibuerint.

Vlyssem enim Petrum propterea, *in caram patriam deducturos* scribit & (vt alio loco) etiam *dormientem*, quia Hispanorum opera & nauigatione, plurimi vtriusque Indiæ populi, nihil tale cogitantes, & quasi dormientes, filij Vlyssis per fidem effecti, ad charam Patriam cæli peruenerunt. Quæ autem de *Aeris, auri, & vestium muneribus* affert, ad Hispanicarum Ecclesiarnm dona, oblationes, egregium splendorem referre non dubites. sed & ad eumdem Romanæ Sedis, & Ecclesiæ cultum, illa quoque spectant: quod *Laodamas* populorum domitor, Carolus Germaniæ Imperator, *filius Alcinoi* Philippi, *Vlyssi* Petro Pontifici, in suo successore, iuxta Homerum *cedit, & inferior sedet*, vti in Cæsareis Bononiæ sacris factum esse legimus. Od.7. Quod item *Alcinous* vltro & nondum rogatus, *eidem Vlissi filiæ suæ Hispanicæ gētis, nuptias liberaliter offerat*, & *quod eamdem suam prolem de parum honorato Vlysse* (licet immeritò) *obiurgare* velit. Pro quorum mercede, *fortunata omnia in connubio regio, familia, ac prole, dum Vlysses pius apprecatur*, in fortunam Austriacæ domus, quasi digitum intendit, quæ nuptijs varijs contrahendis, in hanc putentiam atque Monarchiam erat euasura. Ad *Læstrigonas* demū *perueniens classis Vlyssæa, vnum è socijs* aspicit *epulandum abripi*, atque *deuorari*, quod Od.10. quidem, ad Antropophagos Brasilos, aliosque Antipodas Barbaros, Ecclesiæ nauis aduentum signabat. hi etenim homines (si homines vocandi) *humanos artus, Tanquam pisces transfigentes, tristes epulas ferebant. multos* Ibid. preterea *sociorum Vlyssis*, ita *confecere*, quorum Læstrigonum *princeps Antiphates, aduersa* nobis *vestigio gradientem*, hominem, siue *ambulantem*, id est, Antipodem, ab ἀντὶ & πατέω connotat. Hic igitur cum Homero & Marone, Ecclesiæ nauis cursum terminamus. nam quæ *de Scylla, & Charybdi, Lotophagis, Cyclopibus, Polyphemo*, alijsque monstris illi meminere, proximo capite *manent* explicanda.

CAPVT XX.

1 Aduersos casus nauis Ecelesiæ, eadem *Aeneide*, atque *Odyssea* esse præmonstratos.

2 In *Insulam Draconis* siue *Tyberinam*, D. Bartholomæi nondum nati corpus, olim aduehendum, de *Vlysse fabula*, aliaque indicarunt.

1 HActenus Ecclesiæ nauis cursu demonstrato, quæ illam procellæ, & aduersi turbines adhuc concusserint, aut diuexare imposterum debeant, superest exponendum, sicut docta Æneis, atque Odyssea, olim prodiderunt. in quibus malis illa enumerantur. primum *Iudaismus*, dein *Gentilismus*, tum *Hæreses*, & *Maometismus*, *Barbarorum*

quoque *irruptiones*, & quæ propria fuerunt Christianorum vitia, aliquorum *Prælatorum Ecclesiæ incuria & negligentia, Laicorum atque quorundam sacerdotum incontinentia, beneficiorum sacrorum possessio iniusta, Simonia*, denique *Antichristus*. hæc enim omnia suis inuolucris fabulæ obenderunt, vti discurrenti per singula patebit. Nam Iudaismum atque Gentilismum, per *Charybdim* & *Scyllam*, inter quæ media Aeneæ & Vlyssis classis nauigarit, plæclarè monstrarunt. *Scylla* enim quasi Συριὰς λαὸς, Syriæ, seu Iudææ *populum*, atque nationem sua voce notat (nam etiam *Cyris* quasi syris dicta) quæ *parenti Nyso* (Christo Nazaræo) *purpureum crinem*, in quo (ob sanguinem eius hypostaticè vnitum) *vita* diuinitas *latebat*, cum vita *auulserit*, quapropter *in auem*, hoc est, gentem vagam commutata, à *Nyso parente in Halyætum* Aquilam Romanam, seu Italam Ecclesiam *translato*, *assiduis* concionibus etiamnum hodie *agitatur*. pręclarè autem Ouidius ob parricidium & Deicidium, Iudæi, in persona Scyllæ, notam pœnam ostendit:

Aen. 3. Met. 7. 13. 14.

Met. 8.

> *Dij te summoueant, ò nostri infamia sæcli!*
> *Orbe suo, tellusque tibi, pontusque negetur.*

Alterum verò *Scyllæ supplicium*, in vrbe Romana ad concionatores Christianos audiendos cogi, Poëtæ per *canes inguina* (circumcisionem) eius *assiduè allatrantes*, scitè expresserunt quos à *Circe* Ecclesia dominante *datos* ideo scribunt, quod *Deum Glaucum* & *parentem* suum, Petrum Galilæum *marinum senem atque Piscatorem, sertum offerentem* (regale Christi Sacerdotium) superbè, & cum pertinacia, horrore, & contemptu *fugisset*. *De his* verò *canibus, quos Scylla odit*, & *inuita patitur*, ita Ouidius

Met. 14.

> *non credens corporis illas*
> *Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque*
> *Ora proterua canum,*

quod superstitionem eius assiduis concionibus *proterat*. *petitam* autem à *plurimis procis*, nempe à Prophetis, Apostolis, atque ipso Christo, *eamdem Scyllam* idem Ouidius docet, & quondam *formosam Virginem* Poetæ fecerunt, verùm *pube tenus*, & vsque ad circumcisionem iniustè retentam, nam ab illa, in *pristim* siue monstrum *desinit*, *supernè formosa*, ante Christi aduentum & Euangelium, *infernè* autem, & eo audito *fœdè degenerans*. liquet porrò, cur ei in *specubus domicilium* assignent, cum Romæ & alibi terrarum Iudæi seorsim morenrur, & nonnisi furtim in alijs ferè regionibus degant. Vnde Virgilius:

Met. 13.

Aen. 3.

> *At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,*
> *Ora exertantem, & naues in saxa trahentem,*
> *Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
> *Pube tenus, postrema immani corpore pristis:*

Nam ad Catholicos, aliosque ad *saxa*, seu saxeos suos cultros pertrahendos, qui corporis præputium auferunt, frequens *ora exertat* suadendo atque prędicando, vnde Paulus de Iudæis queritur, quod *omnibus hominibus aduersentur, neque Deo placeant*. At Scyllæ opposita *Charybdis* (Gentilismus) quoque deuitanda, *grauius Scylla malum*, ob cultum falsum Idolorum, *quæ naues* integras Ecclesiarum *absorpsit*, cum persecutiones Ecclesiæ feruerent, quam is has *reuomuerit* tempore Constantini Cæsaris, quando Ecclesia tot sæculis retro, quasi demersa, ad *sidera* & *cælum* repente *sublata* est. Gentilismus autem, nauim Ecclesiæ infestans, non sola *Charybdi*, sed & *Turni bellis*

cum

cum Aenea in Latio gestis, aptè describitur. de quibus sequenti capite erit explicandum. sed præter hæc mala, innumeræ Hæreses tanquam *immanes venti & turbines*, Vlyssis & Aeneæ Petri nauim agitarunt, vnde de *Harpyis*, *Lotophagis*, & *iniustis Penelopes procis*, fabulę extiterunt. Quamquam per *Harpyias*, non tã generatim ij, quã potissimè Hollandi, tot retro sæculis à Sibylla præuisi, qui quidem *obscænæ volucres maris* appellantur, quia suis nauibus non solum *Insulas Ionio in magno*, sed maria omnia quasi *circumuolent*, ob hæresim nihilominus fœdi & *obscæni*. dicti verò *Harpyiæ* ab ἁρπάζω rapio, quod Catholicorum Templa, bona sacra, et beneficia essent direpturi. *Insulas* verò *strophadas* incolunt, hoc est, *commutatas*, nempe in deterius, et Hæresi *peruersas* à Στρέφω conuerto, idque Aen. 3.

Phineia postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores. Ibid.

Postquam illis Harpyis occlusa *Phineia*, seu *Hispanica* regna ob rebellionem, *mensas priores* nempe Eucharisticas, idololatriæ fatuo, et panico *metu reliquere*. Per *Phineum* enim *Hispanum* fabulæ prædixerunt, qui *Iasonis*, hoc est, IESV *nauim* Ecclesiam *hospitio accepit*, quem *Harpyiæ quoque*, hæretici ab eo fugati, qui in eiusdem regno versabantur, *assiduis bellis vexauere*, vti in fabulis de his proditum est. *Harpyiarum* autem Lutheranorum, et Caluinistarum, apud Virgilium encomia hæc legis:

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum, Stygijs sese extulit vndis,
Virginei volucrum vultus,

ob simulatam puta pietatem, quæ Christum identidem prædicat, et Euangelium, atque bonos mores, verùm

fædissima ventris
Proluuies, vncæque manus, & pallida semper
Ora fame,

auri et argenti, quia ventri supra modum dediti, rapinæ, et auaritiæ, Quod autem *intactu immundo* atque sacrilego, in bello sæpius Eucharisticas *Aeneæ* Petri *dapes polluerint*, et altarium ignes extinxerint, propterea Aeneas Petrus apud Virgilium hoc modo loquens, ac præuidens Hispanica cum Hollandis bella inducitur:

Socijs tunc arma capessant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Illas igitur

Inuadunt socij, & noua prælia tentant,
Obscænas pelagi ferro fædare volucres
Sed neque vim plumis vllam, nec verbera tergo
Accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam, & vestigia fæda relinquunt,

suæ puta Hæresis, in quæcumque loca Hispano subiecta *è cæcis latebris* suis irruperint. superbiùs itaque quàm veriùs *se insontes*, apud eumdem Virgilium, nec *patrio regno expellendas* iactant, quando tot scelera erga sacerdotes, atque templa Christi atque altaria impunè admiserint. Verum de *Harpyis* satis, aquibus etiam *Vlyssem* sine gloria *raptum*, apud Homerum, *Eumæus expostulat*. De *Lotophagis* quoque agendum est, qui *Loutherum*, atque eius dogma, suo vocabulo, atque *Loto* referunt. quem *florentem Cibum* Homerus Od. 14.

propterea *appellat*, quod præter *florem*, & verborum speciem, nihil veræ fidei degustandum præbeat. At illi *mellea suauitas inditur*, quòd omnia, quæ carni molesta, hæc hæresis respuat. Sed *Loti*, siue Lutheranæ doctrinæ *fructus*, & venenum, quòd eam *gustantes, reditus in Patriam* Cęlestem fędè *obliuiscantur*. Quamobrem nemo *sæuitiam in Vlysse* Petro, aut Romanæ Ecclesia causetur, cum ad *Lotophagos socios commorantes*, & *deficere volentes*, tanquam Apostatas, *ad* Ecclesiæ *nauim violenter reducit*, & *sub transtris alligat*, & *in vinculis* relinquit. Nam vbi

IS. *Digressi socii venerunt ad viros Lotophagos,*
Neque sanè Lotophagi cogitauerunt socijs mali quidpiam
Nostris, sed ipsis præbuerunt Lotum gustare,
Horum autem quicumque Loti edissent, æquè ac mel, suauem fructum,
Non iam renuntiare rursum volebant, neque redire,
Sed illic volebant cum viris Lotophagis
Lotum edendo manere, reditusque obliuisci,
Hos ego quidem ad naues reduxi, flentes necessitate,
Nauibusque in cauis sub transtra ligaui attractos.
Cæterum alios iussi iucundos socios
Festinantes, naues conscendere celeres,
Ne fortassis quis Lotum comedens, reditus obliuisceretur.

Od. 2. & 13. Adeò igitur Hæreticorum consortia vitanda, quos etiam *Proci Penelopes superbi*, atque *impudentes* bellè delineant. horum enim *opera* enarrantur: *Penelopen*, Diuinam Mulierem, castam Petri, seu *Vlyssis* sponsam, illos assiduè
Od: 2. 14. *fallentem, procari*, & *nuptias ambire*, quod Ecclesiam Christi ipsos irridentem ad se pertinere stultissimè credant: In *Vlyssis domo*, Ecclesijs ab ipsis vsurpatis, *illius bona, facultates amplas* in Templis, & eorum ornamentis, &
Od. 17. 20. benefitijs pinguibus, & opimis sitas, *abligurire*, atque *consumere*, vt *malos Pastores*, gregem, & *pecora* Vlyssis *perdere*: *famulas eius* Ecclesias, in *Aedibus pulchris*, Templis Christianis ab ipsis per vim occupatis, prauis dogma-
Od. 14. tibus *corrumpere, atque violare.*. Tametsi *aliquam Dei vocem audierint*, ob Euangelium, quod quotidie tractant, *numquam, vel vnicam* Deo *victimam*
Od. 22. *offerre*: *terrestrium hominum*, siue Diuorum, siue Doctorum, seu Superiorum, siue *boni*, seu *mali* ad ipsos *venerint*, *neminem honorare*. Ob quæ facinora, *Vlysses* à nemine agnitus, cum *Telemacho* filio, Pontifice Romano,
Od. 22. 24. *mortem*, *atque fatum derepente afferens*, *atque orco demittens*, eos similiter a Romanis olim perituros portendit. Quod *Aquilæ* Homericæ *ab Ioue*
Od. 2. & 20 *dimissæ*, *maxillas* horum *laniantes*, bellè significant, sicut & *portentum* alterius *Aquilæ* timidam *columbam vngue rapientis*. Sed & operæ quoque pretium cognoscere, qui perdendis procis, præter Telemachum, *Vlyssem* sua opera *iuuerint*, in quibus *Eumæus*, seu *bonus Latinus* à voce εὖ Græca, & *Ma* hebraica, & Romanas *Aquilas amans Philætius*, quas quidem *vbicum-*
Od. 22. *que* suum *corpus* mysticum *fuerit*, quod est Ecclesia, *ibi congregandas*, Christus asseruit. quibus socijs Vlyssis *Mentorem Alcymedem* addit Odyssea, Carolum Quintum, Germaniæ *fortem Imperatorem*, quod voces ἀλκὴ, atque Μέδω sonant, & à Regia Sede, atque Metropoli Hispaniæ *Mantua* Carpetanorum (& hodie *Madrito*) *Mentorem* vocatum, cuius præcipue industria, studium, atque virtus Hæreticis *procis opprimendis* sudauit. Quod verò *iisdem*

iisdem occisis, locum, vbi periere, & *thronos pulchros*, atque *mensas aqua, & spongijs, & scopis repurgant Vlyssis famulæ*, id ad Altarium, Templorum, Sedilium, atque Cathedrarum, ab his pollutarum, & profanatarum reconciliationem, & nouam quasi consecrationem, per Sanctos Ecclesiæ ritus liquet pertinere. Sed *procorum nomina* eosdem præterea Hæreticos arguunt. *Antinous* enim & *Liodes*, *Martini Lutheri* voces cognatæ sunt, Martinum quidem per *Antinoum*, quasi Artinoum, dempta prima littera innuentes, Lutherum verò per *Lioden*, cum Lutherus *Luder* à Germanis quoque vocitetur. *Lioden* autem *Oenopis* filium facit Odyssea, ab οἶνος vino, quia *vinolentus*, ideò ad *craterem pulchrum sedens* describitur: *Stoliditates* autem *cœterorum odisse, & cunctis irasci*, quòd aduersus procos suos Sectarios scripserit, etiam multa stomachosè. Hunc porrò *Liodem* à *suis vatem* esse *habitum*, verè quoque narrat Odyssea, cum magnum Prophetam Lutherum Hæretici decantent. Eumdem verò *Antinoum*, siue Martinum *Eupitis filium* esse dicit, quia *suadendo* efficax, & disertus fuit. Iam Geneuensem quoque Hæreticum, siue Gebennensem, per *Euenidem*, quasi Geuenidem, dempta prima litera, in memoriam reducit, & per *Polybum bellicosum*, Bezam, *seniculum*, & *viuacem*, nequiter aduersus orthodoxos *bellantem*. Cœteros verò generatim per *Dolium* dolosum à δολὸς, *Eurymachum* contra Latinos pugnantem, ab εὐρὺς lato, & Μάχομαι pugno, *Eurydamanta Latinum* vulgus corrumpentem, seu *domantem*, *Demoptolemum* Populum bellatorem, vti rusticano bello Germaniæ patuit, & sic de cęteris. Sed nullius hęretici proci nomen sic elucet, atque *Melancthonis*, quem quidem *Melanthium* vocat, & *Dolij filium*, & *custodem* hęresi fętentium *caprarum*, & *pecoris edendi authorem*, seu carnium, puta etiam sacri ieiunij tempore ab Ecclesiâ indicti. sed & *Ioannem Husium* per *Anserem* indicant (vti pręfert nomen) ab *Aquila* ex *stabulo* hęreseos *correptum*, quia ab Ecclesia Romana in Oecumenico Concilio damnatus, ignis supplicio affectus est, vtque Anser tostus. sed & de ijsdem procis, dignum obseruatu, quod *contra Vlyssem* Petrum *depugnantes*, sua ex *Vlyssis thalamo furtim reserato* arma cuncta educāt, qui quidem Diuinas Scripturas bellè significat, in quibus, vt molli grabato, Ecclesia assidue meditando quiescit. Itaque minimè imprudenter, *ianuam lecti sui* Vlysses *obserari iubet*, vt *sibi solùm*, & filio *Telemacho pateat*, quo lectio Scripturę lingua vernacula, olim prohibenda vulgò monstraretur. Et dum *procos* Homerus *inter dapes, atque vinum canentes* inducit, Hęreticorum Psalmodiam docet, & *cœnam panis, atque vini* ab ijs sumendam. Cùm verò *Vlyssis, & Herculis arcum* in medium *profert*, & à *Penelope* ipsis *procis oblatum, quem præ imbecillitate intendere nequeant, verùm abiiciant*, enimuerò declarat hos Christi, atque Petri Crucem, seu corporis pęnas, & afflictationes, ob nimiam mollitiem animi, & infirmitatem, minimè suscepturos, aut ijs vsuros. Sed et horum mores haud malè ex eo notantur, quod Religiosos *Mendicantes oderint*, qui Petrum Pauperem externo suo cultu referunt. Nam ideò *Vlyssem* Homerus *baculo ad viā lubricam superandam instruit*, & *in Humeris pera*, densis *scrutis rimosa*, *cum tortili fune*, & *mala*, & *detrita veste*, quibus Mendicantes, potissimè verò Franscistanos, pulchra hypotyposi ob oculos ponit. *Quem* quidem *proci calce impetunt* non iniquè ferentem, *nescij se Vlyssi* in hoc *insultare*: vnde stomachosè *aduersus eum*, qui *in ædes Vlyssis mendicam* induxerat,

Od. 22.
Od. 20. 21.
Od. 20.
Od 22.
Ib.
Ib.
Ib.
Ouid. Epist. Heroid.
Od. 15.
Od. 22.
Ib.
Od. 21.
Od. 17.

Cur

Ib. *Cur tu hunc ad Ciuitatem*
Duxisti? an non satis multi errones, & Alij
Pauperes tristes, conuiuiorum destructores?

Od.17. Et quamuis *nonnulli procorum peram eius pane, ac carnibus impleant*, haud tamen cessat *Antinous* Martinus sic maledicere:

Ib. *Ecquis Deus hanc pestem adduxit, conuiuij tristitiam?*

Et ad *Telemachum conuersus alius*, quasi improperando, quod istos Mendicorum Ordines institutos probarit, & *suæ domus* (Ecclesiæ) *hospitio acceperit*:

Telemache, non te peior hospitum exceptor alius,
Qualem quidem hunc habes famelicum erronem,
Panis, & vini indigentem, neque operum
Scientem, neque fortitudinis, sed inutile pondus telluris.
Sed si me audies, quod multo vtiliùs erit,
Hos hospites in nauim multiiugam coniectos
Ad Siculos mittemus, vnde quis dignum pretium referat.
Sic dixerunt Proci: hic verò non curauit verba.

Horum igitur interitu supra à nobis descripto, superest, vt eorum quoque supplicia discamus, qui se Catholicos simulantes, furtim hæresi alios inficiunt, & de Pontifice Summo, atque Ecclesia Romana abiectè loquuntur, &
Od. 22. conuitiantur, quos quidem per *Ancillas Eurycleam* Ecclesiam Romanam, & *Penelopen* Ecclesiam Christi, *impudentia* quadam *inhonorantes, & cum procis furtim coeuntes* Odyssea prædixit. *Has* autē ab *Euryclea* Ecclesia Romana *anu olim genita*, quia antiquitate sua venerāda, *Vlyssis*, seu Petri in filijs Christianis *nutrice*, & *famularum speculatrice in domo eiusdem*, quæ est Ecclesia, *vocatas, citatas, atque comprehensas*, censuris Ecclesiæ *Telemachus suspendit*, & excommunicationis *acuto gladio* medias *diuerberat*, atque *ani-*
Ib. *mas aufert*. Quin & *domum suam*, vbi illæ pereunt, *igne, & sulphure fumigandam* curat, atque *repurgandam* diuinus Vlysses, quo Inquisitionis Sacratum Tribunal, in eiusmodi reos hæreticos igne animaduertens, verē præuidetur, quo igne quoque Ecclesia *Sacra* Petri *Domus* ritè repurgatur. Ve-
Ib. ræ autem *Vlyssis famulæ* (pij Catholici) hoc indicio ab Hæreticis differunt, atq; dignoscuntur, quod *tædas* in manibus *gestantes*, atq; *circumfusæ*, Apostolorum limina adeuntes, *Vlyssem salutent*, atq; *osculentur*, in reliquijs eius eū *amplectentes*, præcipuo studio *caput, & humeros*, atque *manus eius*, quæ Roma conseruat. Verùm vt de Procis semel omnia dicantur, *Penelopes tela*
Od.19.24. *imperfecta* restat absoluenda, *qua* quoniam *tegendum Vlyssis* mariti *corpus Penelope* vxor fateatur, satis equidem constat, ea tela Templum, & fabricam Diui Petri in Vaticano Monte intelligi oportere, cum nonnisi serò absoluenda, atque *consummanda*, sacratum Ecclesiæ *Penelopes sponsi corpus operiat*, quæ quidem Basilica, seu regia *tela* extruenda fuit, primum *ne vana fila eius perirent*, hoc est, ne Romanæ Ecclesiæ opes in alios superfluos atque vanos vsus conuersæ interirent, tum quòd *turpe esset, Vlyssē* Petrum, qui *tam multa* (tantos Ecclesiæ vniuersæ populos) vt supremus Princeps *possederit*, non sic *honorari*, & *nudum sine veste*, tecto, seu Templo *relinqui*. Templum autem eius vetustum dirutum & ac nouum constructum locum fabulæ fecit, *de tela* Penelopes *interdiu texta, & noctu retexta*, nocte vetustatem, die nouitatem scitè interpretantis. Hæc igitur de Procis, Loto-

pha-

phagis, & Harpyis fatis, ad grauius enim Ecclesiæ malum (quod Mahometismus) cum *Vlyssis rate* nobis accedendum. quem per *Camarinam*, hoc est, *Gamerinam* siue *Cimmeriam terram*, & *tenebras* Poëtæ expresserunt, quę quidem *terra Camarina apparet procul*, quia à Christianis Mahumetani remoti, neque *fata concedunt* loco *emoueri*, quia frustra cum Turcis ad eos delendos, adhuc bellatum est, quod illa *Hiericho* (Luna) Turcicorum sponte casura sit, vti supra dictum. *Maometismum* item per *diram Cæleno*, Σελήνην, seu Lunam, Turcarum insigne, Virgilius expressit, *Insulas Ionio in magno* adhuc occupantem, ex *Harpyis vnam*, quod plurimas Christi Ecclesias etiam *rapuerit*, & *vaticinantem*, quia Mahometem diræ sectæ authorem, vt maximum Prophetam, dementer extollant. Homerus autem per *Nigrum Pontum*, vulgò (*Negroponte*) à Turcis possessum, *quem Vlyssis nauis effugere* dicitur, hanc eamdem sectam nefandam declarat. Alij autem Poetæ, per *Centauros*, hoc est, *Cerotauros*, seu *Taurocornutos*, ob cornua Lunæ, Turcæ insignia (quos Virgilius cum Iudæis *Scyllis*, & *hæreticis Harpijs* in inferis *locat*) & per *Minotaurum Veneris*, seu coniunctionis *monimenta nefandæ*, quod Christianismum cum Iudaismo superstitio illa nefariè copulet. Id autem *biforme monstrum in Labyrintho* habitare fingitur, quia quisquis Turicam ditionem captiuus intrarit, inde exire nequeat, sed *ab illo monstro* in corpore (& anima nonnumquam) dirè deuoretur. Ac Cretæ hodie magnam partem in *Labyrinthum* hunc esse conuersam, magnopere dolendum, vt de eadem *tellure Gnossia* à Marone, vel potius Sibylla, verè sit prædictum; Aen.

Hic crudelis Amor Tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mistumque genus, prolesque bimembris Aen.6.
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ,
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

per *Pasiphaen* enim gẽtem Turcarum, *totam nigrã* erroribus & tenebris Cimmerijs indicat, quæ *amore* sui Maometis, siue Minotauri *crudeliter furit*. Quod verò *Labyrintho Theseus* filo Ariadnes *euasisse* dicitur, victoriã Christianorum, ad Naupactum signabat, in qua IESVS (is est *Theseus*) in suis Christianis, *filo Ariadnes*, Mariæ Danaæ siue Iordaneæ, Virginis Matris rosario, quod *filo* nectitur, superior euasit, *Minotauro* siue Turca *cæso*. patet igitur ex dictis, cur *Cyprios* Naso in *boues cerastas* seu Tauros *commutet*, quia Cyprij à *Tauricis* seu Turcis, quondam occupandi, *cornua* illa *Lunæ* infelicis gestare debebant. Et quia *Maometani* circumcisionem per *saxeum cultrum*, vt Iudæi suscipiunt, *Propontidis incolas* idem Ouidius, quos *Propætidas* vocat, in eorumdem circumcidendorum potestatem venturos, *in saxum*, seu silicem conuersos hoc modo describit:

Sunt tamen obscenæ Venerem Propætides ausæ
Esse negare Deam (Dei matrem) *sed sunt pro Numinis ira*,
In rigidum paruo silicem descrimine versæ.

Maometum porrò sectæ nefariæ authorem, variæ fabulæ etiã prędixerunt, vt illæ de *Momo*, *Dædalo*, & *Marsia* ab Apolline supplicio affecto. *Momi* siquidem seu *Maomi* vocabulo *Maometi* affini, hanc significarunt, quod ex omnibus sectis aliquid carpendo, siue decerpendo, omnes præter suam *reprehendat*, ac *damnet*, ac per consequens *Deum* Christianismi authorem, vnde *Momus irrisor Deorum* vocatus atque *reprehensor*. Et hunc *somnó Patre*, & *nocte parente* Hesiodus *procreans*, sectam eius indicat totam ex tenebris errorum

iorum, & somnijs confictam. *Dædalus* modò Græcè Δαίδαλος, varius, Idem Maometus, & simili de causa, quia ex *varijs* superstitio illius conflata. idem ingeniosus *sectæ* nefariæ *artifex* atque *Labyrinthi*, captiuitate puta Christianorum, ex qua difficilis exitus, *gelidas ad Arctos* Constantinopolim *euolasse* fingitur, eo quod eo celeriter secta peruenerit. Nam

Aen.6. *Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna,*
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

Minoia portò *regna* Christianismus, in quibus *Minos*, Iudæus per excellentiam Christus, dominatur, qui & *iustissimus Inferorum Iudex*, & cuius filius *Androgeos*, *vir terræ* viuentium Christianus, à *græcis seu Cecropidis peremptus* per varias hæreses, causa fuit, cur *Minotauro* seu Maometismo, in suis filijs, tandem sint *traditi*. Vnde Virgilius

Nam pendere pœnas
Aen.6. *Cecropidæ iussi, miserum septena quotannis*
Corpora natorum &c.

quod & alia fabula *Cecropum*, seu *Cercopum* ostenditur, in *Simias*, hoc est, *Mahumetanos*, qui omnes sectas, vt *Simiæ* quædam imitantur, ob scelera sua *mutatorum*:

Quippe Deum genitor, fraudem & periuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutauit, vt ijdem
Dissimiles homini (Christiano) *possint, similesque videri.*

Sed vt ad *Dædalum* nostrum redeamus, id faustum vaticinium Sibyllæ putandum est, quod à *Creta euolans Icarus*, eius proles, *in Icarium mare*, cui nomen fecit, *lapsus interijt*. quo discas, Dædali Maometis posteros, non solùm ea Insula abituros, sed & in *Aegeo* forsan demergendos. Sed nihil æque Mahometum adumbrat, ac fabula *Marsiæ sua pelle nudati*. *Marsyas* enim, id est, Aegyptius (nam *Mersen* Ægyptum hæbræi appellant) eò quòd eius religio ibi propaganda: hunc autem *Marsiam Celenis cum Apolline cantu tibiarum certasse fert fama*, quia *Celenitæ* seu Lunati Turcæ, à græco Σελήνη, Maometem suum cum Apolline Christo non modo componunt, sed etiam præponunt. ob quod sectæ impiæ dogma, idem *Marsias* Mahometh *corio spoliatus* propterea dicitur, quod quadam mentis cæcitate à Christo permissa, in pænam sceleris, circumcisionis, qua pellis aufertur, in adulta ætate, grauissimos dolores subire coactus est, vt pestiferum dogma exemplo sanciret: vnde Ouidius

L.in D.4. I.8.

Hunc Tritoniaca Latous arundine victum
Met.6. *Affecit pæna.*

Clamantem autem illum inter circumcidendum, & facti, & doctrinæ insanæ quasi pænitentem, ingeniosè in hunc modum proponit:

quid me mihi detrahis? inquit.
Ah piget, ah non est (clamabat) tibia tanti!
Clamanti cutis est summos direpta per artus,

Et Apella factus. Certè enim *tanti* non erat *tibia* deceptrix, & Alcorani doctrina, seu *fistula*, quamtumuis suauis, vt circumcisionis acerbos dolores pro hac pateretur. sed quia plurimos sectatores habet, & ad sepulchrum eius præcipuè confluunt, qui *bucera*, hoc est, *cornuta* & *Lunata armenta* Mahumeta-

metanos *pascunt*, impij cultus sacerdotes, ideo Ouidius.

Illum ruricolæ Syluarum Numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus

Græciæ mons

Et Nimphæ flerunt, & quisquis montibus illis
Lanigerosque grege, armentaque bucera pauit.

Ac de Mahomete nimium forsan hactenus, ad Barbarorum irruptiones venimus, quæ Petri nauim maximè quoque infestarunt. quos per *Cicones quærentes*, puta, nouas sedes Homerus vult intelligi, à græco κικω quæro, *asperos Thraciæ populos*, nam ex ea plaga Gothi siue Getæ, Hunni, Eruli, Vandali, alijque innumeri barbari, in Romanum Imperium eruperunt, illudque vastarunt, et Ecclesiam Christi erroribus varijs fędare tentarunt. quam irruptionem sic Homerus narrat: *Venerunt continuò* (Cicones) *quot folia & flores sunt vere matutini*. Quia autem *Getarum* multi in Italia quoque cadere debebant, per *Caietæ sepulchrum* in Latio Virgilius expressit, nam à Geta, *Caietæ* vrbis nomen fluxit, apud quam Gothi ad internecionem deleri debebant: de qua Virgilius

Tu quoque Littoribus nostris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam Caieta dedisti.
Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.

nam quę victis gloria? *Geta* autem *Aeneæ* Petri *nutrix*, quia plurimi eorum ad fidem conuersi, Ecclesiam Christi promouerunt, alij autem in suis fouerunt atque honorarunt. fuere illa quidem extrinsecus illata Ecclesiæ damna, quæ verò sequuntur, domestica fuere. In quibus non leue, aliquorum, qui eidem Ecclesiæ præsunt, incuria & negligentia, quam per *Palinuri somnum* atque *casum Aeneæ Socij*, & *pelago* & *cælo* sereno nimium *confidentis* docta Æneis monstrat. nam is *lethæo* & *stygio* quodam *sopore oppressus*, *gubernaculum*, seu Cathedram, per mortem amittit, *in mare* huius sæculi *lapsus*, & fluctuans, quod statim ac summus Ecclesiæ Rector ac Pater Aeneas Aen. 5.

Sensit, & ipse ratem nocturnis rexit in vndis. Ibid.

Etenim tamquam bonus Pastor Ecclesiæ particularis necessitati consuluit, in illo interregno, & Episcopatu vacante, *nauim* eius *regens*, atque inter regendum

Multa gemens, casuque animum concussus amici.

sequitur alia Christianorum labes ac macula, Laicorum, & aliquorum sacris initiatorum, incontinentia, quando pellicatui tot Ecclesiæ legibus, vetito implicantur, atque voluptatibus fædis sese dedunt. quod malum Ecclesiæ Sibylla, & ex ea vates persentiscunt, dum *mulieres*, animæ effeminatæ, *pertesæ laboris*, & continentiæ, ad perueniendum in patriam celestem, necessariæ, Aeneę seu Petri *nauibus* fædos Luxuriæ *ignes iniiciunt*, *quos* postquam *magno labore*, ardentibus precibus, atque miraculo *extinxit Aeneas*, in Patriam pergens, huius facti *reos*, tanquam *inualidum vulgus*, & innutiles sarcinas, in via *deponit*. Eamdem calamitatem, per *Sirenum cantus* voluptates describunt, *quæ ad se attractos homines ex Vlyssis naui*, cum perfidia *deuorant*, vnde *Sirenum scopuli multorum ossibus albentes* finguntur, nam nauis Aeneæ apud Virgilium Aen. 5.

Iamque adeo scopulos Sirenum aduecta subibat

V *Dif-*

Aen. 5. *Difficiles quondam, multorumque oſsibus albos.*

Sirenas autem *euadendi remedia* apud Homerum : *auris cera obſtructa* voluptatum fugam ſignificat, & *Vlyſſes ad malum nauis à ſocijs alligatus*, idque *pluribus moleſtis vinculis, quando ſolui cupit*, ingreſſum in religionem ſuggerit, optimum aduerſus Sirenas antidotum, vbi votorum vinculis homines adſtringuntur, & ſolui ſiue deficere ab ea volentes, etiam alijs vinclis, ſiue carceribus incluſi ligantur. Sequitur aliud Eccleſiæ malum, beneficiorum ſacrorum per laicos, aut indignos, commendæ titulo, aut alio colore, poſſeſſio iniuſta, quod per *boues ſolis deuoratos*, & *pinguia pecora* innuit Odyſſea, quia ſacerdotia, ſeu beneficia ſacra, quibus victimæ, ſeu ſacrificia Miſſæ ſunt annexa, per *boues* hoſtias *ſolis* Iuſtitiæ Chriſti ritè deſignata, huiuſmodi perſonæ indignè *comedunt*, ſub *commendæ* aut alio nomine, qui nec ſacerdotes, nec ſacris ſunt initiati, vel qui pluribus beneficijs gaudentes, plura officia, ſeu ſacrificia, perſoluere nequeunt, *quod facinus immiſſo fulmine* in Vlyſſis *nauim Iupiter* ſeu Iehoua Pater *vlciſcitur*, *quo ſocij illius* affines huius criminis *pereunt. immortales* porrò *boues illos* ſcribit Odyſſea, quia beneficia Eccleſiæ ferè in perpetuum fundantur, & *fætum non edere*, vel quod ad Hęredes, ſeu filios non tranſeunt, vel quod ex ijs eoſdem ditare non licet. atque vt pateat, ſacerdotia illa, ſeu beneficia ſacerdotijs deuincta, & ab his poſſeſſa, qui ordinibus carent, aut qui plura habent, aut aliàs, minimè idonei habentur, his *bobus* ſignari, qui eos *mactant, excoriant, ac deuorant*, ſeu eorum bona, tametſi *precentur*, canonicas horas recitando, non *habere tamen hordeum album* ibidem dicuntur, neque *vinum libare ſuper incenſa ſacra* (quibus ſacrificium panis atque vini apertè indicatur) atque *adipe cooperire* boues *duplicantes*, per quam *duplicitatem*, beneficiorum pinguium pluralitas quoque declaratur. Supereſt omnium grauiſſima Eccleſiæ clades atque pernicies, *Antichriſti regnum*, vel potiùs tyrannis, nam de Simonia per *Aeoli ventos bouis corio incluſos*, & ob aurum *recluſos*, ſuperius actum, quem quidem Antichriſtum, per *Polyphemum Vlyſſis ſocios deuorantem* Poetæ, ex Sibyllinis oraculis, prædicunt. Eſt autem *Polyphemus*, vir *multi nominis* ſeu *famæ* malę à πολὺς & φημη, quia multorũ vaticinijs atque ſermonibus infamia eius celebratur. *Patria Siculus*, *quod* ob Aetnos ignes ibidem continuo ardentes, hunc *hominem peccati* ab inferis emerſum ſignificare fictè voluerunt. Cæterum cum de Polyphemo Virgilius agit, hoc modo quaſi horrens exclamat:

Aen. 3. *Dij talem terris auertite peſtem!*

Illumque depingit

Monſtrum horrendum, infame, ingens.

Item *Arduum*, & *Cœlos vertice pulſantem*, non quod mole corporis talis ſit futurus, ſed ob magnum Imperium, ſiue tyrannidem, qua in totum Orbem dominatum proferet: Ei autem *oculum vnicum ingentem* media fronte conſtituunt, &

Argolici clypei, & Phæbææ lampadis inſtar,

Quo prudentia eius magna, ſed externa, carnalis, & diabolica ſignatur, ſine interno, & ſpirituali vllo lumine, per quam in totum Orbem ſibi ſubiectum, vti Solis lampas, deſpicere poterit, vnde *Cyclops* à κυκλός, & ὄπτομαι dicitur, quaſi *cyclum*, ſeu *circulum* vniuerſi *intuens*, quem *oculum* illi *Vlyſſes adimere* fingitur, & *eo excœcato fugere*, quia Eccleſiam Petri tota aſtutia ſua perdere

Od. 12. Aen. 3.

dere nequibit, nam hunc effugiet, in abscondita quadam solitudine, raro licet numero Christianorum degens, vnde in fabulis *Aeneæ, ac Vlyssis nauis* in Polyphemi *manus non incidit*, sed ab eo seruatur. & *Vlysses* Petrus, quia rarus tunc temporis Christianus erit, οὔτις, siue *nemo* vocabitur, & *nemo ille* monstrum istud eludet, atque *oculum aufert*. Porrò Antichristus Atheus, & blasphemus erit in Deum, & Sanctos, eorumque contemptor, vti Sacræ Literæ etiam testatæ sunt, & blasphemias nostri *Polyphemi*, & *Numinis contemptum* sic Poetæ canunt: Aen.3. Od.9.

Stultus es, ò hospes, Ib.
Qui me Deos iubes, vel timere, vel obseruare,
Non enim Cyclopes Iouem à capra nutritum curant,
Neque Deos beatos, quoniam multò præstantiores sumus,
Neque ergò Iouis inimicitias euitans parcam,
Aut tibi, aut sociis

Item Ouidius:

Aspice sim quantus, non est hoc corpore maior Met. 13.
Iuppiter in Cœlo, nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare Iouem.

Item

Immitis & ipsis
Horrendus syluis, & visus ab hospite nullo Ib.
Impunè, & magni cum Diis contemptor Olympi.

Et quia Diuinas leges pessumdabit, vt *nec iura doctus, neque leges*, ab Homero spernitur. *Pastor* quoque dicitur, & eius *vnica voluptas* innumeros *greges educere, & ouili claudere*, quia Antichristus (vti Christus) se verum, & vnicum Pastorem animorum dicet, & profitebitur. sed immanis eius nequitia erit, quod Ecclesiam Christi persequendo, quoscumque oblatos, sibi Christianos crudelissimis supplicijs cruciatos necabit. hinc Polyphemus *socios Vlyssis vorans* inducitur, hinc *Aula eius sanguine, & sanie repleta*, hinc *visceribus miserorum vesci*, hinc sub illo Acis, siue Ioachæus, is est (*Christianus*) perpetuò trepidans, *& in deserto radicibus herbarum*, alijsque asperrimè *victitans*, tandem ab *eodem obrui*, & in *fluuium*, nempè lachrymarum, *verti*. hinc denique *hospitibus omnibus*, hoc est, peregrinæ, & à sua differentis sectæ hominibus, describitur *infensus*. Sed quoniam non solus ille hæc immania facinora patrabit, sed cum multis asseclis, quorum opera vtetur, hinc *Cycoples* Polyphemo socios attribuit Aeneis: Od.9.

Aetneos fratres, Cœlo capita alta ferentes, Lib.3.
Concilium horrendum.

In quorum terris *omnia inarata, & inseminata prouenire*, ait Odyssea, quod rapinis omnium mundi Regnorum, et præcipuè bonorum Ecclesiæ pascentur, ex quibus ad extremum liquet, cur *Iouis irati fulmen fabricari* in Aetna *Cyclopes* dicantur, quia ob iram *Ieouæ*, seu Dei, hæc monstra, hæ pestes Mundum terrefacient, et illius vltimam ante iudicium, atque sæuissimam iram, quasi *fulmen*, cudent, atque exequentur. Sed ab his horrendis, ad amæniora paullò conuertamur.

2 Quoniam in Vlyssis historia versamur, non iniucundum erit cognoscere (vt Odysseam modò concludamus) cur *vnus sociorum eius*, cui *Draco* nomen, *Sacello* ab Vlysse *in Lucania* constructo, vti scribit Strabo, honoratus

tradatur? nam ea fabula Bartholomæi Apostoli in Insulam Tyberinam translati (vulgò *locum Draconis*) historiam respicit, qui *vnus è sociis Vlyssis*, seu Petri, tanquam Apostolus, *in naui eiusdem*, id est, Ecclesia promouenda sudauit. Dicta autem illa *Insula Draconis*, quod Bartholomæum metaphoricum *Draconem*, et quasi *Serpentem* hospitio quondam erat acceptura. Vti enim Draco, siue Serpens pellem corporis ponit, seque excoriat, vt commodiùs viuat, sic Bartholomæus pro Christo, et vita ęterna sua spontè passus sibi pellem detrahi. Et Insula Tyberis eius ædicula, *Sacellum* vocatur, ideòque *in Lucania* situm, et constructum ab Vlysse, quod *Lycaonij Iouis* in eadem Insula *Templum erat* olim, ob Sibyllæ oracula, ibidem ab Ethnicis constructum, quia Bartholomæus *Lycaonibus prædicans*, vt habet Historia, ob sanctitatem, atque miracula, quasi *quidam Iuppiter*, siuè *Deus Lycaonius* foret, et in eum locum quondam aduehendus, vbi Petrus Vlysses in filijs Romanis immortalis viuere, et regnare debebat. Quę quidem corporis sacri translatio, etiam locum fabulæ dedit, *de Aesculapio Serpentis specie eodem aduecto*, nam et illius quoque *Templum* olim ibi visebatur. *Aesculapius* enim (quod est Christi nomen, Summi et supremi terrarum Medici) etiam Bartholomæus ob medendi gratiam appellatus fuit, vti et *Iuppiter*, nec non *Apollinis filius*, idest, Christi Domini Dęmonem *perdentis*, et *exterminantis*, et in *eam Romanam Insulam asportatus*, idque *anguis specie*, vt Bartholomęo consentiens esset, vti supra ostensum. de qua asportatione ita Ouidius,

Met. 15.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Insula nomen habet, laterumque à parte duorum
Porrigit Aequales media tellure lacertos.
Huc se de Latia Pinu Phœbeius anguis
Contulit, et finem specie Cæleste resumpta
Luctibus imposuit, venitque salutifer Vrbi.

Quia aduersus *Luem*, et *vulgares morbos*, idem Apostolus solet inuocari. Sed & translatio eius sacri corporis, cum Aesculapij fabuloso commento, omninò consentit. Bartholomęus enim ex *Albania maioris Asiæ* in Liparim delatus: Aesculapius ex *Albania* quoque, verùm Italię opposita plaga, siue *Epidauro*, quod nomen Albanię ęquiuocum, ac geminum, Poetis illusit. Bartholomęus ex *Liparis Insula Beneuentum* defertur: *Aesculapius* easdem vias legit. Bartholomeus tandem Beneuento in *Insulam Romanam*: eodem quoque *Aesculapius anguis*. Bartholomæus pelle detracta, vti serpens quidam, ea Sede, vt Vrbi Salutaris, colitur: sic Aesculapius. Denique *Bartholomæi nomine* ibidem *sacra Aedes* insignitur: item Aesculapij. Et verò ipsum Apostoli Hebraicum nomen, translationem illam præcinebat. Nam Bartholomęus, quasi *Bar Tolmai*, hoc est, *filius suspendentis aquas*, Insulę, puta, *Tyberinæ*, in cuius telluris gremio, vt parentis, sacrę exuuię quiescere debebant. Quæ quidem Insula suę molis obiectu, *aquas* et alueum Tyberis *eleuat*, *suspendit*, & *inflat*, seu tumere facit, qui aliàs depressior foret. Verùm ad alia modò properandum, vt sicut Vlyssis, sic Historiam Aeneæ, vnde Itali *Aeneadæ* dicti, tandem exequamur.

CA-

CAPVT XXI.

1 *Aeneæ* in *Latium aduentus* multifariam prædictus, nec non *longa bella ob Lauiniæ nuptias*, eumdem *Aeneam* Petrum esse clamitant.

1 ITALIAM, *Italiam* tandem exclamare licet, & clamore lęto cominus salutare, cum *Aeneas* Petrus illam Ingreditur. quod verò statim in limine, ad *Sibyllam missus*, Mysterio non vacat. Quod ea non solùm Petri felicem aduentum in Latium, et Romam, et Christi vitam, atque eius Ecclesiæ Romanæ casus, et euentus olim prędixerat, sed Reipublicæ, atque Imperij temporalis bella, et varios successus. Vnde efficacissima, atq; firmissima, vti Sancti Patres docent, primæ et nascentis Ecclesię Christiani, ex Sibyllę libris ab Augusto Cęsare nuper repurgatis, pro fide Christi argumenta promebant. Quo factum, vt ijdem primi Christiani, quòd assiduè Sibyllam in ore haberent, sibi *Sibyllistarum* nomen compararint, et Cęsarum quidam *eiusdem libros*, quos tempore Claudij Imperatoris sub aduentum Petri, et diu deinceps, Capitolium seruarat, *flammis tradi* iusserint, cum multorum Poetarum operibus, vt Hydaspis, atque aliorum, quod clariùs de Christo (vt Ecloga quarta Maro) cecinissent. Quod igitur Aeneas, Petrus, aut eius posteri erant his vsuri, *Aeneam* propterea *Sibyllæ amicum*, *eiusque oracula* auidè *requirentem*, Virgilius facit, et *ab ea instrui*, sicut *á Musæo*, Moysis veteri Testamento, nec non *ab Anchise* (Christo) ob Euangelium, quibus tribus telis Romanos Iudęos, et Gentiles, Petrus erat confecturus. Quare nunc illustriora eiusdem Sibyllę in Aeneide scripta oracula referre haud pigebit, quę *Aeneæ*, seu Petri *in Latium aduentum*, Cathedram, et Ecclesie Romanę dignitatem, et varios casus, et felicitatem, et ęternitatem olim pręmonstrabant. quorum quidem primum ex illa *Aeneæ ad socios adhortatione* promitur:

Baron.

Per varios casus, per tot discrimina rerum, Aen. 1.
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt, illic fas Regna resurgere Troiæ (Solymæ)
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Alterum ex *Iouis* (Ieouę) oratione ad *Cythersam*, seu Ioacythereum *Aeneæ Parentem*.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum Ib.
Fata tibi, cernes Vrbem (Ecclesiam Romanam) *& promissa Lauini*
Mœnia, sublimemque feres ad sidera Cœli
Magnanimum Aeneam, neque me sententia vertit,

Itemque longiùs *arcana fatorum* reuoluens, de Aenea ait:

Bellum ingens (persecutionum) *geret Italia, Populosque feroces*
Cotundet, moresque (Christianos) *viris*, et *mœnia*, Ecclesię *ponet*,

Et de spiritalis huius Imperij diuturnitate infra vaticinans,

His ego nec metas rerum, nec tempora pono, Ib.
Imperium sine fine dedi, quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc, terrasque metu, Cœlumque fatigat,

Con-

Consilia in melius referet, mecùmque fouebit
Romanos rerum Dominos, gentemque togatam;

Ob *togatos* puta Sacerdotes, quando *meliora tempora* post persecutionem Ecclesię, *Iunonis* Diuinę Sapientię permissu, illuxerint. Tertium Oraculum *Creusæ ad Aeneam*, quam Antiochensem Ecclesiam supra esse diximus:

Aen. 2. *O dulcis Coniux, non hæc sine numine Diuum*
Eueniunt, nec te comitem asportare Creusam
Fas, haud ille sinit superi Regnator *Olympi.*
Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virum, leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, Regnumque, & regia coniux
Parta tibi.

Et Aen. 3:

Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ (Ecclesia) *cunctis dominabitur oris,*
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis:

Cur autem *Italia parentum* Iordanidarum, seu *Dardanidarum tellus*, & *Patria* dicatur, Oraculum sequens *à Dijs Penatibus* manans indicabit, ne Cretę Aeneas subsistat, sed Latium inquirat:

Tu mœnia magnis
Aen. 3. *Magna para, longumque fugæ ne linque laborem*
Mutandæ sedes, non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.
Est locus Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ,
Oenothrii coluere viri, nunc fama, Minores
Italiam dixisse Ducis *de nomine gentem.*
Hæ vobis propriæ Sedes, hinc Dardanus *ortus,*
Iasiusque Pater, genus à quo Principe nostrum.

Per *Dardanum* enim Christum per excellentiam *Iordaneum*, seu Iudæum appellatum intelligit, quem eumdem *Iasium* (Iesum) *generis* Aeneadum, seu Christianorum *Principem* Christianè facit, ideòque *Italia ortum*, quod in Ecclesia Romana, per Eucharistiam quasi nasci deberet. Vndè et *Anchises* Oraculum confirmans:

Ib. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat,*
Nunc repeto, hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpè Hesperiam, sæpè Itala Regna vocare.

Et Helenus vates ad Aeneam:

Ib. *Trinacria fines Italos mittere relicta,*
Huc vbi delatus, Cumæam accesseris Vrbem,
Diuinosque lacus, & Auerna sonantia syluis,
Insanam Vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, folijsque notas, & nomina mandat.
Quæcumque in foliis descripsit carmina Virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit,

Et

Et mox.

Illa tibi Italiæ Populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo, fugiasque, ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata Sacerdos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam (Solymam)

Et Aeneas Didoni, nisi Diuino iussu vrgeatur, Solymam Troiam Italię pro Cathedra sua, prelaturum fatetur: Aen.4.

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte meas componere curas,
Vrbem Troianam primùm, dulcesque meorum
Reliquias colerem, & Priami tecta alta manerent,
Et recidiua manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.
Hic amor, hic Patria est.

Et Anchises Aeneæ apparens:

Lectos iuuenes, fortissima corda, Aen.5.
Defer in Italiam, gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est:

Et Aeneas ad Sibyllam: Aen.6.

O Sanctissima vates
Præscia venturi, da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros;
Errantesque Deos (penates) *agitataque numina Troiæ,*

Panis atque vini, sub quorum speciebus Diuinitas latere debebat. Et infra ad eamdem Sibyllam Ibid.

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris,
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo
Alma, viros,

Qui tuos fatidicos libros in Capitolij *magnis penetralibus* consulant. Age verò Sibyllæ vaticinium de Aenea Petro etiam audiamus: Ibid.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terra grauiora manent. in regna Latini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & venisse volent, bella horrida, bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Causam autem persecutionum, seu bellorum tantorum, Romanam Ecclesiam, Petri sponsam peregrinam exprimit:

Causa mali tanti, coniux iterum hospita Teucris,
Externique iterum Thalami....
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Item Faunus Italus ad Latinum Regem Aen.7.

Ne pete connubijs natam sociare latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis,
Externi venient generi (Petrus & Paulus) *qui sanguine nostrum*
Nomen in astra ferant, quorumque à stirpe nepotes,

Omnia

Omnia sub pedibus, qua solvtrumque recurrens
Aspicit oceanum, vertique regique videbunt.

Et ad eumdem Aenæ legati:

Nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere tectis;
Ibid. *Nec sidus regione viæ, litusue fefellit,*
Consilio hanc omnes, animisque volentibus Vrbem
Afferimur:

Et infra

Tot vasta per æquora vecti
Ibid. *Diis sedem exiguam patriis, litusque rogamus*
Innocuum, & cunctis vndamque, auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama leuis, tantiue abolescet gratia facti,
Nec Troiam (Solymam) *Ausonios gremio excepisse pigebit.*
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod vltro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum)
Et petiere sibi, & voluere adiungere gentes,

Vt Cathedra Apostolica Petri potirentur:

Sed nos fata Deum vestras exquirere terras
Imperiis egere suis, hinc Dardanus ortus
Huc repetit, iussisque ingentibus vrget Apollo
Ibid. *Tyrrhenum ad Tybrim.*

Quod audiens Latinus, hæc secum reputat

Hunc illum (Aeneam) *fatis externa à sede* (Antiochiæ) *profectum*
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis, huic progeniem (Christianam) *virtute futuram*
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.

Nec se venturum fuisse in Italiam Aeneas asserit, nisi diuinis decretis seu fatis adactum:

Aen. 12. *Nec veni, ni fata locum, sedemque dedissent.*

Hæc verò oracula, quamuis plura numero, congerere libuit, vt cunctis fiat manifestum, quam inculcare Maro studuerit, Petri Romam aduentum, cum varijs Latinæ Ecclesiæ casibus atque successibus, à Sibylla Cumana, cuius libros legerat Augusti indultu, luculenter prædictum. Aeneæ modo in Latio gesta attendamus. nam vix eò appulsus, *Vrbem* quamtumuis *paruulam moliri* aggressus est:

Aen. 7. *Ipse humili designat mœnia fossa,*
Moliturque locum, primasque in littore sedes
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Quæ quidem *vrbis* lineamenta, *Ecclesiæ Romanæ*, & *Cathedræ* principium *humile* adumbrabant, nam Ecclesiæ Christi, quæ vt ciuitas ædificatur, Vrbis quoque nomine in sacris Litteris solet appellari. *Pennæ* autem *illæ*, atque *agger in morem castrorum*, Templorum cœmeteria denotant, ab alijs locis prophanis secreta, & *aggere* quodam quasi segregata. Et quia spiritalis iste Ciuitatis labor, nonnisi magnis molestijs stetit, propterea idem Virgilius:

Aen. 1. *Multa quoque & bello passus, dum conderet Vrbem,*
Inferretque Deos Latio.

Vti

Vti verò metaphora *vrbis, Ecclesiam Romanam* significat, sic eamdem tropo *Lauiniæ sponsæ*, quia Ecclesiæ Episcopi sponsæ. *Lauiniæ* dixi, siue *Lauro-Lauiniæ*, quod eadem Ecclesia Romana, *Lauretanam* Aedem diuinitus esset acceptura, vt supra monstratum, & infra vberiùs adhuc ostendendum. Quia autem *primæ illæ nuptiæ* cum Ecclesia illa, initio pacatæ extiterunt, ideo *humaniter acceptos* (puta sub Claudio Cæsare) *legatos Aeneæ, cum ipso Aenea* Virgilius *narrat*, sed postmodum à *Turno riuali* vehementius *turbatos*, vnde ob persecutiones, *Lauiniæ coniugi sanguis Troianorum*, atque *Rutulorum pro dote* assignatur: Aen.7.

Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere Virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Ibid.

Est autem *Turni* vocabulum, à *Saturno* primo Italiæ colono, per Syncopen deductũ, & pro Romano Gentili, seu Idololatra Christianis infenso & æmulo generatim supponit, qui *Lauiniam sponsam* sibi subijcere, & suæ superstitioni adiungere conetur. Persecutiones autem *harum nuptiarum*, & aduersos primę Ciuitatis casus, sex postremis libris Maro complexus est, in quibus *Turnus* supplicijs, incendijs, & cædibus *Troianos* Iudęos & Latinos Christianos vexat; *Aeneas* verò *cum suis* multa patiendo, atque etiam moriendo *resistit*. *Turnus* ad florentes, tunc maxime temporis, *Etruscorum opes confugiens*, *Mezentium*, puta *Maxentium*, præcipuum habet auxiliatorem: *Aeneas* ad *Euandrum*, cuius filium *Pallanta Patrem Latinorum*, Pontificem Romanum (nam Pontificum plures eo bello strenuè se gessere) in arma secum *Socium educit*. Ac tandem post tria sæcula, etiam bello victis Maxentio, Licinio, atque Iuliano, quos *Mezentium*, *Lycham*, atque *Turnum* vocat, de *Turno* gentili & Idololatra *victor* fit *Aeneas*, vel potius, filius eius Christianus, *Lauinia sponsa* tranquille *potitus*. Quas quidem Romanæ Ecclesiæ persecutiones, atque dura certamina, summatim etiam Ouidius à Sibylla edoctus perstrinxit:

Vbi nubilus vmbra,
In mare cum fulua prorumpit Tybris arena,
Faunigenæque domo potitur (Aeneas) *nataque Latini,* Met.14.
Non sine Marte tamen, bellum cum gente feroci
Suscipitur, pactaque furit pro coniuge Turnus.
Concurrit Latio Thirrenia tota, diuque
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget vterque suas externo robore vires,
Et multi Rutulos, multi Troiana sequuntur
Castra.

Et infra

Perstat, habetque Deos pars vtraque, quodque Deorum
Instar, habent animos, nec iam dotalia regna,
Nec sceptrum soceri, nec te Lauinia Virgo,
Sed vicisse petunt, deponendique pudore
Bella gerunt, tandemque Venus victricia nati
Arma videt, Turnusque cadit.

Tandem equidem, post trecentos annos & ampliùs, quibus Ecclesia afflicta est, vixque respirauit. Age verò bellorum tantorum causas attendamus. Nam Maro eas in *Iunonem* refert, & *furiam Alecto*, & *ceruum cicurem* inter

venandum, ab Aeneæ filio *Ascanio læsum*. In *Iunonem* quidem, Sapientiam Æternam, seu *filiam mentem* summi Patris (vti altero libro explicandum) quod nonnisi illius permissu, bono Ecclesiæ semper consulentis, quæ aduersis crescit, cuncta euenerint. Vnde cum *Iunoni odium*, *inuidiam*, & *iram*, *aduersus Aeneam aut illius socios* attribuit Poeta, *illamque aduersus eosdem* omnia elementa fingit *prouocantem*, nec non *Acheronta*, & *Turnum mouentem*, vt *nuptias illas salutares abrumpat*, poetica licentia vti dicendus est, & gentilium more, de consilijs diuinis effari, qui haud capere vmquam potuerunt, cur Deus, quos amet, supplicijs duris & aduersis rebus castigari finat, sed cuncta in odium, ac iram refundunt. Quamobrem non hæc imperij, sed meri consensus *Iunonis ad Furiam* verba:

Ibid. *Disijce compositam pacem, sere crimina belli,*
Arma velit, poscatque simul, rapiatque iuuentus.

Nam quod ad *Alecto*, alteram belli facem, spectat, id verè, à Poeta relatum, ex Sibyllinis puta oraculis, *connubium Aeneæ* Petri *cum Lauinia Sponsa*, Ecclesia Romana, omnibus tartareis viribus disturbare conatam. Igitur non ineleganter, ab eadem *proiecti angues in sinum Amatæ*, Romanæ Vrbis (nam inuersè *Amor* ipsa *Roma* dicitur) & *tartareum cornu*, siue *tuba* populos ad prælia *mouens*, & *faces Stygiæ eius* referuntur. *Furiam* autem *illam* propterea *Virginem nocte satam* idem Author vocat, quod virginei spiritus, id est, nulla carne aut corpore concreti, *nocte* verò peccati, siue superbiæ Dæmones quasi *sati* fuerint, atque generati, ipso die antea multò lucidiores. Sed in *ea furia*, & *tartareo monstro*, id Sapientiæ Diuinæ, atque bonitatis argumentum agnoscis, quòd pro libidine non quiduis in terris peragere finatur. *quærenti* enim *illi*, num finitimos, ad hæc quoque bella prouocare debeat, sic respondet Iuno:

Ibid. *Te super æthereas regnare licentiùs auras,*
Haud Pater ipse velit summi Regnator Olympi.
Cede locis.

At per *ceruum cicurem ab* Æneæ filio *Ascano læsum*, Rusticanorum Germanorum bellum, aduersus Orthodoxos nobiles prædictum apparet. eò quidem exortum, quod occasione Lutheranæ Hæresis, agros, Syluas, & fluuios cunctis esse communes, rusticani sentirent, nec nobilium virorum dominijs, aut venationibus solùm obnoxios, quod per *ceruum cicurem* Virgilius expressit, quem *Ascanius* (Carolus magnus Germaniæ Imperator, & *magnæ spes altera Romæ*) tanquam proprium sauciet, quod factum agrestes communiter accendit: nam (sicut bello Germaniæ rustico, eoque maxime cruento euenit)

raptis concurrunt vndique telis
Ibid. *Indomiti Agricolæ.*

Et

Direxere acies, non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusue præustis,
Sed ferro ancipiti decernunt.

At quoniam non sine plurimis auxilijs diuinis, atque præsidijs, in tot tantisque aduersis, Ecclesia Romana, ac Aeneas Petrus diu stare poterat, propterea Aeneæ vehementius ob hæc pertubato, *Diuinus Tyberis*, quod Deos, siue
Aen. 8. Christianos aquis efficeret, nocte vigilanti sub dio apparet;

Cum Pater in ripa, gelidique sub ætheris axe

Aeneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Hunc Deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno,
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
O sate gente Deum, Troianam ex hostibus vrbem
Qui reuehis nobis, æternaque Pergama seruas,
Expectate solo Laurenti, aruisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) Penates,
Neu belli terrere minis.

Ideo & *Vulcani* Dei ignis, Spiritus Sancti gratiæ *armis* eumdem *Aeneam* Virgilius *induit*, quæ *in quercu*, nempe arbore crucis, *pendentia*, reperit, & *procedit Castris*

Sidereo flagrans clypeo, & cælestibus armis. Aen. 12.

Quæ parens *Venus* à *Vulcano* sponso impetrarat, in quibus *ingentem* patientiæ *clypeum* precipuè dilaudat:

vnum omnia contra Aen. 8.
Tela Latinorum.

Ideo item tota Aeneide *anxia*, & *sollicita Venus*, & *lachrymis oculos suffusa nitentes, nunc Iouem pro Aenea adit*, & precatur, tum Iunonem, Neptunum, Vulcanum, & alios, vt Deiparæ Matris, in Ecclesiam Romanam, singulare studium, & curam agnoscas, quod vel eiusmodi prorsus materna oratione spectatur:

Aspice, qui coeant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum, Aen. 8.

Ideo item pro *Aenea Iupiter Deorum concilia cogit*, ac Aen. 1.

Panditur interea Domus Omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat Diuum Pater, atque hominum Rex
Sideream in sedem.

Quibus Oecumenicas Orthodoxorum Synodos adumbrauit, nam his in nomine eius congregatis, Deus seu Ieoua solet interesse. Ideo denique, *crebra miracula*, & *prodigia* haud desunt, quæ Ecclesiam afflictam, in malis solentur, cuiusmodi illa sunt:

Hic primum noua lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab aurora cælum transcurrere nimbus,
Idæique chori, tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulumque agmina complet:
Ne trepidate meas Teucri defendere naues,
Neue armate manus, maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus.

Quod si verò quæras, quo ordine Virgilius, tot tantasque Romanæ Ecclesiæ strages, & persecutiones fuerit executus, nullum equidem assignare possis, cum nulla temporum, locorum, aut rerum ratione, atque discrimine, ferè omnia inuoluat, quæ in Sibyllæ folijs distincta repererat. Nam personas atque nationes Aeneæ fauentes, aut iniquiores, in vnũ tẽpus atque bellum congerit, & omnia Italiæ loca, Vrbes, pagos, montes, & fluuios armat, & in aciem educit, quod eorum incolæ *Aeneæ* seu Petri fide superati, Ecclesiæ accesserint. Nemo itaque miretur *Auentinum* montem, *Asylam* (Asylum Romanum) & *immani corpore Tybrim* militiæ transcribi, & quod *Toruus Abas* (Abbates

Monachorum designans) eidem Aeneæ suppetias ferat, & *Cygnus* Carmelita, vti infra monstrandum, & eiusdem in Christo filius *Ascanius* Germanorum clarus Imperator, & P*allas Pater Latinus* seu Pontifex Romanus, *Euandri* Patris Lati proles, ob quem interfectum *Turnus* quoque *cadit*, & *Clausus* seu *Clodius*, siue Clodouæus, vnde *Clodiorum*, seu *Ludouicorum diffunditur & genus & gens*, & *Tagus*, & *Hisbon*, Lisbona, & *Liger* & cæteri, quos enumerare superfluum videtur. Pro *Turno* autem aduersus Aeneam steterunt *Amata* vrbs Romana, quæ ideo censuris *suspensa*, quia Patrem P*ontificem* vrbe excluserat, quando Auenione Pontifices sederunt. *Magus* Simon Magus, qui pro *morte redimenda*, *aurum supplex* offert, *Thero* deprauatè *Nero*, quia Illustris familiæ Neronum offensionem Virgilius timebat, si hunc expressisset, *Mezentius* Maxentius, *Lychas* Licinius, *Demodocus*, Decius, vel Dacarum Populus, *Clytius* Diocletianus, *Pharon* Pharamundus, *Merope* Merouæus, cum alijs plurimis. Quid, quod & *Virginis* vulgò *Aurelianæ*, idem author meminit, quam *Camillam* vocat, ab hebræo *Camil*, quod *bellantis* nomen, vnde vox Gallica *Chamailler*, bellare. hanc enim eo modo ad bellum gradientem proponit:

Aen. 7.

Aen. 7.

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas,
Bellatrix non illa colo, calathisue Mineruæ
Fæmineas assueta manus, sed prælia Virgo
Dura pati, cursuque pedum preuertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Illam omnis tectis agrisque effusa iuuentus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem
Attonitis inhians animis.

Quid, quod idem *Francos*, siue Gallos, per *Drancem* quasi F*rancem Turni* idololatræ *æmulum* aptissimè prædixit? nam & *Drancis* ingenium & Eloquentia, Gallorum vulgo ferè conueniunt:

Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, concilijs habitus non futilis author,
Seditione potens, genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat.

Nam *materna linea* Carolum Magnum, egregium Ecclesiæ Romanæ defensorem ea natio attingit. Quod verò *dexteram* eius *frigidam* culparit Poëta, de *spiritali bello* id intelligendum, & ob hæreses in Gallia gliscentes, nec nisi sero exterminatas, nam sese marte temporali strenuos, omnibus Europæis Galli probauerunt. Neque verò illa Aeneidos confusio obest, quin graues Neronis, Licinij, Maxentij, atque Iuliani persecutiones in hac deprehendas. Etenim pro *Nerone Turnum* substituens, ne familiam læderet, vti supradictum, eumdem *Troianorum nauibus ignes inferentem* inducit, *qui fuerint miraculo restincti*, quia is Imperator incensæ à se Romę inuidiam in Christianos conijcere omni arte studuit. Quo quidem tempore tam grauis persecutio efferbuit, vt si nauis Petri naufragium pati potuisset, tunc fuerit mergenda, vnde apud Virgilium *Thero* vel potiùs *Nero*

Ipse

Ipse manum pinu flagranti feruidus infert.

ad Romam puta incendendam, & per hanc, Ecclesiæ Christianæ naues: Aen. 8.

Tum verò incumbunt (socij) *vrget præsentia Turni*

Incendium cum gaudio spectantis,

Atque omnis facibus pubes accingitur atris,
Diripuere focos, piceum fert humida lumen
Tæda, & commixtam Vulcanus ad astra fauillam.

Et hoc incendio Ecclesiæ naues minime consumptas idem admiratur,

Quis Deus, o Musæ, tam sæua incendia Teucris
Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite, prisca fides facto, sed fama perennis.

Tum *Berecynthiam, matrem Iouis*, fingit, ad filium his verbis supplicem accessisse:

Da nate petenti
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.

Petitionis atque voti summa, vt *naues* Aeneæ ex sui *Iudæi montis materia* confectæ, æternum subsistant:

Neu cursu quassatæ vllo, neu turbine venti
Vincantur, prosit nostris in montibus ortas. lib. 8. Met. 14.

At *Iouem dedisse*, non vt quidem omnes, sed quæ in *Latium demum appulissent*, id beneficij solùm obtinerent, imo etiam in *Nymphas*, atque *immortales Deas verterentur*. Qua quidem fabula, *Berecynthia*, filia Ioachini à *Bar & Ioachim*, Christi *mater Ieouæ*, filium rogasse cognoscitur, *pro* Ecclesia seu *Petri nauium æternitate*, ac beatitudine, quod ex *Iudææ* suę patrijs mõtibus illæ *ortæ* essent, idque impetrasse, vt quæ *Laurentia* Italiæ *arua attigissent*, voto potirentur, *in Deas* insuper *immortales* mutandæ, quo Apostolicæ & Romanæ Cathedræ priuilegium firmatur, quod multis euersis permaneret. Sed quia is *Nero* tandem gladio perijt, ideo illi apud Maronem *Aeneas, ense latus haurit, Therone* vt dixi, pro *Nerone*, cautè substituto:

Occiso Therone, virum qui maximus vltro
Aeneam petit, huic gladio, perque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.

ille enim *virorum maximus*, nempè Imperator, priùs *ad necem Aeneam* Petrum *petierat*. Nec *Simonis Magi* sub Nerone *pugnam* & conflictum cum Simone Petro docta Aeneis siluit, eiusque, cum volaret, casum, & crudeles in inferis pœnas, idque per *Salmonis* fabulam, qui curru Dæmonum aereo vectus, *Iouis* seu Ieouæ Christi Ascensionem, & *fulmen* & iras *imitari* dictus est, vnde *virtus Dei*, per *Aelidis* siue terræ Solymææ *vrbes*, Italiam, & Græciam, passim iactabatur:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas, Aen. 6.
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graium populos, mediæque per Aelidis vrbem
Ibat ouans, Diuumque sibi poscebat honores,
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Aere, & Cornipedum cursu simularat equorum,
At Pater Omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis

Lu-

Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.

Lib. 2. De hoc curru igneo Simonis Magi ita Arnobius aduersus gentes: *Viderant* (Romani) *cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & inuocato Christo euanuisse.* Sed *Licinium* Cæsarem Petro quoque infensum eadem Aeneis per *Lycham ab Aenea* quoque *interemptum* designat;

Inde Lycham ferit, exectum iam matre perempta.

Aen. 10. Qua circumlocutione *Cæsarem* insinuat, quasi à *cæso ventre matris* nomen deriuatum. tum sequitur

casus euadere ferri

Bar. ad ann. Chr. 318. *Cui licuit paruo,*

Antea, quando ad Constantini genua prouolutus, facti veniam rogarat, sed ob recidiuum perfidiæ crimen, mortem non euasit, & quod nihil profuerit illi *Maximiani Herculani* fauor, Virgilius subiunxit:

illum nihil Herculis arma,

Nil validæ iuuere manus.

Acrem quoque naualem pugnam Licinij aduersus Constantinum Cæsarem idem Virgilius describere videtur, vbi *Aeneam* cum *classe valida* ab Euandro in fabulis dimittit. Sed ad alium nobilem Italiæ Tyrannum *Maxentium*, (*Mezentium* in fabulis dictum) nec minorem Aenæ ob Christianos diuexatos hostem, qui idem *Diuorum*, quasi Christianorum *contemptor vocatus*, modò veniamus:

Aen. 7. *Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris*
Contemptor Diuum Mezentius.

Eius autem immania scelera, & Tyrannica planè facinora, sic idem recenset:

Aen. 8. *Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni*
Effera? Dij capiti ipsius, generique reseruent.
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Corporibus, manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Quæ fabula de *corporibus viuis cum mortuis coniunctis* inde enata est, quod matronas, & nouarum nuptarum, quæ ipsi placebant, sponsos & maritos custodia clausos enecaret. Quo facinore mortuos viros cum sponsis & vxoribus viuis quasi copulabat. Sed & *prodigia* multa *cælestia*, & *signum* Crucis aureis litteris, in *Aethere micans*, cum hac inscriptione ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc signo vince*, quando Constantinus contra eum mouebat, egregiè etiam Virgilius describit, pro Constantino *Aeneam* supponens, & pro Maxentio *Turnum*, quo generatim *Idolorum cultorem designat*

Aen. 8. *Multaque dura suo tristis cum corde putabat,*
Ni signum cælo Cytheræa dedisset aperto,
Namque improuiso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor,
Suspiciunt iterum, atque iterum fragor intonat ingens.
Arma (Crucis) *inter nubem cæli regione serena*
Per sudum rutilare vident.

Quo *signo* confirmatus Aeneas vaticinatur, quod reuera euenit, *Turnum* seu

ſeu Maxentium in ſubiectum Tybrim ſalientem, cum exercitu toto demergendum:

Quas pœnas mihi Turne dabis, quam multa ſub vndis
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volues
Tybri Pater?

Sed & verò ſimile, quod quidam Authores ſcripſerunt, inter medios hoſtes, Maxentium à Conſtantino quaſi ſingulari certamine petitum, et equo deiectum, atque obtruncatum, ponte Tybris rupto in aquas cum copijs effuſum: etenim apud Virgilium idem Conſtantinus ſub perſona Aeneæ telorum

Immanem ærato circumfert tegmine ſyluam, Aen. 10.

Et

Pugna congreſſus iniqua,

Quia militum numero inferior & impar, nihilominus

Multa mouens animo, iam tandem erumpit & inter
Bellatoris equi caua tempora coniicit haſtam.
Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat.

Vbi Maxentius proſtratus

Iugulo accipit enſem,
Vndantique animam diffundit in arma cruore.

Porrò cęſo hoſte cęleſtis beneficij memor Imperator, *Crucem*, cuius ſignum in Cęlo ante conſpexerat, *Romæ erigi* iubet, quaſi de *Mezentio*, ſiue Maxentio *ſuperato trophæum*: de quo quoque Aeneis: Euſeb. in vita Conſtant.

Vota Deum primo victor ſoluebat Eoo. Aen. 11.
Ingentem quercum (Crucis arborem) *deciſis vndique ramis,*
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti Ducis *exuuias, tibi Magne Trophæum*
Bellipotens Chriſte.

Hanc autem Maxentij ruinam, è Sibyllæ libris edoctæ Veſtales, quotānis *Scirpeis quibuſdam imaginibus in Tyberim coniectis* præſignificarant, *quibus repurgare* (nempè ab Idolis, horumque cultoribus) *Vrbem ſe credebant*, nec non Plebs Romana, cum *dona collecta* quoto quoque anno, ob ſalutem Cæſarum, in *Curtium Lacum effunderet*, quem *Tyberim* eſſe infra oſtendemus, quę hanc ſalutarem de Maxentio quondam reportandam victoriam canebant. Neque conſimilem *Cæſaris Iuliani cædem*, eadem Aeneis quoque prætermiſit. Quamquam nomini parcat, quia *Iulianus* à Iulio Cæſare, quem lędere nolebat, quadam ſuæ vocis cognatione deſcendit. Eius verò Baptiſmum, & apoſtaſiam, per *Turnum ingreſſum Vrbem* Troianor*um*, et horum *fluuio natantem*, atque violenter inde *elabentem*, Virgilius exponit, nec non *eius mortem*, quo modo Hiſtorici memorant, *Lancea Mercurii Martyris, in brachio & pectore* diuinitus *percuſſi*. Niſi quod *Aeneas* pro Mercurio Martyre, in *Mæonis* (Iuliani) *lacertum* et *pectus* hanc haſtam *contorquet*, C. Theod. lib. 7. Niceph. l. 10. c. 35. Amm. l. 24. & 25.

Et iacit, illa volans clypei tranſuerberat æra Aen. 10.
Mæonis, & thoraca ſimul cum pectore rumpit.

Rediens autem haſta diuinitùs, vnde emiſſa erat

Traiecto miſſa lacerto
Protinus illa fugit, ſeruatque cruenta tenorem.

Terri-

Amm. vt supra. Territum autem ante mortem monstris, et visis nocturnis, vt genio atro, et lancea ignea per cubiculum eius discurrente, per *Diras Turni ora, & faciem*
Aen. 12. *nocte verberantes*, idem Maro explicat.

Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,
Quas & Tartaream nox intempesta Megæram
Vno, eodemque tulit partu, paribusque reuinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas,
Harum vnam celerem demittit ab Aethere summo
Iuppiter, in faciem Turni se pestis ad ora,
Fertque, refertque sonans; clypeumque euerberat alis.
Illi membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit:

Et postmodum ad se rediens:

Dii *me terrent* (inquit) & *Iuppiter hostis.*

Fatalis ad extremum lanceæ, siue hastæ diuinitus in eum coniectæ rursus ictum subijcit:

Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet, volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, & clypei extremos septemplicis orbes.

Et quod sane mirum, quod antiqui Scriptores Iulianum saucium exclamasse tradunt, *Vicisti Galilæe, vicisti*: eamdem prorsus *Turni* vocem diu ante euentum, Virgilius protulit:

Ib. *Vicisti (& victum tendere palmas*
Ausonii videre) tua est Lauinia coniux.

Denique blasphemanti *illi*, et aduersus Patrios tanquam proditores Deos *indignanti*,

Ib. *Soluuntur frigore membra,*
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

CAPVT XXII.

Troiani ad extremum cum *Latinis in Latio permixti*, & *Aeneæ pietas*, Templa, Sacra, Ritus, Mors, Apotheosis, Petrum esse *Aeneam* aperte confirmant.

Caesaribus itaq; Tyrannis Licinio, Maxẽtio, nec nõ Iuliano prostratis, *Aeneas* Petrus *Lauinia coniuge*, Ecclesia Romana, placidè aliquãdo *potitur*, nam publicè tunc idola euersa, atq; Christiani (quos *Troianos* à Solyma Troia Virgilius nuncupat) *mixti cum Latinis* vnam gentem conflarunt, & *Troiana*, hoc est, *Solymæa*, seu Solymis adducta *sacra susceperunt*, non autem Hæbream *linguam*, atque *mores*: vt sanè mirandũ, quod Virgilius stupet;

Tan-

Tanto placuit concurrere motu Aen. 12.
Iuppiter, æterna gentes in pace futuras?

Igitur aptè illa *Iouis* ad *Iunonem* oratio habetur:

Ventum ad supremum est, terris agitare, vel vndis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum, Ib.
Deformare domum, & luctu miscere hymenæos,
Vlteriùs tentare veto.

Illa etiam pro voto eidem Iunoni cesserunt.

Pro Latio *obtestor, pro maiestate tuorum,* Ib.
Cum iam connubijs pacem felicibus (esto)
Component, cum iam leges, & fœdera iungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, (vt hebraicè loquantur) *aut vertere vestem*

Cultu Iudæorum assumpto.

Sit Latium, sint Albani per sæcula Reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago,
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia

Solyma, nam in *Aeliam* postea nomen commutauit, quod indulgens Iuppiter:

Sermonem *Ausonium* (inquit) *moresque tenebunt,* Ib.
Vtque est, nomen erit, commixti corpore tantum
Subsident Teucri, morem, ritusque sacrorum
Adiiciam, faciamque omnes (Iudæos & Gentiles) *vno ore Latinos.*
Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget.

Christiani

Supra homines, supra ire Deos pietate videbis,
Nec gens vlla tuos æquè celebrabit honores.

Sed et *Romanæ Ecclesiæ* futuras *opes*, atque *diuitias* sub *Rege* Latino, hoc est, Cęsaribus ad Fidem conuersis, illi versus innuunt:

Non vobis Rege Latino Aen. 7.
Diuitis vber agri, Troiaue opulentia deerit.

Quod autem Romanis ad Christum adductis, summoperè doliturum erat, suos maiores, et consanguineos, gentiles, et idololatras, inferorum æternis supplicijs addictos, nullo modo iuuari, aut redimi posse, istud per *Iuturnæ* Deæ (Christianæ electæ, et prædestinatæ) *lachrymas, atque luctum, ob fratrem Turnum à Tartareo monstro rapiendum* indicat:

Nam procul vt Diræ *stridorem agnouit, & alas,* Aen. 12.
Infelix crines scindit Iuturna solutos,
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis:
Quid nunc te tua Turne potest Germana iuuare?
Aut quidnam miseræ superest mihi? qua tibi lucem
Arte morer? tali possum me opponere monstro?

Rursus gentilis in morem, sine vllo prorsus Christiano decoro, hanc animam beatam, quasi desperabundè loquentem inducit:

Quo vitam dedit æternam (Deus) *cur mortis adempta est* Ib.
Conditio? possem tantos finire dolores,
Nunc certè & misero fratri comes ire per vmbras

Iam mortalis ego, haud quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit, ò quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque Deam demittat ad imos?

Age nunc *Aeneæ in Latio gesta* breuiter quoque consideremus. Non iam de *doctrina* loquor, quam toto libro sexto Virgilius inspersit, vbi Aenea *Inferos inuisente*, de *mundi ortu, locis*, ac *pœnis damnatorũ, Purgatorio, Lymbo, Christi ad manes descensu*, nec non generali *corporum resurrectione* futura, ferè Orthodoxa (si paucula vatum mendacia dempseris) ex Sibyllæ versibus dogmata explanantur, quibus supersedemus, quoniam alteri libro, veterum Latinorum Theologiam seruamus. Itaque illa modo delibasse satis erit, quæ de *locis sacris*, atque *Templis ab Aenea* in Latio *extructis* Virgilius memorat, nec non *Sacrificiis panis, atque vini* ibidem peractis, cum *Ritibus quibusdam*, qui à Sacerdotibus, aut Pontificibus Romanis, etiam hodie vsurpati tenent: nam de *Templis in Latio*, aut alibi *ab Aenea structis*, atque *dedicatis* (ne Petrum eumdem esse dubitares) illa Virgilij apertè loquuntur:

Aen. 5. *Tunc vicina astris Erycino in vertice Sedes*
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque Sacerdos,
Ac lucus latè sacer additur Anchisæo.

Vbi non solùm *Sacerdotes* ab eo *institutos*, ad *tumulum*, seu *sepulchrum Anchisæ*, vel *Altare* Christi *conseruandum*, sed et *Lucum sacrum* Cœmeterium illi additum agnoscis, nec non *nouendiale sacrum*, seu sacrificium, vt sequitur, ibidem peractum:

Iamque dies epulata nouem gens omnis, & aris
Factus honos.

Sed et idem *Aeneas marmorea Templa se* (Christo) *Phœbo*, et *Triuiæ* (Sacræ Trinitati) *instituturum in Latio spondet*, et eiusdem Christi *festos*, et *solemnes dies*,

Aen. 6. *Cum Phœbo, & Triuiæ solido de marmore Templa*
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.

Quid, quod *Basilicam Lateranensem*, per *Regiam Pici*, quem Pontificem Summum esse ostendemus, Maro quoque nobis clarè delineat?

Tectum Augustum (ab Augusto Constantino extructum) *ingens, cẽtũ*
Sublime columnis
Aen. 7. *Vrbe fuit summa, Laurentis Regia* (Basilica) *Pici*,
Horrendum syluis (lignis arboris Sanctæ Crucis) *& relligione parentũ.*

Religiosis Sanctorum Pontificum Reliquijs, qui ibi tumulati.

Hic sceptra accipere, possessionem summi Pontificatus, *&*
Primos attollere fasces
Regibus (Ecclesiæ Pontificibus) *omen erat, hoc illis Curia*
Templum,

Quia in eo Templo plura tùm Oecumenica, tùm alia Concilia olim celebranda, *Hæ sacris Sedes epulis*, ob Altaria, in quibus Eucharistia sumitur, *hic ariete cæso*, Agno Christo, qui tollit peccatum Mundi,

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Quia Agnus ille in *Mensis* Eucharisticis *perpetuò* comestus, *perpetuò* integer quoque perseuerat.

Quin etiam veterum effigies, ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, statuæ, & effigies Apostolorum, et aliorum ex

pre-

pretiosa materia.

Ianique bifrontis imago,

Quia geminæ frontes, seu capita Apostolorum Petri, et Pauli ibidem visuntur.

Vestibulo adstabant, aliique ob origine Reges

Christiani Martyres, nam sequitur

Martia qui ob Patriam (Cęlestem) *pugnando vulnera passi*,

Multaque prętereasacris in postibus arma,

Captiui pendent currus etc. quia plurima præda,

Et *captiua* spolia ex Solyma euersa à Tito Romam in Triumphum illata, vel ab alijs Principibus aduecta, isthic reseruantur, atque inter cętera

Portarum ingentia claustra

Tres portæ marmoreæ, quæ Pilati Prætorium Hierosolymis olim exornabant.

Ereptaque rostra carinis.

Ex *quibus æreæ columnæ confectæ* ab Augusto, post pugnam Aegypti naualē, ibidem spectantur. additur deinde epiphonema

Tali intus Templo Diuum, patriaque Latinus

Sede sedens, quia Pontifices Romani suam in eo Templo *Sedem*, & *Cathedram* erant habituri. Verùm hæc de Templo sito in Laurenti Vrbe, non in Romana, Virgilius memorat. Esto. nam vti per Laurentes agros, Italiam, sic etiam Romam per Laurentem Vrbem significat. Vnde *Laurens Tybris*, qui Romam diuidit, ab eo vocatus *Aen. 6. liceat Laurentem attingere Tybrim*. Itaque hodierna Latinæ Ecclesiæ sacra cum Cęremonijs, & Ritibus, *in Latio Aeneam* Petrum *vsurpasse*, non solùm ex *sacris epulis*, & *perpetuis mensis* (*in quibus aries*, siue Agnus perpetuò quasi *immolatur*) supra memoratis liquet, sed ex sequentibus, vbi idem Heros

Canæ penetralia Vestæ

Farre pio, & plena supplex veneratur acerra. Aen. 5.

Nam per *canam*, siue albam *Vestam*, & *far pium*, Sacrificium arcanum, & mysticum sub candidi Panis speciebus signari supra docuimus, & infra latius quoque docendum, vbi de *Virginibus Vestalibus* agemus, cui Sacrificio *thuris acerra* solet adhiberi. Item

Corpora sub ramis deponunt arboris altæ, Crucis, Aen. 7.

Quæ in locis Sacratis, aut Deo Dicatis semper erigi solet,

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas

Fragrantes, quibus pauimenta Templorum prætexunt,

Subijciunt epulis legalibus (*sic Iupiter ipse monebat*)

In cœna suprema,

Et Cereale solùm pomis (lactucis) *agrestibus augent*:

Consumptis hic fortè aliis, vt vertere morsus

Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,

Et violare manu (in fractione hostiæ) *malisque audacibus orbem*

Fatalis crusti (qui fatum, seu mortem Domini perpetuò enuntiat) *patulis nec parcere quadris*,

Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus,

Nam hæc *adorea liba subiecta epulis* legalibus, & *Cereale solùm pomis*, seu lactucis *agrestibus auctum*, & *exigua Ceres*, & *orbis fatalis crusti* (hostia panis rotunda) *quem fame* spiritali *adacti Itali*, seu Romani *comedunt*, & *quæ* tanquam *mensa* sacro corpori Christi epulando inseruit, atque illi sub-

strata quoque *consumitur*, *Cœnam Dominicam* clarè manifestant, quæ in Ecclesia Christi, vti ex Epistola ad Corinthios liquet, in hunc ferè modum erat celebranda. Ac ne alteram sacrificij partem sub specie vini, in hoc epulo sacro desideres, mox sequitur

Ibid. *Certatim instaurant epulas, atque omine magno*
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

Item alio loco:

Aen. 8. *Tum lecti iuuenes certatim, aræque Sacerdos*
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas simul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Perpetuus enim ille *bos*, sicut & *Tauri lustralia exta*, æternam victimam semper consumptam, & numquam consumendam, Christum figurabant, & *bos* idem *perpetuus* cum *Cerere* et *Baccho* aliquid supra inanem, et Caluinisticam panis, atque vini cœnam representant, de *quo* eodem *sacro* sic ait Euander:

Non hæc solemnia nobis,
Ib. *Has ex more dapes, hanc tanti Numinis Aram*
Vana superstitio, veterumque ignara Deorum
Imposuit, sæuis (hospes Troiane) periclis,
Damnationis æternæ, per sacrificium Christi crucifixi cruentum
Seruati facimus, meritosque nouamus honores.

Item de eodem Herculis Christi sacro

Ib. *Ex illo celebratus honos, lætique Minores*
Seruauere diem, primusque Potitius author,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
*Hanc aram luco (*Cœmeterio*) statuit, quæ Maxima semper*
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper,

Per *Potitios* enim, & *Pinarios* Diaconos, seu Ministros Eucharistici *cibi* atque *potus* intelligi oportet, quia in primitiua Ecclesia etiam à Laicis passim, sub vtraque specie Christus sumebatur, vnde de *sacro Scypho* postmodum quoque fit mentio:

Ib. *Cum Sacer impleuit dextram Scyphus, ocyus omnes*
In mensam læti libant, Diuosque precantur

Nam iuxta Missæ sacrum Canonem, *Diui*, atque *Sancti* plures *inuocantur*.
Item paulò supra, ad eosdem *Diaconos*, seu ministros

Porgite pocula dextris,
Ib. *Communemque vocate Deum, & date vina volentes.*

Huc spectant Penates, siue *Dij Penu*, *quos secum classe in Latium deuexit Aeneas*, sic quidem vocati, quia Panis et vinum (sub cuius speciebus Diuinitas latere debebat) in *penu* conduntur: de quibus rursum Virgilius

Per magnos, Nise, Penates,
Aen. 9. *Assaracique Larem, & Canæ penetralia Vestæ*
Obtestor.

Et quia ad Orientem Solem maiora Templorum Altaria ferè extructa sunt, id quoque Virgilius in Sibylla vidit:

Ilii ad surgentis conuersi lumina Solis,

Dant

Dant fruges manibus salsas,

Ob *Salis consecrationem*, quæ sacrificio *panis*, siue *frugum* consueuit pręmitti. Et quia in Templis, tempore sacrorum, Christus apparere debebat, illum per *Faunum Deum Italorum* fabulæ expresserunt, à φαίνω appareo sic dictum, vnde et Templa *fana* appellantur, de quibus *Fauni Templis*, atque *lucis*, seu cœmeterijs, quæ ob cadauera isthic inhumata *sæuā mephitim exhalare* dicuntur, hæc Virgilius narrat,

Hinc Italæ gentes, omnisque Oenothria tellus, Aen. 7.
In dubijs responsa ferunt, huc dona (oblata) *Sacerdos*
Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti,
Pellibus incubuit stratis, somnosque petiuit.

Quæ *cæsarum ouium pelles*, Sacerdotum vulgo *Epomides* notant (ab ὦμος humero) quia humeris ritu Monachali olim gestabantur, quę in brachia modo defluxere, et primitiuæ Ecclesiæ Sacerdotes inter matutinarum precum singulos cantus, seu nocturnos, ijs humi stratis incubantes, leuem somnum captabant, de quibus *pellibus*, siue *velleribus* rursum Virgilius:

Iamque Sacerdotes, primusque Potitius ibant, Aen. 8.
Pellibus in morem cincti.

De *Teucrorum* autem, siue Sacerdotum, et Episcoporum, qui *Tau*, siue crucis *cornua* in pileo gestant, cęteris *ornamentis*, ita Turno vir affinis loquitur, dum Aeneæ socijs superbiùs insultat:

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis, Aen. 9.
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis (choris)
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Mitra enim, seu *Tiara*, et *purpurea veste* in sacrificijs *vsurum Aeneam*, Summum Pontificem, cum Successoribus, et Cardinalibus, et Episcopis socijs, illud quoque docet:

Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes, Aen. 3.
Et positis aris iam vota in litore solues:
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter Sanctos ignes, in honore Deorum
Hostilis facies (Dęmonis) *occurrat, & omnia turbet,*
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.

Iam verò Sacerdotum *Pileos* satis idem ostendit, dum *Aeneæ socios ramis* arboris *Palladis*, *Oliuæ*, atque *Myrti velat*, quibus arboribus Crux Christi notatur, quam Clerici, atque Sacerdotes *Pileorum cornibus* erant gestaturi. Quid, quod eosdem Presbyteros cum inferioribus Ecclesiæ Ministris, sacrificij tempore, alternis in choro *canentes* idem Author inducit?

Iamque Sacerdotes, primusque Potitius ibant Aen. 8.
Pellibus in morem cincti, flammasque (tędas vel cereos) *gerebant.*
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus (patenis) *aras.*
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille senum (Presbyterorum) *qui carmine* (Dauidis) *laudes*
Herculeas (Christi) *& facta ferunt.*

Epi-

Epiſcoporum item exequias in *funere Miſeni* Aeneæ ſocij licet agnoſcere: nam

Aen. 6. *Principio pinguem tædis, & robore ſecto,*
Ingentem ſtruxere pyram.

Quæ *Capella ardens* vulgò nominatur. ob quam in Sibylla lectam, Romanorum morem profluere ſuſpicor, cadauera in pyra cremandi, quæ *Puticulis*, ſeu Scrobibus in modum puteorum factis antea obruebant. Sed quid pyra ſtructa?

Decorantque ſuper fulgentibus armis

Mortui inſignibus. Interea circa functi cadauer

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expandit, corpuſque lauant frigentis, & vngunt

Illud condiendo.

Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureaſque ſuper veſtes (Epiſcopi) *velamina nota*
Coniiciunt, pars ingenti ſubiere feretro
Triſte miniſterium

Cadauer domo efferendo. buſto autem in cineres collapſo, *Corynæus*, *Virgineus* Sacerdos à Græco κόρυ,

Ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens (tumulum) *rore leui*, & *ramo felicis oliuæ,*
Luſtrauitque viros (adſtantes aqua luſtrali)
Dixitque nouiſſima verba.

Chriſtianorum quidem, *requieſcat in pace*, Ethnicorum autem, *ſit tibi terra leuis*, hoc eſt, facile reſurgere poſſis, nam qui graui mole terræ premuntur, difficilè exurgunt, quibus verbis priſci reſurrectionem à Sibylla edocti futuram docebant.

At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaque arma viro, pro epitaphio, *remumque, tubamque.*

Remum quidem, pedum Epiſcopale, quo *nauim Petri* Eccleſiam *iuuerat*, atque promouerat. *tubam* verò Euangelicæ prædicationis ſignum, quam proprium Epiſcopi munus eſſe conſtat. Quod verò ad Sacrificia, ſeu Miſſas Defunctorum attinet, ea non vno loco *per nigri velleris Agnas*, & *nigrantes terga iuuencos*, atri in funeribus Templorum ornamenti indices, & *Diis Manibus*, hoc eſt, Chriſtianis in Dei gratia mortuis, *inferias mactatas*, Virgilius expreſſit. *Manes* enim defunctorum animas rite priſci nominant, quod poſt corporum caſum *permaneant*, neque extinguantur, vti à Sibylla Atheos confundente illi didicerant, & ob ſpiritalem, & ſubtilem eorum naturam, etiam *vmbras* vocant. De *Manibus* autem, ſeu *vmbris placandis* nempe Deo, aut Diuinæ eius Iuſtitiæ, *morem iuſtis*, hoc eſt Chriſtianis *Latinis, ab Aenea allatum* Ouidius affirmat, nec quocumque modo, verum *Sacrificijs panis atq; vini*, imò & *precibus*: ex quo intelligimus hodiernos Romanæ Eccleſiæ circa curam mortuorum ritus, à Petro manaſſe; nam ſic Ouidius

Faſt. 2. *Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,*
Paruaque in extinctas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata eſt
Munere, non auidos Styx *habet ima Deos*, Chriſtianos.

Tum per ſequentia verba *Sacrificium panis, atque vini* præclarè inſinuat,

Inque

Inque mero mollita Ceres: Ib.

Cui addit

Nec maiora veto, sed & his placabilis vmbra est,
Adde preces, positis & sua verba focis.
Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus author
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.

Eiusdem quoque *Aeneæ, idest, Petri singularem pro mortuis* Martyribus *curam* Virgilius Maro illo versu proponit:

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Aen. 11.
Hanc patriam (Romam) *peperere suo, decorate supremis*
Muneribus.

Et in funere *Pallantis, Aeneæ,* hoc est, Petri *causa interfecti,* exuuias eiusdē, vt fit, in martyrum Lipsanis, atque Reliquijs, *vestibus multum pretiosis adornat*: Nam

Geminas vestes, ostroque, auroque rigentes Ib.
Extulit Aeneas, quas illi læta laborum
Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.
Harum vnam iuueni supremum mæstus honorem
Induit.

Verba autem Aeneæ ad eumdem nouissima fuerunt:

Salue æternum mihi maxime Palla, Ib.
Aeternumque vale.

Sanctos quoque, atque *iustos homines* Ecclesiæ Romanæ, *Cœlo* esse *donandos,* nec non *Altaribus* in terra colendos, idem Maro à Sibylla edoctus canit;

Hinc illum Coryti Tyrrena à Sede profectum, Aen. 7.
Aurea nunc solio stellantis regia Cœli
Accipit, & numerum Diuorum *altaribus auget.*

Neque solùm Christum *Idæum,* seu *Iudæum Ieoua,* vel *Iouem,* sed & *Phrygiam* Iudæam Deiparam *Matrem, inuocandos* præcinit: Nam Aeneas præter *Nymphas,* & *Genium* loci Tutelarem Angelum,

Idæumque Iouem, Phrygiamque ex ordine Matrem Ib.
Inuocat.

Quid, quod *Reliquias* eorum *seruandas,* atque *honorandas* singulari cultu, & *ex* Solyma *Troia Romam asportandas* idem prædixerit? nam *Ilioneus Aeneæ socius* eiusdem nomine *Regi Latino illa dona offert:*

Dat tibi præterea fortunæ parua prioris Ib.
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas,
Hoc Pater Anchises (Christus) *auro* (aureo calice) *libabat ad Aras,*

In suprema cęna, & sic de cęteris. quid, quod *Radios solares* circa eorumdem Sanctorum *tempora fulsuros* præuidit? nam *Regi* Christiano *Latino*

Tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt Aen. 12.
Solis Aui (Christi) *specimen.*

Verùm tempus est (vt Aeneidi finem imponamus) *Patris,* seu Pontificis *Aeneæ fatum,* atque *mortem,* & *Apotheosim* quoque cognoscendi, vt Petro similis in cunctis noscatur. *Aeneam* enim *violenta morte* humanis ademptum, non solùm prisci Historici tradunt, sed et *Dido prædixit:*

-Bello

Aen.4. *Bello audacis populi vexatus, & armis,*
Finibus extorris, complexu auulsus, Iuli, Aelij Solimæi,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera, nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, Regno, aut optata luce fruatur,
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.

Nam Crucis supplicio affecti inhumati pendebant. Eamdem violentam Aeneæ mortem, per *fluuium Numicum*, qui omnia in eo *mortalia*, seu *obnoxia morti* abluerit, fabulosè Ouidius ostendit, quo *fluuio*, qui nusquam extat, vel *Tybrim*, per quem S. Petrus ad martyrium in Ianiculum profectus à Porta Ostiensi, siue Tergemina, vel *Martyrium*, aut *Baptismum sanguinis* in Ecclesia Romana ingeniosè describit, in quo *Anna perennis*, idest, *gratia lateat*, quæ Christianis *perenniter* datur. eo quod magna in *Baptismo*, seu *fluuio sanguinis*, siue Martyrij, gratia Dei *occultetur*, vel etiam fons, seu puteus siccus, quem quidam veterum *fontem Numicum* fecere, ad S. Sebastiani, est intelligendus, vbi corpus Aeneæ diu occultatum, sicut S. Petri, docta fabula prodidit. Hic igitur Latinus fluuius, seu *Numicus* à *No*, & *Ma* (latis) appellatus
Fast. 3.

Met. 14. *Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat,*
Et respersit aquis, pars optima restitit illi.
Lustratum Genitrix Diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum, quem Turba Quirini
Nuncupat Indigetem, Temploque, Arisque recepit.

Ex Sibylla enim didicerat Poeta, in morte Christianos *vngendos*, et Eucharistiam sumpturos, *qua* velut *Ambrosia cum dulci nectare mixta*, horum *ora tanguntur*, et Deo accepto quasi *Dij fiunt*, ideò ergò hæc *Aeneæ* adaptat: qui *Deus Indiges*, hoc est, *Diuus indigens* dictus, propter paupertatem, & in Vaticano *Templo* non vt Deus, sed vt *paruo Numine præditus*, seu cultu Duliæ, honorari debebat, nam *Venus* Mater à *Ieoua* Patre *postularat*:
Liu. Dec. 1. lib. 1.

Met. 14. *Aeneæque meo, qui te de sanguine nostro*
Fecit auum (quamuis paruum) des Optime Numen,
Dummodo des aliquod.

Eumdem item in Diuos esse referendum, *Iunonem* apud Virgilium *Iuppiter ex fatorum* tabulis, seu *decretis* monet:

Aen. 12. *Indigetem Aeneam scis ipsa, & scire fateris,*
Deberi Cœlo, fatisque ad sydera tolli.

Et de eodem Indigete Tibullus:

Lib. 2. *Impiger Aenea volitantis frater amoris,*
Troia qui profugis Sacra vehis ratibus.
Iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra lares.
Illic Sanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda, Deum *Cœlo miserit* Indigetem.

Quibus omnibus clariùs meridiè liquet, non alium à Diuo Petro, *Latinorum Patrem Aeneam* censendum. Itaque ea ratione non modo *Iliados, Odysseæ*, atque *Aeneidos, Diuina* (vt vocantur) *Opera* habes explanata, sed ab Annalibus priscis Latinorum, maximam errorum caliginem pulsam, et detersam

sam vides, qui falsò Aeneam (vnde *Aeneadæ* Itali appellati) pro primo gentis Latinæ Colono, et Romæ Authore nobis obtrusere. Sed quorumdm adhuc Italiæ nominum occulta, et arcana ratio priùs inuestiganda, quàm ad vulgatam, et omnium sermonibus tritam *Romuli, & Remi fabulam*, accingamur, vt Aeneæ historia prorsus absoluatur, quem in *Laurentes agros* Italiæ, Scriptores verè induxerunt. Dionys. Aut. Rom. lib. 1. Virgilius, Liuius, &c.

CAPVT XXIII.

Cur Italia *tellus Laurentia*, *Lauinia*, & *Daunia* olim appellata, Italique *Daunij*, *Lauinij*, ac *Laurentes*? Vbi perillustre *Venetorum Etymon*, aliorumque Latij populorum, nec non *Historia Lauretanæ Domus* à doctis fabulis ante Christum natum prædicta monstratur.

SI quo argumento *doctæ* Poetarum *fabulæ* (vti quidem eas S. Petrus vocat) *virtutem Christi* manifestam fecere, vt ibidem quoque idem insinuat, id in *Lauretanæ Domus* prodigio, tot sæculis ante rei euentum ab ipsis descripto, clarissimè elucet. Sicut enim Maro proximè Christum nasciturum, ex Cumana Sibylla verissimè olim vaticinatus est, ita ex eodem fonte, nempe Sibyllino, ipse, cæterique Poetæ, Lauretanæ Domus historiam hauserunt, vt non malè *vates*, ob vaticinia Sibyllæ ab ipsis excerpta, antiquitas illos nominarit. Quis enim non videt, terram Italiæ, *Laurentiam*, atque *Lauiniam*, id est, *Lauro-Lauiniam*, ante Christum natum, non alia de causa ab his nuncupatam, quam quòd Galilææ ablatam *Lauretanam Aedem* quondam suo gremio esset acceptura, vti Sibyllino indicio nouerant? nomenque *Laurentiæ*, à *Laureta* Matronæ Sylua, quam sacra Domus pro tempore quondam insessura, & *Lauiniæ* à græco λαβεῖν, quasi *Lauretanam Aedem acceptura* esse mutuatam, vnde & *Laurentes populi*, & *Laurentes agri* nomen sortiti sint, sicut *Lauinia tellus* cum *Lauina gente*? At de voce *Daunia* non perinde liquet, cur Latini *Daunij*, nec non *Gens Daunia* ab his nominati, nisi animaduertas à Græco Δάφνη, quod etiam *Laurum* significat, ab eadem (vti liquet) *Lauretana* Domo ducto vocabulo, *Daunios* quasi Daphnios, seu Laurentes dictos, vt *Apulos Daunios*, & *Peucedaunios*, quia ad *Picenos* erat *appulsura*. Quos *Daunios* cum Laurẽtibus populis Silius Italicus apertè coniungit: *Rutuli seruant, qui Daunia regna, Laurentique Domo gaudent*: en igitur Lauretana Domus, qua Rutulos Latinos gaudere affirmat. Ex quibus liquido cognoscitur, de Sacræ Aedis in Italiam aduentu, famam à Sibylla ortam, multis retro sæculis euentum rei antecessisse. Nam vt de Homero, Hesiodo, & cæteris taceam, qui natales Christi diù præcessere, Virgilius certe, Ouidius, ac Liuius Romanæ historiæ scriptor, ex quorum operibus præcipuè hæc vaticinia existunr, mille circiter, & trecentis annis ante Aedis translatæ miraculum vixere. Porrò sanè illustrem ac maximè celebrem de hac asportanda rumorem fuisse, ex innumeris eorumdem fabulis, atque historijs, quæ fabulam quoque ac poesim sapiunt, (vt infra monstrandum)

2. Petri. 1.

Eccl. 4.

Lib. 8.

dum) colligere licet, quarum modò aliquas solùm persequemur. *Adriæ Arã in cælo conspectam*, T. Liuius meminit, *speciesque hominum circum in candida veste*, quod sacrum Altare Lauretanæ Domus apertè designat, quod via cælesti Adriaticum mare traiecturum erat, Angelis, qui humana specie & cum candida veste non solum pinguntur, sed ferè apparent, illud portantibus. Quod enim *conspectam*, non conspiciendam *Aram* exposuit, à Sibylla phrasim mutuatum apparet, quæ quidem prophetarum more, transacto tempore pro futuro vtitur, quod illis fuerint res in viso gestæ, quæ nobis gerendæ. Idem quoque portentum alio loco idem Author narrat, verùm per fabulam à vetustis forsitan Poëtis depromptam. Ait enim *in Agro Piceno lapidibus per triduum pluisse, ac cælestes ignes* ibidem loci *multifariam ortos*, quę ternam lapidum Domus Lauretanæ in eodem agro migrationem præsignificarunt, & quasi lapideum imbrem de cælo aereo, prodigio lapsurum, ac cælestes flammas, quæ statis diebus hanc diuinam Domum, plurimo olim igne innoxio lamberent. Alia modò fabula *Lauri*, à Rege Latino ex progenie Pici, *in Italia inuentæ*, à Virgilio descripta, eamdem Lauretanam Domum cum effigie sacra ibi reperiendam clarè adeo prædicit, vt communis sensus expers dicendus sit, qui id negauerit:

Dec. l.4.

Dec.4. l.9.

Hist. Laur.

Aen.7.

Laurus erat tecti medio, penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu seruata per annos.

Laurus enim pro *Aede Laureti* per poeticam quamdam metalepsim ponitur, quæ *tecti medo*, nempe Templi Augusti a Paulo II. Pontifice inchoati, & Iulio item II. perfecti, cuius fornice seu tecto tota operitur, ea structuræ magnificentia, quæ *penetralibus altis* bellè indicatur. Porrò *sacra comam*, quod sacrata Virgo, cum prole sua Sacrosancta, Lauretanæ Domus fastigio insidens fere depingatur. Causa verò *metus* seu formidinis apparet, quare illa *seruata* siue custodita, ne rursum discedat, vt ex Galilæa primùm, deinde ex Illyri siue Dalmatia, tum Lauretæ Sylua, denique ex propinquo colle migrauerat.

Hist. Laur.

Ibid.

Quam Pater inuentam, primas cum conderet Arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.

Per *Patrem Latinum* Papam siue Pontificem Summum intellige, nam Παππαν Græci *Patrem* dicunt. Inuenta est autem illa *Laurus* (Lauretana Domus) in *Piceno* Italiæ *agro*, illo interregno, quo Bonifacius VIII. Pontifex Summus creatus est, anno salutis MDXCIV. quarto Idus Decembris, verùm diù ante, quàm alter quoque Pater seu Papa Latinus, Iulius II. *primas Arces*, Pontificias Aedes, in Laureto conderet, & Leo X. Lauretanam Vrbem, ad hostes arcendos, moenibus primis accingeret. Temporis enim seu Chronologiæ parum studiosi Poëtæ, vt in Apparatu, atque aliàs sępe monuimus. Hanc autem *Laurum* (Lauretanam Domum) Pater Latinus, seu Pontifex Summus Petrus *Phæbo* Christo *sacrauit* (qui rite φῶς βίος, vita lux hominum, vnde Phoebi nomen) quia Domum Virginis post ascensionem in sacellum conuertit, ibique aram consecrauit, vti etiam hodie traditio tenet. vnde apposìtè fabulosa historia refert, in Laurenti atis primam Deo victimam Aeneam obtulisse. Ab hac item *Lauro*, seu Lauretæ nemore, vbi primùm sacra Aedes in Italia stetit, *Anchonæ coloni* vetus nomen Lauretanum Aediculæ primò *impositum* seruant. Sequitur Angelorum elegans descriptio, qui hoc mirabile Atrium

Hist. Laur.

toties

toties deportarunt, quos quidem Aligeros ſpiritus (vti ſolent pingi) per *Apes* etiam aligeras Virgilius adumbrat.

Huius Apes ſummum denſæ (mirabile dictu) Ibid.
Stridore ingenti, liquidum trans aera vectæ
Obſedere apicem, & pedibus per mutua nexis
Examen ſubitum ramo frondente pependit.

Imago enim Lauretanę Aedis vulgò circumfertur, cum Angelorum ſeu Cherubinorum denſo examine, qui coronę modo inter ſe connexi, in ſummo Ædiculę apice, Lauretanam Virginem inſidentem ambiant, & quaſi *obſideant*. Quia verò *Apes* illę Angelicę, breui ſpatio, & momento, à Nazareth Galilææ oppido, per ingentes terrarum atque maris tractus, illam in Dalmatię fines intulere, ideo *liquidum trans aera vectæ*, & *ſtridore ingenti*, qui celeris motus indicium pręſefert. Hiſt. Laur.

Præterea caſtis adolet dum altaria tædis, Ibid.
Et iuxta genitorem adſtat Lauinia Virgo,
Viſa (nefas) longis comprehendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regaleſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum ſpargere tectis,
Id verò horrendum viſu, ac mirabile ferri.

Lauinia Virgo ſiue Laurolauinia hic pro Virginis Lauretanæ effigie poeticè ponitur, dicta quidem Lauinia, ſiue Laurolauinia, quod *Lauretæ* Matronæ Syluam ſua Aedicula primò *occuparit*, quæ hic *adolere tædis altaria* metonymicè dicitur, tanquam adolendi cauſa. Huic autem Lauiniæ Virgini *crines longos* donat, quia Nazaræo more atque ritu, vt ſpectare licet, per nuda colli & humeros, capilli ſeu crines in ſtatua defluunt. *gemmis* item *coronam inſignem*, ob gemmatam coronam, cum qua olim translata. nec non *iuxta genitorem adſtans* deſcribitur, quod Chriſtum eumdem Filium atque Genitorem brachio amplexetur, atque ſuſtineat. Atque, vt nemini dubium appareat, ſtatuam Lauretanam deſcribi, non ſolùm *altare*, quod ante eius effigiem viſitur, Poeta non ſiluit, ſed nec *fumidam* faciem, lumine tædarum, ſiue cereorum fumo infuſcatam, quaſi *longos crines* flamma comprehenderit, & *Virginis ornatum*. Quam quidem tædarum irreuerentiam per (*nefas*) caſtigat. Sed *cæleſtes flammæ* & *lumina* etiam exprimuntur, quæ non ſemel auguſtum Sacellum, cum Templo illud circumdante, illuſtrarunt, atque decorarunt, dum *Lauinia Virgo Vulcanum* ſeu ignem *totis tectis ſpargens* à Virgilio *videtur*. quæ quidem miracula grandia epiphonemate crebro admirans concluſit: *mirabile dictu*! *horrendum viſu*! &c. Verùm multis locis ab Ouidio quoque idem Hiſtoriæ prodigium tractatur: præſertim per *Daphnen* caſtiſſimam Virginem *in arborem* ſeu *Laurum* mutatam, quæ à Δάφνη lauro, Virginem Lauretanam denotat, ideoque in Laurum conuerſam, & translatam, vel quod è Nazareth *in Lauretæ Syluam* erat transferenda, vel quod Deiparę lignea illa effigies, ex cedrinæ arboris trunco efformata, à primis Chriſtianis poſt obitum eius in Nazaræna Domo fuerit collocata, vnde fabula Virginis in arborem & laurum conuerſæ manarit. Illam autem *Daphnen* ſeu Lauream Virginem, *intonſus Apollo*, ſeu Phæbus fertur adamaſſe, ob amorem Chriſti Nazaræni, & in morem gentis Nazarææ, intonſi. Et quanquam caſtum hunc amo-

Marginal notes: Hiſt. Laur. (beside "caſtigat"); Met. 1. (beside "Daphnen")

amorem, rei ſpiritualis ignarus Poëta, ad laſciuum fœde detorqueat, bellè tamen, atque eleganter, & ad hiſtoriæ aptiſſimè euentum, *fugientē Daphnen* celeriter & æquali paſſu *Phæbus inſequitur*, tum vt eius caſtitas, atque Virginitas illibata diſcatur, virum fugiendo, tum quod Chriſti patriam & paternum ſolum, in Illyrim et Italiam migrans, velox deſeruit, atque fugienti ſimilis, æqualiter inſequente filio Virgineo ſponſo, cuius effigiem ſemper ſuſtentarat. Sed cur *filia Penei*, & *ab eo*, ſeu *flumine* fugiens *adiuta* & ſuſcepta? niſi quòd filia S. Spiritus fuerit, rectè per *Peneum* à Πνέω ſpiro, deſignati, qui Spiritus item Angelicos ſua voce refert, qui *Daphnen* Lauretanam Virginem in fuga
Ib. iuuerunt, ſicut & ciuitas Dalmatię *Flumen* appellata, eamdem in arborem ſeu ſtatuam è ligno mutatam, ſui quaſi agri hoſpitio ſuſcepit. *Quam* vel ſic *mutatam Phæbus adamarit*, tum quod Lauretana Aedes, & ſtatua Chriſto ſummè cara, vti crebertrima miracula monſtrarunt, tum quòd Lauretanæ Matris brachio aſſiduè inſidens, hic Apollo intonſus, eam vti Puſio continuò tangat, & quaſi oſculetur. Vnde Ouidius de eadem mutata,

Ib. *Hanc quoque Phæbus amat, poſitaque in ſtipite dextra,*
Sentit adhuc trepidare nouo ſub cortice pectus,
Complexuſque ſuis ramos, vt membra, lacertis,
Oſcula dat ligno, id eſt, ligneæ Matri.
Cui Deus, at quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè (dixit) mea.

Chriſtum enim ſtatua ex arbore confecta, materne ſuſtentat:

ſemper habebit
Te coma, Phæbi ſiue ſolis radij, qui ſtatuas Virgineas in capite ambiunt. *te cytharæ*, cruces, quibus Chriſti manus, vt cytharæ, affixa, D. Virginis fere & Ioannis imagine inſignes. *te noſtræ, Virgo, pharetræ*, altaria noſtra, ex quibus gratiarum tela & ſpicula in homines Chriſtianos vibrantur. Neque item dubium, ob hoc Lauretanæ Domus prodigium in Sibylla lectum, antiquos Romanos in triumphis *lauro* vſos eſſe, qui victoriarum authori Deo cariſſimam *Lauream* ſeu Italam Virginem fore didiciſſent. Vnde Ouidius de eadem Daphne ſiue Lauro:

Tu ducibus lœtis aderis, cum lœta triumphum
Ibid. *Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.*

Et quia eiuſdem Virginis Lauretanæ ſtatuas atque imagines è Sibyllæ libris priſci acceperant, tum ianuis templorum, aliarumque auguſtarum ædium, tum etiam quercubus atque arboribus medijs crebro affigendas, propterea hoc vaticinium poeta ſubiunxit:

Ibid. *Poſtibus auguſtis, eadem fidiſſima cuſtos,*
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.

Neque omittendū, quod ſicut illa Chriſti Parens, ob Lauretæ Syluam *Daphne* appellata, ſic filius *Daphnis*, quaſi Laureus, qui tum propter acerbam mortem,
Eccl. 5. *extinctus crudeli funere* à Virgilio canitur, tum quia eiuſdem Crucifixi effigies, cùm Lauretana Aede in Latium ſimul erat adducenda. *Lauri* itaque fabulæ à priſcis inuentæ, Lauretanam Virginem clarè præcinebant, vt cum eam fabulantur *Iouis fulminis ictum non ſentire*, eo quòd ab omnis peccati labe (quod Ieouæ fulmen atque iram veteres doctè interpretantur) immunis, & numquam obnoxia fuerit. Hinc *Delphica Laurus* Phæbo conſecrata, quæ *vterum* Lauretanæ Matris à græca Δελφὺς voce denotaret, diuino concepti

Ver-

Verbi per nouem menses hospitio sacrum: quæ *Delphica laurus* etiam *vaticinans* credita, quòd eadem Virgo in vtero habens atque claudens Christum, *prophetare* deberet. Iam verò *Larentinalia* in mense Decembri Romæ celebrata, eaque in honorem *Accæ Larentiæ Deæ*, quidnam aliud clamant, quam Laureti Ædem in Italiam seu Lauretæ nemus, quarto idus Decembris, cum *Accæ Laurentiæ*, Diuæ Anconitanæ siue Lauretanæ sacra effigie olim asportandam? Quam quidem *Accam*, Matrem Anconitanam *Faustuli* seu beati Ioseph *vxorem* quidam verè prædicarunt, nec non *Romuli ac Remi nutricem*, quod Apostolorum Petri atque Pauli Ecclesiam Romanam, miro Ædis suæ prodigio, esset adauctura. *Sacerdotes* porrò *Accæ Larentiæ*, eiusdem augustæ Domus Canonicos olim fundandos signabant. Quid, quòd aptè eadem *Acca Larentia*, quæ *Anconam* & *Lauretæ* nemus suo nomine refert, ab antiquis *Dea Flora* dicta, quasi Dea Nazareth, quæ *Floridam Deam* hebraicè sonat, quia in Nazareth concepta & orta, IESVM Nazarenum seu *floridum* filium ibidem conceptum isthic educare ac alere deberet? vnde ad effigiem Lauretanę Domus cereo Agno impressam, hic titulus legitur, qui hebraicum etymon Domus Nazarenæ luculenter explicat: *Verè Domus florida, quæ fuit Nazareth*. Ex hac igitur Domo verè florida *Dea Flora* prodijt, mater atque parens florum, *Floridi* primùm ante omnes IESV *Nazareni*, deinde *Floridorum* quoque Christianorum, seu Nazarenorum. Sed quod non caperet rudis antiquitas, in libris Sibyllæ, mysterium Virginis quondam parituræ, quo filium illa Virgo Flora extra coniugium (puta consummatum) enixura esse canebatur, & duorum sponsoru m, nempe Spiritus Sancti, quem *Zephyrum* Ouidius vocat, & *Faustuli* Ioseph, à quibusdam *Carrutij* dicti, quasi fabri Carrorum, siue lignarij; simul sponsa futura, ideo impiæ fabulæ (quamuis doctæ simul) castissimam hanc Virginem Matrem, *nobile* atque *diues scortum* tradidere. *Nobile* enimuero, quod eiusdem cum Christo homine generis. *diues* autem, ob donaria & opes immensas, quas in Sacello suo Lauretano erat congestura. Scortum, inquam, siue meretricem, quæ *Romulum*, & iuxta alios, *Senatum Populumque Romanum, bonorum omnium hæredes fecisset*, quia Domum suã Nazarenam, postmodum Lauretanam dictam, è Nazareth primùm, deinde Dalmatia, in Latium tandem diuinitus erat transmissura, atque donatura, cum supellectile, armariolo, & vasis fictilibus, ac deinceps innumeris donis, & anathematis, quibus Floræ mobilia, ac immobilia bona continentur. Ob quod beneficium (quod quidem collatum Romani Sibyllam prauè interpretati, falsò credidere, quod solùm olim erat conferendum) Floræ dies Natalis, diu ante Christum natum, atque eius Floram Matrem, Romę celebratus, quia id insuper olim factitandum in Ecclesia Romana fortasse legissent. Quin in vrbe *Fanum* illi excitarunt, vbi Virginis Lauretanæ Templum quondam erigendum, in Sibyllæ folijs scriptum didicerant. Sicut autem *Larentinalia* in mense Decembri ob causam iam dictam, ita *Floralia* Maio instituta, Ouidio teste,

Plut. in. q. Rom.

Fast. 5.

Fab. Pict. l. 2.

Fast. 5.

Fast. 4.

Exit & in Maias festum Florale Calendas,

quòd septimo idus eiusdem mensis, anno MDXCI. Nicolao IV. Pontifice Maximo, Lauretana Domus in Illyrim siue Dalmatiam erat asportanda, sicut & Decembri in Italiam postmodum erat migratura. A *Flora* autem Nazarena Virgine, cui *Maria* nomen (antiquorum *Maia*) *Maius* mensis dictus, quo Domus eius in Illyrim erat transferenda, cuius etiam idem Ouidius meminit:

At

Fast. 5. *At tu materno donasti nomine mensem,*
Inuentor curuæ, furibus apte, fidis.

Mercurij enim Christi mater *Maia* seu *Maria*, qui ab eiusdem Μαρίας κῦρος, seu ventre Mariæ nomen adinuenit. Quem quidem fures antiquitus, vti sibi aptum numen, inuocabant, eò quod Latronem morientem in Cruce erat beaturus, quod altero libro fusius explicandum, vti cur cytharæ inuentor sit dictus. Nemo itaque miretur, si *Maiam Larentiam* Macrobius nominet, quam *Bonam Deam* simul esse docet, de qua mox dicendum. Sed quam castè Naso de Dea *Chloride* siue *Flora* senserit, deque eius partu, quo mater effecta, verùm Mater Virgo, modò attendamus. hanc enim secum colloquentem hoc modo inducit:

Ibid. *Ipsa doce, quæ sis, hominum sententia fallax,*
Optima tu proprij nominis author eris.

Cui Diua respondet,

Chloris eram, quæ Flora vocor. ex quo liquet corrupto vocabulo *Chloridis*, pro *Floride* seu *Flora* Græcos vsos esse, quādoquidem ex patria, seu nomine Nazareno liqueat, Floram aut *Floridem* veriùs, quam *Chloridem* esse nominandam. at subiungit illa

Quæ fuerit mihi forma, graue est narrare modestæ,
Sed generum Matri (Annæ) *reperit illa Deum.*

Deum *Zephyrum*, Deum Spiritum Sanctum, a quo impręgnatam se mox fatebitur. Agnosce interim modestiam Virginis, quæ nonnisi modestè, & cum præmunitione se Dei sponsam nominare audet.

Ver erat, errabam, Zephyrus conspexit, abibam,
Insequitur, fugio, fortior ille fuit.

O docta fabula! etenim vere ineunte, seu Martij mensis vigesima quinta, superueniens in illam *Zephyrus*, seu Spiritus Sanctus, castissimum vterum eiusdem afflauit, atque fæcundauit. Qua quidem die Incarnatio Christi, & Annuntiatio Virginis celebrari solent. Vere ineunte ad Elizabetham cognatam in montana Iudææ, duce illo Zephyro, Virgo Flora profecta, quod iter *errorem, fugam*, & *discessum* vocat. Satis autem Flora sua fuga indicat, se non statim consensum spiritualibus his nuptijs dedisse, imo quasi repugnasse, quod virum cognoscere nollet. Quam ob causam, hoc mysticum S. Spiritus opus *vim* Poëta appellat, poeticè non Theologicè, quòd consensum dedisset, quanquam ea phrasi castitas eius intelligatur:

Vim tamen emendat (Zephyrus) *dando mihi nomina nuptæ*,
nimirum Desponsatæ Ioseph.

Inque meo non est vlla querela thoro.

Quia licet sponsa atque mater, thorum Virgineum illibatum seruaui. maculam ergo meretricis falsò Floræ aspersam, eluere Ouidius studuit, optimè a Sibylla edoctus. eiusque imperium atque potestatem in Ecclesiam Christi, per horti floridi metaphoram exponit, vel allegoriam:

Ibid. *Est mihi fæcundus dotalibus hortus in agris,*
Aura fouet, liquidæ fonte rigantur aquæ.
Hunc meus impleuit generoso flore maritus, Zephyrus,
Atque ait: arbitrium tu Dea floris habe.
Sœpe ego digestos volui numerare colores,
Nec potui, numero copia maior erat.

Qua

Qua allegoria multitudinem atque varietatem fortium ac *generosorum* Christianorum explicat. Et quia *Horæ* Canonicæ in Ecclesia Romana erant instituendæ, & *Gratiæ* seu *Charites* filiæ Spiritus Sancti, tempore horarum illarum, *coronas* precum (vulgò rosaria) in templis recitare debebant, ideo illa subdit: Ibid.

Conueniunt pictis incinctæ vestibus Horæ,
Inque leues calathos munera nostra legunt.
Protinus accedunt Charites, nectuntque coronas,
Sertaque coelestes implicitura comas.

Nullum enim opus Deo gratum & ad salutem vtile, etiam Rosarij, aut precum quarumuis recitatio, nisi à gratia Christi, seu Spiritus Sancti, vel *Charite* procedat. Addit item *Flora* Ecclesiam filij per varias gentes sua opera sparsam, & disseminatam:

Prima per immensas sparsi noua semina gentes,
Vnius tellus ante coloris erat.

Quia Ecclesia fere in sola Iudæa, nondum in gentibus. Se quoque Christi Matrem esse his verbis ostendit:

Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes.

Nam *Mars* vox contracta ex ΜΑΡΙΑΣ ΥΙΟΣ, id est, filio Mariæ, qui & græcè Ἄρης, & prima littera ei restituta, Μάρης diceretur, quasi *Mariæus*. Modum autem generandi *Martis*, quamuis fabulosè, doctè tamen explicat: nam grande illud mysterium, haud pessimè Poëtam, Sibylla magistra, assecutum liquet:

Si Pater est factus, neglecto coniugis vsu Ibid.
Iuppiter, & solus nomen vtrumq; (Patris atq; Matris) *tenet,*
Cur ego (Iuno) *desperem fieri sine coniuge mater,*
Et parere intacto, dummodo casta, viro?

Id autem ope *Floræ* perfectum, quæ tangens suo flore, IESV Nazareno, sinum magnæ Iunonis, illam ita fæcundauit, vt Christum sine Patris vllius in terris opera, siue *Martem* gigneret. de quo mysterio ad Iunonem Flora;

Quod petis, Olenijs, inquam, mihi missus ab oris Ibid.
Flos dabit (IESVS Nazarenus) *est hortis vnicus ille meis.*
Protinus hærentem decerpsi pollice florem,
Tangitur (illo flore Iuno) *& tacto concipit illa sinu.*
Iamque grauis Thraces, & læua Propontidos intrat,
Fitque potens voti, Marsque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in Vrbe locum.

Nam Romæ Templum Virgini Floræ Lauretanæ erectum, vti supra diximus. Se quoque non vno, sed varijs templis, sacellis, & aris, & festis colendam atque honorandam, cum cæteris Sanctis, illo versu docet: Ibid.

Nos quoque tangit honor, festis gaudemus & aris,
Turbaque coelestes ambitiosa sumus.

Et infra,

Conuenere Patres, & si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vouent.
Annuimus votis.

Quibus beneficia sua erga Christianos, sed maximè Domus Lauretanæ innuit, Italis, & Romanis diuinitus olim conferenda. Illam enim Diuam mortali-

bus

Ib. bus facilem, & minimè seueram futuram Poeta prædicit, verùm popularem:

Sed mihi succurrit, Numen non esse seuerum,
Vult sua plebeio sacra patere choro.

Vnde intelligis *Floralia seu Ludos Florales* ob gaudium illius beneficæ Domus in Latium quondam afferendæ, in Vrbe institutos, quamuis lasciuijs plurimis, magna iniuria castissimæ Floræ, hos contaminarint. ac ignoratione Virginei, cælestis, ac Diuini partus, ob quem de eadem parum castè senserunt, vti supra dictum. Quod autem in his *Floralibus* se Romani *rosis coronarent*, eisque passim loca inspergerent, ad *Coronas* precum, vulgò *Rosaria, Virgini* quondam grata futura, prolusisse certum est:

Ib. *Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,*
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

Verùm & *Lumina* Floræ Imagini appingi consueta, quæ coelestes flammas Lauretanam Domum collustraturas olim portenderent, & quorum causam sese Ouidius ait ignorare, eo versu collucent:

Ib *Lumina restabant, quorum me causa latebat.*

Sic *Capreæ* & *Lepus* Floræ reti clausi, Domus Nazarenæ errorum & saltuum in varios colles, atque migrationum in plurimas sedes, vera Symbola erant:

Ib. *Est breue præterea, de quo mihi quærere restat,*
Si liceat, dixi, dixit & illa; licet.
Cur tibi pro Lybicis clauduntur rete Leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus.

Non mirum igitur ab hac Flora *Floros* in Latio, quasi fortunatum nomen accepisse, vti *Florentiam* Vrbem, atque *Florentinos*, apud quos fanum Virginis Floridæ, & Arcas & *Campos Aciæ*, hoc est, Ioaciæ *Floræ* ibi consecratos. Sed de Flora satis, quam vti *Florã* à Nazareth Florida, sic à bonitate *Bonam Deam* quoque indigetarunt, quam summæ pudicitiæ matronam, *Maio* quoque mense, occultis & arcanis sacris matronæ Romanæ castissimè colebant: per matronas quidem, Matris fæcunditatem, per castos ritus, eius virginitatatem, per arcana sacra Viris inaccessa, Incarnati & concepti Christi ab eadem, sine opera viri, mysterium rite adumbrantes. Templum autem eius in paruulo montis cliuo positum Romæ frequentantes, Lauretanæ Aedis in colle multiplici figendæ situm prædocebant. de qua *Bona Dea* ita Ouidius:

Fast. 5. *Interea Diua canenda Bona est.*
Est moles natiua loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis erat.
Templa Patres illic oculos exosa viriles
Leniter accliui constituere iugo.

Et quia Lauretanum Templum à summo Pontifice cælibatum professo, & qui ius *claudendi*, & aperiendi cælestem ianuam esset habiturus, extruendum atque consecrandum, Sibyllæ indicio olim prænouerant, Deæ Bonæ fanum ex *Claudiorum familia Virgo dedicabat*, quæ Romanum Pontificem gentilitio nomine, atque cælibatu quadamtenus referret. vnde Ouidius:

Dedicat hæc veteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.

Per

Et verò obseruandum, ex oratione Tullij pro Milone, Clodium sacrorum Bonæ Deæ stupratorem, *ante Sacrarium Bonæ Deæ, primum vulnus accepisse, quo teterrimam mortem obiret*, quod casu factum ibidem M. Tullius negat. Per *Leucotheam* item, *Deam Fortunam, Pomonam*, atque *Galatheam*, eamdem Lauretanam Aedem ac Virginem veteres præsignificarunt. Est autem *Leucothea* Alba Dea, à λευκή & θεά & quia Galilæa orta, ob γάλα lacteam, siue albam Deam nominarunt. Hanc autem timore sæui *Athamantis, cum filio paruulo* sese ex *Scyronis* scopulo ferunt *præcipitem in aquas* dedisse, quo migrationem eius è Syria seu de rupe Nazareth, per maria immensa in Illyrim docerent. quæ quidem migratio metu *Athamantis*, indomiti Turcæ, siue Saraceni contigit, natalem patriam Syriam vel iam occupantis, vel occupaturi. Hist. Laur. Quod verò *in marinam Deam*, ab Homero *Leucothea* mutetur, ex *Mariæ* nomine originem ducit, quod hebraicè *Deam* seu *Dominam maris* etiam significat. Od. 5. Hæc item *Leucothea* apud eumdem Homerum, *Vlyssem* naufragum, & in mari multa patientem iuuat, eò quòd Petri Ecclesiæ semper opem tulit, maximè sua Lauretana Domo in Latium adducta ea tempestate, qua intestinis discordijs ac bellis Italia ardebat. Ib. Quod verò eidem Vlyssi *redimiculum* seu *vittam* obtulisse fingunt, quibus *naui alligatus* (iuxta Philostratum) *suis manibus mare* (Mariæ Galilæam Domum) *metiretur*, id ad funiculum mensorium seu mensuras Aedis Lauretanæ pertinet, quibus instructos quosdam è domesticis suis Supremus Pontifex nauigare iussit, & in Syriam traijcere, explorandi causa, num cum Lauretana Galilææ Domus fundamenta quadrarent. Verùm nihil æquè demonstrat Deiparam *Leucotheam* esse, quam quòd huius vita alteri conueniat. ferunt enim hanc à Deo Sole adamatam, salutatam, & grauidam effectam, ac deinde ob partum, à parente Orchamo viuam humo defossam, seu sepultam esse, sed à Sole seruatam, & in thuream virgam demum commutatam, quæ tumulum ruperit. qua partus Virginis Sole Christo grauidæ, & salutatio ab Angelo facta, mors, tumulus, ac vita in tumulo reddita, atque in cælum eius, cum plurimis adiunctis, assumptio eleganter prædicta. Quæ omnia propè Christiana phrasi, atque metaphora, Ouidius enarrat. Solis primùm in Virginem amorem

quid nunc, Hyperione nate,
Forma, colorque tibi, radiataque lumina prosunt?
Nempe tuis omnes qui terras ignibus vris, Met. 4.
Vreris igne nouo, quique omnia cernere debes,
Leucothoen spectas, & Virgine figis in vna,
Quos mundo debes oculos.

Salutationem autem eius per legatum Angelum, per legantem proxime Deum Solem sic describit:

thalamoque Deus sine teste relicto,
Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus, mihi crede, places.

At verò turbata, ac metu perfusa, ob sermonem istum

pauet illa, metuque
Et colus, & fusus digitis cecidere remissis.

Ipse timor decuit. quia testimonium magnum castitatis, ac Virginitatis, atq; modestiæ. consensum Virginis verò sic expressit;

At Virgo quamuis inopino territa visu,
Victa nitore Dei, *posita vim passa querela est*.

Rursum vt Poeta gentilis & rerum diuinarum rudis, Incarnati Dei in Virgine mysterium, *vim* non rectè vocat. Sed cur ob hunc partum illam parens Virginem viuam humo defodit? quia quod Christi Dei parens esset, vita illi foret in sepulchro reddenda. nam mortalem carnem atque vitam à Patre Ioachimo (quem *Orchamum* Ouidius appellat) acceptura erat, ob quam fato fungi, atque sepeliri deberet. ideo ergo illam apud Poetam *Pater Orchamus*

Defodit alta
Crudus humo, tumulumque super grauis addit arenæ.

Mors autem eius descripta, per pondus terrenę molis, siue carnis à Patre acceptę:

Nec tu iam poteras enectum pondere terræ
Tollere Nympha caput, corpusque exangue iacebat,
Ille quidem (Sol Deus) *gelidos radiorum viribus artus,*
Si queat, in viuum tentat reuocare calorem.
Sed quoniam tantis fatum conatibus obstat,
Nectare odorato sparsit corpusque, locumque.

Nam ineffabilis odor ex corpore, & tumulo Deiparę spiraturus erat, vti traditio euentum testata. Vitam autem ei in sepulchro donandam, et ad Cęlos assumendam, tùm per hoc, quod *viua sepulta*, tùm per sequentes quoque versus enarrat, vbi Sol eius tumulum dissipare fingitur:

Dissipat hunc (tumulum) *radiis Hyperione natus, iterque*
Dat *tibi, defossos quo possis promere vultus*.

Item infra

Tanges tamen æthera, dixit,
Protinus imbutum Cœlesti *nectare corpus*
Delicuit, terramque suo madefecit odore.
Virgaque per glebas sensim radicibus actis
Thurea surrexit, tumulumque cacumine rupit.

Can. 13. Ascensum ergo Virginis in cælum, per ascensum *Virgæ thuris* è tumulo depingit, qua etiam Salomon metaphora vsus est: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi* ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Eamdem

Plut. in qu. Rom. præterea Leucotheam, Auroram seu *Matutam Deam* appellarunt, quòd Solem iustitię Christum paritura, cuius *croceo* & casto *cubili Tithon* seu Iosephus *senex* abstineret, ab arte fabrili *Techton*, & corruptè *Tithon* nominatus. Versa denique in *Marinam Deam* Leucothea, *Fortuna*, & *Portuna* appellata fingitur, & filius *Fortunus*, ab aliis Portunus (vnde nomen *fortunæ* ac numen profectum apparet) nimirum ab Aede & statua Matris & Filij, in varias sedes *ferenda* & *portanda*. Quæ quòd in *Ancona* stabilem locum atque sedem erat electura, ideo Diua *Ancij* ab Horatio vocatur:

Car. l. 1. *O Diua gratum quæ regis Ancium!*

Et Domina *Aequoris*, iuxta nomen hebræum *Mariæ*, Maris Dominam sonans, ibidem ab eo appellatur. Vnde in *Ancio* Mercatores quotannis *Fortunæ Deæ* sacra faciebant, nec non *Maiæ Deæ* (quasi Diuæ Mariæ) idque *Maio* mense. Et ob Matris, & Filij Imaginem simul asportandam, *Fortunis* plurali numero, & *Fortunis Antiatibus*, puta

Anconitanis, & *Fortunis Seis*, Cæis, Ioacæis, à parentibus Ioacim, multæ inſcriptiones in Latio leguntur. Item in ſingulari, *Fortunæ virili*, *& barbatæ*, nimirum ob Chriſtum. At ob Matrem Virginem, *Fortunæ Virgini*, *blandæ*, *primigeniæ Iouis pueri* (quia Deum, ſeu Ieouam, filium primogenitum brachijs ſuſtentatare debebat) *fortunæ bonæ ſpei*, *auerruncæ*, etc. *Fortunæ* itẽ & *Veneri* ſimul, Præneſte lapides inſcripti viſuntur, quod à veniendo *Venus* appellata, vti à ferendo *fortuna*: *Fortunæ* item, vt *Lari Viali* ibidem inſcriptio extat. *Lar enim* quaſi Laureus à Laureto dictus, vt infra monſtramus, *Vialis* autem à via illa mirabili ex Nazareth in Illyrim, deinde in Picenum. Redeo ad *fortunæ* nomen, cuius primigenia radix (nempè *fero*) multa in Latio loca agnominauit, vt infra patebit. Quin *Fanum fortunæ* in Piceno, vulgò Ancona dicto, Ciuitas quædam nominata ante Chriſtum natum, Lauretanæ Virginis Aedem cum Templo monſtrabat, ibi collocandam, *quæ* propter inſtabilem Sedem, & crebrò mutatam, et Domum ad multos *latam*, et portatam, *fortunæ* nomen, numenque obtinuit, iuxta illud qnoque Iuuenalis

Nos te,
Te facimus, *Fortuna*, *Deam*, *Cœloque locamus*: Sat. 10.

Verùm nihil æque oſtendit Lauretanam Virginẽ *Fortunæ* nomine olim præmonſtratam, quia ab Angelis erat *afferenda*, atque *efferenda*, quam quod Romanarum portarum vna, arcano myſterio, vt Author Plutarchus, *feneſtra vocata*, *iuxta quam Fortunæ thalamus* viſebatur, quo quidem Lauretanæ Aedis formam delineabant, in qua vna portarum *feneſtra* adhuc exſtat, porta, per quam Angelus legatus ingreſſus, cui quidem feneſtræ, ſeu portæ Angelicæ, vicinus *Fortunæ Virginis lectus* olim erat. Quid, quod, teſte Cicerone, Præneſte Iuppiter puer lactens cum Iunone, in gremio *fortunæ* ſedens, & mammam appetens, à matribus caſtè colebatur, num gremium id Virginis indicat? quid, quod iuxta Strabonem, in Luco *Ferentali*, Marica Laurens Nympha Templo magnifico erat honorata? quid, quod *Ferentanorum* originẽm Cato à *Dalmatis* deriuat, non quod ex Dalmatia Imago Fortunę Deę in Latium erat afferenda? Vera hęc igitur *Fortunæ* nominis, aut *Portunæ* ratio à *portanda*, ſeu *ferenda* Virgine, vt *Pomonæ* à pomo, ſeu fructu ventris eius benedicto, nempè Chriſto Ieſu, quem hęc producere, & vtero ferre, caſtiſque ſuis vberibus, vt pomum affixum, illa ſacra arbor ſuſtentare debebat. Deam verò Pomonam *in Italia vixiſſe*, non quidem ſub Romulo, ſed ſub illi ſuccedentibus Regibus, *celebremque* inter *Hamadryadas ſyluas*, & *arbores* Priſci tradiderunt. quia non ſub Petro (quem Romulum dicemus) ſed ſub illius Succeſſoribus Pontificibus Romanis, Deipara in Latium cum Aede ſua profectura, per medias arbores, ſeu *hamadryadas*, hoc eſt, quercus congregatas, quę illius Imaginem, et Domum inclinato trunco, ac vertice, ſummo prodigio deuenerarentur, vnde *Hamadryadas arbores* anima, atque ſenſu pręditas antiquitas credidit. Dilectum autem à Pomona *Priapum Deum* quoque fabulati, hortorum, ac nemorum *cuſtodem*, ſerto *coronatum*, cum *baculo* in manu, *purpureo* ad ſuras *cothurno*, atque *rubro inguine*, quo *ſacras Aues abſterrere* dictus, quibus Chriſti nudi, atque vulnerati ſacram effigiem clarè repręſentant, qui cuſtos hortorum, ac nemorum (cœmeteriorum arboribus ferè inumbratorum) cum arundineo ſceptro, et corona ſpinis intertexta, ſuris cruentatis, et cruento ingui-

In q. Rom.
Hiſt. Laur.
Lib. 2. de Diu.
Met.
Hiſt. Laur.
Maro in Epigr.

sanguine (tam quòd circumcisus, tum quia flagellis dirissimè cæsus) suo illo supplicio Angelos (sacras Aues) terret, qui aliàs ad eius conspectum quasi contremiscunt. Præterquam enim quòd Christus Hortulani forma post mortem resurgens apparere deberet, et *Priapi* etymon Redemptorem sonat, a Πριᾶν, & Ποιῶν, quod *redemptionem effecturus esset*. Quod verò alia fabula *Picum* Pomonæ coniugem fuisse asseuerat, iuxta illud Seruij: *Picum amauit Pomona, Dea Pomorum, & eius volentis est sortita coniugium*, id quoque confirmat Pomonam, Virginem Lauretanam esse, ob loca in *Piceno* ab ipsa adamata. Iam verò Galathea Nympha, *Nerine*, hoc est, Nazarena dicta, eamdem Virginem *Galileæ Deam* voce figurabat. Quam ob tot maria diuinitùs emensa, in *Marinam Deam* quoque commutarunt, iuxta id Maronis

Aen. 8. *Et Galathea secat spumantem pectore Pontum.*

Hanc autem Nympham *caram* propterea *Pastoribus* fingunt, atque ab ijsdē summopere *laudatam*, quòd à Pontificibus Romanis, Pastoribus Ecclesiæ supremis, Lauretana Virgo, atque Aedes, summo in pretio, & honore habenda. Vnde Pastor Corydon apud Virgilium eius laudes canit, aduentum exoptat, et fugam in *syluas*, aut *salices* narrat.

Ecl. 7.
Nerine Galathea, thymo mihi dulcior Hiblæ,
Candidior Cygnis, hedera formosior alba,
Si qua tui Corydonis habet te cura, Venito.

Polyphemum quoq; nefarium Antichristum, eiusdem amore semper fugientis frustra captum finxere, quod Cellam eius donis opulentis refertam, sæpe forsan irrito conatu spoliare tentabit: Vnde etiam ab eo laudata

Met 13.
Mollior & Cygni plumis, & lacte coacto,
Et, si non fugiat, riguo formosior horto.

Dies me deficiat, si quot nominibus, & fabulis, Lauretanam Virginem Prisci prædixere, ea vniuersa consectari velim. Hæc enim ipsorum Electra, Latona, Nysa, Canens, Syluia, Ilia, Rhea, Laurens Marica, Lyriope, Danae, Isis, Venus, siue Cytherea, præter innumera alia, quibus supersedemus, superioribus hisce nunc contenti Nam *Electra* dicta Lauretana, quòd facies (Hist. Laur.) *Electro* referente argentum esset oblinenda, *filia Atlantis* Dei, iuxta illud Virgilij

Electram maximus Atlas
Edidit, æthereos humero qui sustinet orbes.

Mater *Dardani* (Christi *Iordanei*, hoc est, *Iudæi* per excellentiam) iuxta alios *Iasij*, nempe Iesu. Quia verò *Electram* è Galilæa, non longè à Veneto mari, & ostijs Padi transferendam norant, *Electridas* Insulas ibi defixere, non ab electro ita nominatas, quod hic nusquam gignitur, teste Strabone, verùm ab *Electro*, vti dictum, Virginis facie *oblita* eò perferenda. (Lib. 5.) Vt & *Adriaticum* mare (quod *Atriaticum* Prisci nominarunt) ab *Atrio* (Plin. nat. hist. lib. 3. cap. 16.) eiusdem Lauretanæ Virginis illud traiecturo nomen inuenisse ex etymo apparet, aut aptiùs nobis principium ostendant, qui non consentient. Sicut et *Venetos* maris Adriæ Dominos ab eius *aduentu*, præsertim cum *Rheæ Sinus*, quasi *Fretum Mariæ* apud hos in Adria à Priscis ponatur, *Mariæ* prima dempta syllaba, vti & *Venetis* interdum primam literam auferunt, et *Enetos* vocant. Similiter *Venus* nempè à *veniendo*, vt Cicero testis (puta (De Nat. Deor.) in Latium) Lauretana patens etiam appellata, communi cum *Venetis* origine

gine nominis, et nomenclatura. Ita etiam *Appulos*, et *Appulos Daunios*, Italiæ populos nominatos liquet, quod ad Italorum oras, et litora, illa Daphne Virgo quondam *appulsura*, à qua et *Daunij* generali nomine, et *Peucedaunii* speciales populi, qui *Picenum* habitant, et *Laurentes*, atque *Lauinii*, vt supra ostensum, vocabula sortiti. Cùm enim Latini, ex Sibyllę oraculis clarè didicissent, hanc beatam Domum cum sacra Effigie, et supellectile, ex Illyri per Venetum mare in Italię fines mirabiliter olim deferendā, innumeris Vrbibus, locis, & populis, pręsertim maris superi accolis, ab eius aduentu, tanquam prenobile, atque faustissimum nomen indidere. Hinc ab hac *ventura*, *Veneti*, atque Vrbs *Veneta*, *Venusium*, atque *Venusini*. Ab hac *appulsura*, *Appulia*, *Appuli*, et *Appuli Daunij*. Ab *accipienda*, seu à Greco λαβεῖν, *Lauinii* quasi *Laurolauinij*, vti etiam vocati, ab inuenta, seu accepta Lauro, vt Seruius tradit, *Lauinia tellus*. Ab hac in Illyrim, seu Latium *ferenda*, *Ferentani*, siue Ferentini, *Feretrii* (qui vulgò Feltrij (*Ferraria*, seu *Ferrarienses*, *Feroniæ*, seu *Feronæ lucus*, immo *Formiani* à Gręco φέρω, seu πέφορμα, hinc quoque tot Latinę Vrbes *Forum* appellatę, *Forum Iulium* Venetorum Patria, *Forum* (Feltro Ciuitas) quod et Feretrium, *Forum* Sempronij, *Forum* Aruentinorum, *Forum* Apis, Vocanij, Dugentorum, Segusianorum etc. Nam *Foroiulium* à *ferenda Ilia*, seu *Aelia*, hoc est, *Iudæa* Virgine, suum Etymon deriuat, vocabulo *Iliæ*, seu *Aeliæ* ab Aelia, seu Solyma ducto, quia ex Iudęa afferri debebat, cuius caput Solyma. Vnde ab *Aelia* quoque, prouincia *Illyris*, quasi *Aelia Laurus* formata apparet (quia in Illyrim, siue Dalmatiam illa Lauretana erat adducenda) sicut et Aelij, Auli, Iuli, et Iulij Romani. Porrò à nomine eius *Lauretano*, *Laurentes*, Laurentia tellus (Italia dicta) Illyrij, Illyris, cum fluuio Lyri, Daunij (qui Gręcè Laurentes) Appuli Daunij, Peucedaunii, vt supra monstratum, *Larij*, et *Larius Lacus*, atque Dij *Lares*, vt infra ostendendum, cęteraque horum similia ducuntur. A nomine autem *Nazareno* eiusdem (quod *Florem*, seu *Floridum* hebraicè reddit) *Florentia* vocata, Florentini, apud quos *Templum Virginis Floridæ*, et etiam *Campus Aciæ Floræ*, vti supra dictum, denique et *Flori* Latini. Ab *Atrio* eiusdem, *Adriaticum mare*, et Adria ciuitas, vbi *Aram in cælo conspectam*, cum hominibus in candida veste hanc circundantibus, supra memoratum. Ab *electro* demum vultus eius, *Electrides* Insulæ sicut & *Electra* Virgo nomen contraxerunt, ex quibus clarè cognoscitur, complurimis personis, Locis atque rebus Italiæ veteris, ante Christum natum, Lauretanam Virginem nomina posuisse. Sed vt ad *Venetos* nostros reuertamur, id etiam confirmat, ab *aduentu* Lauretanæ Virginis esse nominatos, sicut ipsa *Venus*, quod ea *Cypria*, *Cypris* atque *Cypro orta* memoretur, puta ob Venetos Regni Cyprij dominos, in quorum Adriaticum mare; eius Veneris, seu Virginis mirabile Atrium erat aduenturum. Ideo quoque forsitan inter celebres Lauros *Cypriam* prisci nominarunt, ad Lauretanam Ædem alludentes, & Cyprij in Cypro *Marium*, ad honorem eiusdem Lauretanæ Mariæ, Vrbem condidere. Hæc igitur occasione *Electræ* à nobis sint dicta. Ad *Latonam* modò veniamus, quam certè prima fronte apparet à *Latio*, in quod transferenda, vocabulum sumpsisse. Vt enim Lauretanæ Virgini sit in cunctis similis, geminas proles in fabulis gignit, omnibus terræ hospitijs exclusa, *Dianam* Diuinam mentem, seu Diuinitatem, sine obstetrice, & *Apollinem* Christum, sorore eiusdem Diana obstetrice, vti libro secundo

Aen. 7.

do fusè demonstrandum. Sed & *Nysa* eadem Lauretana Virgo, quasi *Nazarena*, dicta, à Flore, quem *Niza* hæbræi appellant, cuius filius *Nysæus* seu *Dionysius* Christus *Deus Nazarenus*, aut si mauis, *Floridus*. *Canens* item dicta à *Recineto*, vulgò *Recanati*, apud quam Vrbem deportanda erat. *Canens* verò *Pici vxor*, vel quòd *Recinetum* in *Piceno* situm, vel quòd *Pici* Laurentis seu Laurentum Regis, summi Pontificis Picenę Ecclesiæ sponsi, post translationem quasi sponsa futura. iuxta illam Ouidij de *Canente* fabulam:

Met. 14. *Hæc vbi nubilibus primùm maturuit annis,*
Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est.

fertur enim Virgo *Canens* Picum adamasse, hoc est, Romanum Pontificem, *cunctis præpositum*, vt Poeta vocat, quod in eius *ditione Picena* sedem delectura, cuius rei æmulam *Circen* (Ecclesiam dominantem, vt supra monstratum) fingunt Mythologi maritum *Picum* in *Auem* mutasse, quia *Auenionem* eum *transtulerit*, & *coloribus varijs* eius alas *sparsisse*, quòd Picenæ ditionis Domini Pontificis latera, quasi *alas*, Auenione sedentis, varij Cardinales, Episcopi, alijque Ecclesiæ Prælati, varia quoque veste insignes isthic incinxerint. Non enim ita multò post translatam Virginem in Agrum Picenum, Pontifices Romani Auenione sederunt. ob quam mutationem seu Metamorphosim, *Canens* postmodum fingitur luctu *extabuisse*, quia Recinetum alienas partes à Pontifice in schismate secutum, direptum postea et incensum fuit. (Hist. Laur.)

Met. 14. *Fama tamen signata loco est, quem iure* Canentem
Nomine de Nymphæ, veteres dixere coloni.

Nam Recineti in Senatorijs Aedibus præclarus titulus, siue monimentum de Virgine in Agrum translata Recinetensem, etiam hodie post Vrbis excidium legitur. *Recanati* quidem siue *Recinetum* à voce *Racha* latum interpretante, supra deduximus, *Picus* verò ab hæbræo Paca idem significante descendit. Huius filium *Faunum* Virgilius facit, Christum in Eucharistia crebrò apparentem (nam à φαίνω appareo *Faunus* & *Fanum* dicuntur) quem Pontifex Romanus ibi quasi gignat. *Pater Pici* Pontificis *Saturnus* Iaphet, vti omnium quoque Romanorum, iuxta illud Maronis

Aen. 7. *Fauno Picus Pater, isque parentem*
Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus author.

Picum item Pontificio ornatu sic idem describit.

Ibid. *Ipse Quirinali lituo* (Cruce Pontificia) *paruaque sedebat*
Succinctus trabea, læuaque ancyle gerebat,
Picus equum domitor.

De *Ancilibus* in Numa agemus. per *equos* verò Pici, *diuinum spirantes naribus ignem*, & *semine* æthereo, seu cælesti *satos*, eos intellige, qui *Missionarij* vulgò appellantur, qui igne S. Spiritus incensi, ad quasuis gentes, vel maximè barbaras, ad Christi fidem conuertendas, currunt, quos sub *Circe* præcipuè, hoc est, (Ecclesia dominante) futuros, docta fabula præuidit. At de Pico satis, ad Virginem Lauretanam redimus, quæ & *Syluia* dicta à *Sylua* Lauretæ Matronæ, vnde *Syluium* Regem, filium Christum, eductura esset, & in propinquo fratrum colle locatura, vti supra dictum, & infra rursum, vbi de *Ilia* & *Rhea*, in Romulo agendum. Sed clariùs nomen eius adumbrat, *Nympha Laurens Marica*, tantum non *Maria Virgo Lauretana*, Regis Latini

senio-

senioris parens, summi Pontificis, vti aliorum Christianorum spiritalis mater

Rex arua Latinus, & Vrbes Aen. 7.
Iam senior longa placidas in pace regebat,
Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus.

Nymphæ autem seu Virgini *Maricæ*, *Lyrim* Italiæ Fluuium carum fuisse fingunt, quia in *Illyrim* siue Dalmatiam apud Vrbem *Flumen* appellatam, è Galilæa erat aduehenda. De quo quidem Flumine, & Marica, ita veteres canunt

Cæruleus nos Lyris amat, quem Sylua Maricæ Mart.
Protegit.

Rursum Horatius ad Aelium

Auctore ab Ilo ducis originem Car. l. 3.
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrim.

A *Lyri* porrò, siue ab *Illyris* ciuitate *Flumine*, eadem Virgo Lauretana *Lyriope* dicta, quasi *Illyrim*, vel *Illyris Flumen* sua Aedicula, atque Imagine olim inuisura, à λυρις, seu Ιλλυρις, & ὄπτομαι video. *Lyriope* verò Nympha siue Virgo, *Narcissi Floris* (Christi *Nazareni*, seu Floridi) parens appellatur (vnde vocem *Narcissi* deprauatam putamus) ideoque *in Florem conuersi*, quod nomen Bethlemitæ in Nazarenum (Floridum) ob domicilium, mutaturus esset, & propterea mortui, quia in liquido suæ præscientiæ fonte, hominem *vmbram suam*, atque *imaginem suæ* Diuinitatis ab æterno conspectum ita dilexerit, vt acerbæ mortis illi causa foret. In quam imaginem elegantia solita Ouidius lusit:

Nil habet ista sui, tecum venitque, manetque, Met. 3.
Tecum discedet, si tu discedere possis.

Consultus vero *Tiresias* (Hebræus Propheta, à *Thare* patre Abrahami ita nuncupatus) num longæuus foret hic Narcissus? respondit, *si se non nouerit*, hoc est, hominem *Vmbram suam*, seu ad imaginem suam efformatum:

Prima fide, vocisque ratæ (Tiresiæ) *tentamina sumpsit* Ibid.
Cærula Lyriope, quæ vtero pulcherrima pleno
Infantem peperit (Christum) *iam tunc qui posset amari,*
Narcissumque vocat (Nazarenum) *de quo consultus, an esset*
Tempora maturæ visurus longa senectæ,
Fatidicus vates, si se non nouerit, inquit.
Vana diu visa est vox auguris, exitus illam
Resque probat, lethique genus, nouitasque furoris,

furorem vocat nimium amorem, quo hominem mortalem ad imaginem sui factum immortalis Deus, seu Narcissus Christus adamauit, qui his verbis etiam summopere elucet:

Nec mihi mors grauis est posituro morte dolores,
Hic qui diligitur, vellem diuturnior esset. Ibid.

Echo autem propterea Narcissum amasse, eiusque doloribus & morti fertur indoluisse, quia Verbum Patris, & illius diuinæ vocis quasi quædam Echo perfecta, Christo Narcisso siue Nazareno hypostaticè vnitum, illi patienti at-

que morienti quasi condoluit. Sed & moriturum *inclinato* seu demisso *capite*, in eodem Sibyllino fonte, Poeta prospexit:

Ille caput viridi fessum submisit in herba,

Ib. *Lumina mors clausit Domini mirantia formam.*

Eiusdem quoque ad Inferos descensum

Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus,

Ib. *In Stygia spectauit aqua*, suam rursus imaginem, Patres in Lymbo, seu *lembo Charontis* vel *gaudij* detentos. Sed & resurrectio Narcissi seu Floridi Christi, illo hemistichio satis comprobatur:

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore Florem Inueniunt

pro corpore mortuo IESV floridi siue Nazareni, ipsum *Florem* IESVM Nazarenum qui resurrexerat. Hactenus *Lyriope*, nunc *Danaes* siue Ib. *Iordaneæ* Virginis fabula ad se nos inuitat, vaticinium Lauretanæ Domus non minus illustre. Hanc enim *Danaen*, Iordaneam seu Iudæam Virginem, *inclusam turri* fabulantur, *Iouis aurea pluuia* impręgnatam esse. Hyg. Myth c. 63. Apoll. de Dijs l. 2 Aen. 7. hoc est, opera Ieouæ seu Spiritus Sancti. Quam cum Pater *Acrisius* (*sine* prudentia seu *crisi* Iudæus) in arcula cum filio conclusam mari exposuisset, teste Hygino & Apollodoro, illa *præcipiti delata Noto*, vt Virgilius ait, ad Italiæ littora tandem appulerit, vbi à Pastoribus reperta, & nobilitate à Pilumno agnita, eiusdem sponsa effecta sit. Quibus inuolucris Lauretanam historiam tegi, perspicuè apparet. Vt enim de *Arca*, seu *Arcula*, in qua clausa cum Hist. Laur. Filio, taceam, quam Virginis Aedem esse liquet, per *præcipitem* ventum siue *Notum*, quo in Italiam delata, ministerium Angelicum insinuant, quo sacrata Domus, prope in momento, plusquam vicies centena millia passuum confecerit. In Lauretanam autem Syluam adducta, à Pastoribus primum reperta est, & ad *Pilumnum* Ecclesiæ summum Pontificem, & cælestis Ianuæ ob claues Præfectum, horum indicio deinceps delata, nam πυλη vnde *Pilumnus* Ianuam græcè significat. Quod autem Varro de vita populi Rom. & Nonnius Marcell. aiunt Pilumnum *Deum præsidem coniugijs, seu coniugalibus auspicijs*, ad sacerdotium Pontificis alludunt, cuius inter cætera munus, nup- L. 2. tias consecrare, qui quidem Pilumnus nobilitate siue dignitate Virginis explorata, Lauretanæ Aedis atque Ecclesiæ, non solùm per translationem sponsus & Dominus verùs effectus est, verùm & eamdem præcipuè adamauit, vti cap. 12. amplissima Pontificum in eam collata munera peramplè testantur. *A Filio* autem *Danaes* (Christo) ferunt Patrem *Acrisium* (Iudæum) necatum, eò quòd Iudæi ob perfidiam ab eo reiecti, ad spiritalem animæ mortem damnati sunt. *Isis* modò *Inachi filia*, eadem Deipara Virgo, Inachi (filij Noe) Iaphet Latinorum Patris ideo proles dicta, quia in Latium, sua patria spreta, eiusdem cum Domo Effigies erat migratura. *Isis* autem quasi *Iesis* à Nomine *IESV*, vel tanquam *Iessis* à Iesse parente, Virgo appellata, quod vtrumque ab hebræo *Ia* & *Sa* descendit. *Dea Aegyptiorum* vulgò credita est, quia in Aegyptum cum Filio Deo olim fugere debebat, ibique morari, sed Templis etiam Romanis recepta est, nam Templum Isidis, & quidem in parte Exquilini fuit, vbi Iesseia Virgo, quæ vulgò Maria Maior, niuium miraculo sibi Aedē struxit, vnde aliquid de hoc prodigio Romuleos ex Sibylla patet odoratos. Ergo Iuuenalis apostrophe ad Aegyptum

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim.

Restat *Veneris* fabula, cuius vel etymo Lauretana Parens antiquis expressa, eam

eam enim à *Veniendo* (puta in Italiam) appellatam afferunt, & *conchæ insidentem*, in Latium mari nauigantem prisci depinxere, iuxta illud Tibulli: *Et faueas concha Cypria vecta tua.* Lauretanam Aedem *concham* interpretati, quod pretiosissimum cæli ac terrarum vnionem Christum in se parturiret. *Venerem* autem omnis pulchritudinis & gratiæ matrem antiqui credebant, necnon Cupidinis Christi (qui amoris telo Iouem seu *Ieouam* summum sauciarit) et Aeneæ (Petri) vnde *Aeneadæ* Itali, & *Egregium Veneris genus* à Virgilio dicuntur. Hæc est illa *Venus*, quæ in doctis fabulis, suum *Adonidem* (Adonai Christum) crudeliter interemptum luget, vti supra vidimus. Hæc est illa *Venus*, non cui pomum discordiæ *Paris*, Paradysæus Adamus, donauit, (nam hæc Venus Eua) sed cui *arbor myrtus* sacra atque cara fuit, hoc est, arbor Crucis, cui filius affixus, vnde cum Domuncula eius Lauretana Christi Crucifixi effigies allata, quæ forsitan ex myrtho arbore fabrefacta, locum fabulę dederit, de Vèneri consecrata myrto, aut specie myrtho pro genere, nempe arbore, sumpta, vt Poetæ solent. Ideò *Laurentem Maricam*, de qua supra dictum, *Venerem* mythologi faciunt, *Syria ortam*, quia Virgo Iudæa, & *Veneris Anciæ*, ob sedem Anconæ figendam, Plinius quoque meminit. Et ob similem causam *Anchisæ* (Christo *Anchonitano*) in fabulis nubit. Ideo & in *Ancona* antiquitus Domus Veneris posita, iuxta Iuuenalem: *Ante Domum Veneris quam Dorica sustinet Ancon*. & in *Lauinio* Strabone teste, commune omnibus Latinis *Fanum Veneris* erat, hinc *Aphrodysium* ciuitas Latij, quasi *ingressus Veneris* in Latium, vti gręca notatio docet. Vtque magis pateat, hanc *Venerem* Virginem Lauretanam esse, de eius quoque translatione in Latium futura, Sibylla prędixit vt ex illo versu Ouidij liquet

Carmine Viuacis Venus est translata Sibyllæ, Fast. 4.
Inque sui generis maluit Vrbe coli.

Qui de eius quoque in Lauretum aduentu, Angelorum ope, (quos *columbas* vocat) sic vaticinatur; Met. 14.

Perque leues auras, iunctis inuecta columbis
Littus adit Laurens.

Eius quoque cum filio aduentum per annua festa, *Vinalia* dicta, quasi *Venalia*, à Venere Dea, Romani colebant:

Cur igitur festum Veneris Vinalia dicant,
Quæritis, & quare sit Iouis ista dies? Fast. 4.

In quo festo *rosas inuicem nexas* offerentes, coronas precum siue *rosaria* ei grata futura, verè prẹsagiebant. de quibus rursum Ouidius

Cumque sua Dominæ date grata sisymbria myrto, Ibid.
Textaque composita iuncea vincla rosa.

Et quia in varios *colles* erat transferenda, *Collinæ portæ proxima* eo Veneris festo *templa* frequentabant: Ibid.

Templa frequentari Collinæ proxima Portæ
Nunc decet.

Iam verò epitheta Veneris, *Paphia*, *Cypria*, *Erycina*, *Aurea*, eamdem Matrem ac Virginem Lauretanam indicant. Nam *Paphia* quasi *Baphia* dicta, siue *tincta*, puta, lampadum fumo, à gręco βάπτειν. Et *Cypria*, quod in ditionem Venetorum ventura, quibus *Cyprus* subiecta, vti supra dictum. Iam verò *Erycina* ab *Eryce colle* siue Lauretano dicta, nam *Esrach*, vnde nomen *Erycis*, hebraicè *Laurum* significat. *Erycem* autem Sicilię montem vocaue-

re, quia in Sicilia *Lauretanæ Virgini* extruendum Templum quoque didicerant, vnde à Siculis ad Italos translatam Venerem falsò autumarunt. *Aureæ* item Venus ab *aureo* ornatu, atque *aureis* donis vocabulum traxit, quibus Domus eius olim abundaret. Cætera autem epitheta Veneris, *Coa*, *Cytherea*, *Idalia*, *Acidalia*, & *Alma*, eamdem consequenter Deiparam ostendunt. *Coa* siquidem atque *Cytherea*, vt supra monstratum à parente *Ioachim* agnominata est, quasi *Ioacoa*, & *Ioacyterea*, & *Idalia* ab Ida, Iuda, seu Iudæa. Nam *Acidalia* ab *Ioachim* & *Ida* sibi nomen conflat. *Alma* ad extremum ab *alendo* Christo vocata est. Cur igitur *Venerem* (si per eam castitatis mater antiquitus prædicta ac signata fuit) amoris lasciui Deam esse fingunt? cur tanquam cum Marte adulteram traducunt? eadem sanè ignoratione, qua Floram Virginem scortum credidere, ex Sibyllæ libris, mysterijsque Christianæ fidei prauè intellectis. Cupidinem enim, seu Diuinū Amorem, formā pueri indutū, cuius Venus parens fore nūtiabatur, ad humanum, atque adeo lasciuū fœde detorsere, diuinæ, castæ, ac spiritualis, vt homines Gentiles, dilectionis ignari. Quanquam eam etiam, vt pudicitiæ Matrem, cultam esse, id argumento sit, quod Matronarum castitatem in Latio prostratam, Veneri templo facto restitutam tradunt: ideo Ouidius illam in hunc modum commendat

Fast. 4.

Illam supplicibus verbis placate, sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manet.
Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est,
Cumaam veteres consuluistis anum.
Templa iubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet.

Tum subdit,

Semper ad Aeneadas placido pulcherrima vultu
Respice, totque tuas Diua tuere nurus.

Quibus verbis postremis, pro illi deuoto fæmineo sexu Poëta intercedit. Iam verò adulterio Martis cum Venere vxore Vulcani, quod Sol detexerit, Incarnati Christi mysterium, doctè docta fabula adumbrat. eadem metaphora, qua nonnemo Patrum vti non veretur, qui id grande mysterium, per quod Verbum Patris Deus, *ad alteram* naturam (humanam) accessit, *Adulterium Sacrum* nominare ausus est. Cùm Venere enim *Vulcani* S. Spiritus, Dei ignis sponsa, Mariæ Filius Christus, atque Sponsus idem, per Incarnationem ita iunctus fuit, atque copulatus, vt quodcumque ex Matre, atque Sponsa sua, carnis assumpserit eius Diuinitas, numquam dimiserit. Hinc fabula nata de *Vinculis ferreis* à Vulcano factis, qui Incarnationis præcipuus faber, quibus caro Veneris cum corpore Martis indissolubili nexu colligata, magno etiam superorum risu, seu gaudio, vbi id arcanum Sol Deus detexit, siue reuelauit Cœlo, atque Mundo. Maneat ergò *Venerem*, Matrem et Virginem Lauretanam esse, quam apud Homerum ideò *Horæ* exornant, quod in Lauretano Collegio, ac Templo, *Horæ Canonicæ* in honorem Virginis essent instituendæ, atque decantandæ. Verùm mirabili illi Sacræ Aedi summam Coronidem, trita antiquorum de *Diis Laribus* fabula imponamus: quorum quidem *Larium* superstitio, ac Numen, ab eadem Domo Lauretana fluxit. *Lares* enim dicti illi Dij, quasi *Laurei*, et *Laurentes*. ijs denique Diuinitas tributa, quod Diuinam Christi Domum, cum camino, et Ara, et supellectile Diuinæ Matris, et Filij Dei, ad se efferendam ex Sibylla nosent,

Hom. Od lib. 8.

Hymno in Vener.

nosent,

nossent. Quamobrem Sacræ Domus exemplo in Sibylla lecto, antiqui Romani ad limina domorum, Altare, focum, seu caminum Dijs Laribus struebãt, atque consecrabant, in eisque crebra sacrificia etiam offerebant, quod ea in Diuina Domo Nazarena, siue Lauretana similiter futura, atque facienda olim prænouissent. Vnde quoque pro *aris*, *& focis pugnandi*, hoc est, pro domibus, Latinum adagium manauit. Et (quod sanè mirùm) *Maio* mense illos *Deos Lares*, seu *Laureos* colebant, quo in Illyricum Lauretana Domus cum vasis omnibus erat asportanda. Vnde Ouidius Fast. 5.

Præstitibus Maiæ Laribus videre Calendæ
Aram constitui, paruaque signa Deum,

Nomen hoc *Præstitum*, à *Præsentia*, et *statuo* liquet deriuari, quod in Dalmatia Virginei, et Diuini Lares, tunc temporis, *præsentes* fuerint *constituti*. Quanquam etymon aliud Ouidio nostro placuerit,

Quod præstent oculis omnia tuta suis.

Hæc vox autem *Lares* apud Latinos non solùm pro Domo illa Laurea; sed etiam pro Genijs, seu Angelis sumitur, qui hanc aduexere. Vnde *Lari Viali*,, *Reduci*, et cœteræ inscriptiones leguntur, hoc est Angelo, siue Raphaeli, qui viatores comitatur, et Domum reducit. Cęterùm, dignum obseruatu, quod etiam antiqui Summum *Nefas* crederent, quidquid Dijs Laribus *dedicatum* esset, *foras exportare*. quanam id de causa? nisi quod Sibylla diu antea monuerat pęnas de his esse sumendas, qui lapillos, calcẽ, vel quodcumque spectans ad Virginis Lares, aut his consecratum, inde extulissent, aut solùm efferre tentassent. Sed de Lauretanæ Domus sanè admirabili historia satis, de qua sępè aliàs infra dicendum est. Quod si quis miretur, ante rei euentum tam clarè Poetas illam descripsisse, meminerit natalis Christi similiter ante Christum natum ab his patefacti, vt ex Virgilio clarissimè çernitur. nisi fortè quisquam credat minoris prodigij fuisse, ante Christum natum, Christum à Poëtis nasciturum cani, quàm hanc Lauretanam Aedem ante translationem, transferendam prædici. ad Romulum, & Remum deinceps conuertamur.

Hist. Laur.

Ecl. 4.

CAPVT XXIV.

Per *Romulum*, & *Remum* Vrbis Conditores, Apostolos *Petrum*, atque *Paulum*, Romanæ Ecclesiæ (non Vrbis) Authores prædictos.

HACTENVS primum Italiæ, ab diluuio terrarum, colonum, atque Romæ Patrem, veterum Saturnum, & Euãdrum, Iaphet ostẽdimus, non *Ianum*, Petrum Cœli Ianitorem, non *Aeneam*, aut *Vlyssem* eumdem Christi laudatorem, & IESVM canentem. Quę item *Aeneæ Lauinia coniux*, & quæ *Laurens Tellus*, in qua regnauerit, propè ad nauseam habes inculcatum. Itaque fabulosa commenta de *Romulo*, et *Remo* Vrbis Authoribus restant explicanda. quo suum Iapheto Patri Europeo-

ropæorum, Latinorum, atque Romanorum, decus conferuetur, & ne Romuli, et Remi (Apoſtolorum Petri, atque Pauli) Romana Eccleſia, quam Vrbe condenda ſplendidius nomen, antiqui erroris rubigine perdatur, aut inobſcuretur. Procliue enim vetuſtati fuit, cum Sibyllam legeret, pro *Eccleſia Romana* (cuius Authores ij dicebantur) *Vrbem* intelligere, quandoquidem congregatio, & cœtus etiam in Scripturis *Eccleſia* vocetur, & in ijſdem *Ciuitatis* nomen identidem obtineat. Cui enim Gentilium in mentem veniret, cum Romæ Parentes Romulum, atque Remum ex Sibylla audiret, ſpiritualiter, non temporaliter *Paternam* illam vocem vſurpari? Quãquam id verum eſſe, vel prophanæ antiquorum Scriptorum hiſtoriæ, aut fabulæ inſinuent. Nam cum Vrbe condenda Romulum *Olympum extruxiſſe*, nec non *ſacraſſe Pomerium* affirment, *cœtum* ſiue *Ciuitatem* eius, *Sacrum* non prophanum *opus* innuerunt. Neque etiam alium intellectum illud Virgilianum de Roma condenda à Romulo patitur:

Plut. in Rom. Fab. Pictor l. 2.

Aen. 6.

En cuius (nate) auſpicijs, illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Cuius quidem hic germanus ſenſus, auſpicijs Petri, ſeu Romuli, Romanam Vrbem non ſolùm ſpirituali Imperio terras, ſed & animabus Cœlos impleturam: qui quidem intellectus rurſum Eccleſiam deſignat, & carmen petitum eſſe è Sibyllæ libris, verſus ipſe declarat. Enumeret enim, quiſquis diſſentiet, illas tot animas Romanorum Ciuium in Cœlum illatas, quæ magnitudinem Olympi æquarint? eas in prophana Romæ hiſtoria nuſquam reperiet. Cur igitur adiunctum, *Septemque vna ſibi muro circumdabit Arces*? quia ſeptem colles poſt varias clades à Barbaris allatas, & diſiecta mænia, à Pontificibus ſuccedentibus Romulo, muris circumſepti, ſicut hodie viſuntur. Romulo Petro, namque id tributum, quod Succeſſoribus erat aſſignãdum, quod ſemper in eis Petrus perſeueret. Alii porrò Virgilij loci idem conficiunt, vbi *Collatinæ Arces* ab eodem Romulo *mœnibus imponendæ* dicuntur, & quidem *Laude pudicitiæ celebres*, nempè Chriſtianæ, qua laude Eccleſia Romana in multis Martyribus Cæcilia, Suſanna, Sophronia, alijſque excelluit. Iam etiam hoc loco

Aen. 6.

Aen. 1.

Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet,
Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt,

Non apertiſſimè Chriſtianos *Fideles* Vrbis Romuleæ ciues ſignificat, tùm *Cana fides*, tùm *Cana Veſta* cibus Euchariſticus, ante quam propterea iuge lumen ſeruabatur, vti ſæpè dictum, & ſæpè dicendum, tùm *Quirinus* Petrus, cum *Remo* id eſt, Paulo fratre, qui leges, ſeu *iura daturi* omnes prædicuntur? Leges quidem externas Quirinus Petrus, atque Remus Paulus, internas verò Fidei, gratiæ, ſiue Charitatis, *Cana fides* lumen Dei internum, *Cana Veſta*, ſeu Euchariſtia, quæ à bona gratia etiam nomen ſumpſit. At enim *Mauortia* is Romulus *condet mœnia*. appoſitè. Chriſtiana mœnia. Mars enim, ſiue Mauors Chriſtus, Mariæ Filius, Μαρίας υἱὸς, vnde nomen Mauortis. *Romanoſque ſuo de nomine dicet*: & id veriſsimè. à Romulo nempè *Romulei*, atque *Romulidæ*, à Quirino, ſiue haſta Crucis Quiri appellata, Romani *Quirites*. Nam ſi Romuli Vrbem aliam à ſpirituali Poëta intellexit, ſecum fœdiſsimè neceſſe pugnarit, cum eodem opere Euandrum Romanæ Condi-

dito-

ditorem Arcis crebro nominarit. Iam illud *Aratrum*, quo condenda Vrbe terram vertiſſe Romulum fabulantur, non hinc quoque originem habet, quod Euangelio conuerſurum ad fidem Romanos ex Sibylla norant, ſicut aratro terra conuertitur? Nam & hinc Vertumnus, vti ſupra dictum, ab *Amne*, nempè Tybri, *Verſo*, hoc eſt, Tyberinis ad Chriſtum conuerſis. Idcircò & *Sacrum Aratrum* dixere, quia Sacra Ciuitas Sacro Euangelio erat excitanda. hinc preces eiuſdem Vrbis Principijs quoque adhibitæ, Apoſtolorum more, quandocumque nouas Eccleſias fundarent. Nam

Vox fuit hæc Regis: condenti Iupiter Vrbem,
Et genitor Mauors, Veſtaque Mater ades.

Mauors genitor, qui Chriſtianum Romulum genuerat, Veſta Mater, Euchariſtia, quia Sacerdotem. *Aquila* inſuper cum *Boue*, & *Vacca* immolatæ eius auſpicio. his quidem Petrus, et Paulus initio paſſuri, illa verò Romanus Populus frequens immolandus in perſecutionibus ſignificabantur. Mitto alios ritus, de quibus infra. *Roma* certè quidem ab eodem *quadrata* effecta, an non Hieruſalem cęleſtis, Eccleſia Chriſti, quam Apocalypſis hac forma *quadra* nobis delineat? Neque verò hoc loco teſtimonia veterum ſupra recitata, repetenda arbitror, qui diu ante Romulum, & illius fratrem aiunt Vrbem ſtetiſſe, aut primordia eiuſdem ab illis extructæ tanquam fabuloſa commenta aſpernantur. Quis enim originem à Marte, ac educationem innoxiam à Lupa, et à Pico aue Marti conſecrata, cum apotheoſi, ſeu raptu in Cęlum, non in fabulis cenſeat? id modò affirmare audeo, omnia non ſolùm diuerſa, ſed & pugnantia, quæ Authores Romulo, ac Remo quondam tribuere, Apoſtolis Petro, atque Paulo, larua fabulæ detracta, verè cōuenire. Itaque vt præcipua, & ſumma rerum faſtigia ſequamur, *Fratres* illos, & *Geminos* proditum, quia Chriſtiani, et Coapoſtoli, & ad Eccleſiam Romanam fundandam, inſtruendam, atque propagandam, diuinitus ambo deſtinati. Ex *Regum Albanorum genere*, ob eamdem cauſam. *Albam* enim *Ciuitatem*, Eccleſiam Chriſti ſupra monſtrauimus, et *Albanorum Reges* Chriſtianos regali oleo Chriſti delibutos, quorum *Albani Patres*, Pontifices, Epiſcopi, atque Sacerdotes, *Alba longa* (ſacrificantium Veſte) Eccleſiam recturi, et *dominaturi*. *Mars* autem Romuli, atque Remi *Pater*, Mariæ Filium, vti mox eſt dictum, ſeu Μαρίας υἱὸν (vnde vox Mauortis, ſiue Martis ducta) Chriſtum ſignificat, Petri, atque Pauli, & Chriſtianorum indubium parentem, puta, ſpiritalem. Quo etiam ſenſu *Rhea* horum mater (vox Syncopa *Mariæ*) Martis Chriſti Filij Sponſa, atque Parens. Etiam *Syluia* dicta à Lauretæ ſylua, in quam transferenda, necnon *Ilia*, quaſi Aelia, ſeu Iudæa, ab Aelide terra, ſiue Solymæa. Et quia Sacerdotum Principes ijdem futuri, propterea *Regina Sacerdos Marte grauis* mater horum fingitur, quaſi *regale* Chriſti *Sacerdotium* Romulo, atq; Remo grauidum, geminos Latinorum Sacerdotum Principes, atque Coryphæos Petrum, atque Paulum eſſet editurum. *Conceptos* autem eos *Solis deliquio* volunt, idque veriſsimè, quia pridie mortis Chriſti, quando Sol defecit, Sacerdotium inſtitutum, et Sacerdos Romulus Petrus in Aelia Solyma conſecratus fuit, & quaſi cōceptus. Quodque principio Eccleſiæ Romanæ, et in ipſa eiuſdem infantia prima, ad Tyberis ripam nauigio erant appulſuri, de *infantibus geminis* eiuſdem fluminis *expoſitis* alueo, nata fabula eſt, necnon de *ſocijs nauibus* tempeſtate ſubmerſis, ſolo eorumdem incolumi lintre, in quo expoſiti, ob Romanæ Cathedrę

[Margin notes: Hiſt. Rom. — Aen. — Hiſt. Rom. — Plut. in Rom.]

thedræ perennitatem. De *iisdem* autem *à Lupa* fera prębente mammas *educatis*, Roma Gentilis, quasi Lupa quędam in Petrum, & Paulum, et Fideles Romæ recens natos sęuiens, et persecutionibus duris, atque feris, quę trecentos ânnos tenuere, horum Ecclesiam non perdens, sed augens, locum fabulæ simul, ac educationis miraculo dedit. Adde quod sanguinem Pauli Vrbs illa fusura, qui in lactis formam, et speciem erat commutandus, cuius sanguineo lacte, fidelium primum nascentium, quasi ori affuso, Latinę Ecclesię spiritalia moenia crescere immensum deberent. Non enim aliam prodigij causam comminisci possumus, sanguinis D. Pauli in lac commutati, quam quòd Ecclesia, vt fit infantibus lacte educatis, eo sanguine augenda, atque incrementum esset acceptura. Ergò à nutrice Lupa *Lupercalia* profecta, Martyrum Romanorum annua festa indicabant, in quibus *duorum* nobilium *iuuenum frons* capræ sanguine immolatæ notata, lana lacte imbuta mox abstergebatur, quia gemini Apostoli Romanæ Ecclesiæ Doctores erant immolandi, & suo sanguine Ecclesiam Romanam quasi lactaturi, Quòd autem *Luperci nudi* obuios cęderent, *Matronas* suis verberibus *fœcundare* crediti, Christianorum spolia in persecutionibus, flagella, & supplicia signabant, quibus Ecclesiæ, Matronæ Latinæ, numero Christianarum prolium erant fęcundandæ. De alijs Romuli, atque Remi nutricibus, aut alumnis, vt *Pastore Faustulo*, *Pico aue Marti consecrata*, et *Acca Larentia*, haud absimilis ratio fabulandi fuit, Ecclesia Petri, atque Pauli nimirùm augenda, et amplificanda, per primos Sanctos, *Faustos*, seu Beatos Romanos Pastores, siue Pontifices, perpetua serie Petro successuros, & agri *Piceni* atque ditionis aliquando *Dominos*, quos *Faustulus Pastor*, & *Picus* in *auem*, seu *Auenionen* quondam *transferendus*, atque vti Pontifex, Christo *Marti* Sacer bellè repræsentant. Et quia non paruum momentum ad hanc magnitudinem Deipara Virgo, atque nominatim *Lauretanæ* Domus prodigium afferre debebant, *Acca Larentia*, Virgo *Anconitana*, atque *Lauretana*, inter horum nutrices quoque computatur. Neque verò infantiam solam geminorum, sed & pueritiam, et adolescentiam, Apostolis illis describendis adaptant. nam in his adultis *Forma*, et *species humana maior*, & Imperio digna commendari solet, ***Religio*** item, pietas, fortitudo aduersis ferendis, animusque ad pericula quæuis interritus, et lucis contemptor. tùm *Pastoritia vita*, atque cultus, & inter æquales iam tùm *dominatus*, Summorum Ecclesiæ Romanæ Pastorum officia, vestem, & primatum supra omnes Orbis Ecclesias, canebant. *Illa* verò adolescentium *opera*, venando *peragrare saltus*, & *feras sistere*; et *in latrones* onustos præda irrumpere, demum *Pastoribus* rapta *diuidere*, atque *cum iisdem*, crescente grege, *ferias*, ludosque *celebrare*, eorumdem Summorum Pastorum munia explanabant, quæ quidem illis initijs erant; feroces Romanos Gentiles venari, atque Christiana Fide irretire, Latrones Hæreticos, atque Philosophos spolijs animorum onustos aggredi, atque spoliare, suam potestatem pascendi, atque sacra ministrandi alijs Pastoribus Vicarijs largiri, & communicare, denique cum his annuatim solemnes ludos, & festa indicere, atque obseruare. Age modò Romanæ Vrbis, seu potiùs Ecclesiæ ab his inchoatæ exordia spectemus. *Romam* diu antea conditam, à Romulo *in Vrbem quadratam* esse commutatam nonnulli scripsere, qua sicut & *Olympo* in eadem *condito* & *promærio sacrato*, Ecclesiam Romanam adumbratam videmus, ad quam velut Vrbem qua-

dram

Ambros. Serm. 18. Chrysora. in Princ. Apost.

Hist. Rom.

Plut. in q. Rom.

Hist. Rom.

Hist. Rom.

Fab. Pictor Cato Port. Plutarch. etc.

diam ex quattuor vniuersi plagis affluxuri populi, quæ verè Olympus seu *cæleste Regnum* & *in quadro positum* in scripturis sacris quoque nominatur, in qua olim denique cum *pomerijs sacris* seu cæmeterijs, ad Romuli exemplar, innumera erant extruenda Templa. Sed & sacra & ritus, quibus Vrbs incæpta à Romulo dicitur, quasi sacrum opus atque mysterium, cum *sacro aratro* circum scrobem siue fossam *ducto*, quam *mundum* siue *vniuersum* Etrusci appellarunt, Ecclesiæ Romanæ pomæria toto orbe fundenda præsignificarunt. Quòd verò *in hanc* scrobem siue fossam, Plutarcho teste, *omnes peregrinos* particulam terræ patriæ inijcere imperarit Romulus, atque vnà miscere, ad præceptum Petri de communicando, in doctrina fidei, cum Ecclesia Romana pertinere noscitur, quam fossa seu scrobs mundus dicta repræsentat, quod ea *toto orbe* spargenda, primis initijs, in *effossis* sub Vrbe locis ac quasi *scrobibus* quondam habitaret. Vt autem *ciuibus*, hoc est, Christianis, suam primam Vrbem, siue Ecclesiam adimpleret Romulus, omnium miserorum ac sceleratorum eamdem *Asylum* promulgat, quod extra Ecclesiam Romanam nulla iustitia, aut salus, omnes facinorosi, & impij futuri, æterno inferorum igne simul concremandi. Ea prædicatione exciti Gentiles, *in Asylum* Ecclesiæ *intrare*, & exiguam illam ciuitatem breui *amplificare*. Sed nec *fratrum* illorum, quis fuerit superior aut maior, docta fabula omittit, dum Romulo primatum atque principatum, *ob plures aues* visas adiudicat. Ijs enim auibus Spiritus Sancti dona expressere, aue seu *columba* olim figurandi, quibus præ germano Remo siue Paulo, Romulus Petrus abundaret. Condita Vrbe atque frequentata, ne sæculo elapso simul interiret, erat prouidendum. Itaque *ludi instituti*, & *Sabinæ Virgines* dato signo *raptæ*, huic periculo opportunè cauerunt, spiritali nimirum connubio suo, quo *Romuli socij*, Episcopi atque Sacerdotes, Ecclesias Latinas, seu Latio vicinas, atque cohærentes, vti sponsas Virgines quisque desponsarunt, & imperio Romuli quasi rapuerunt, idque *signo* ab eodem *dato*, puta Sacramento ordinis ijsdem concesso, quod quidem rei sacræ *signum* est. ex quibus *Sabinis*, siue Ecclesijs Latinis eo modo raptis, Christiana soboles perpetuis temporibus deinceps propaganda. Quòd verò id Romuli facinus, *Sabinæ gentis bellum* accenderit, ad persecutiones Ecclesiæ Romanæ & Rectorum eius pertinere noscitur, quod *triennium tenuit*, hoc est, annos trecentos, quibus Ecclesia à Latinis Gentilibus afflicta atque vexata est. Verùm duo hæc obseruanda in memorabili atque fabuloso earumdem raptu, primùm quod *specie ludi* instituti in honorem *Dei Consi*, iuxta alios autem *Neptuni Equestris*, ille euenerit, quibus Pontificum inauguratio, atque Sacerdotum sacra ordinatio rite expressa est. nam Ludi illi à Romulo Petro celebrati, rem a Christo anteactam Apostolis creandis atque Discipulis, tanquam ludicrum quoddam ac scenicum factum referebant, in honorem *Pneptuni* seu Neptuni Spiritus, siue *Dei Consi*, hoc est, *consilij*, idoneis viris ad munia sacra eligendis, atque promouendis, perquam necessarij, qui *equester* dictus, quia *super aquas* initio orbis quasi equitarit. Hic autem Sabinarum raptus, quia in Ecclesia Romana perpetuò iterandus esset, illum per annua *Consalia* festa in honorem Consi, vti dictum, instituta, Veteres Romani expressere. Alterum quoque singulare in eodem raptu, quod *Virginum* Sabinarum *maxima & formosissima*, Ecclesia Romana, Ecclesiarum princeps, & regina, vnanimi coosensu *Thalassio delata*, id est, *Marino* Piscatori Petro, qui *annulo piscatoris* Papæ, illo æuo fulgebat. Nemo itaque inquirat, cur Romulo re-

Pl. t. in q. Rom.

Ibid.

Liu. D. 1. Plut. in qu.

Gen 1.

Fast. 1. lo regnãte, *angustas ædes*, & *humiles casas*, & *tenues opes* authores describant, cum ob Apostoli grauem inopiam, & paucorum diuitum, atque nobilium ad Ecclesiam concursum, templa humilia, & tenues ornatus fateri cogamur, & *ligneos & fictiles Deos*, hoc est, Diuinitatis aut Diuorum è ligno aut luto fictas imagines, quæ auro modò in Ecclesia Romana, & gemmis collucent, iuxta illud Propertii vatis: *Fictilibus creuere Deis hæc aurea Templa*. Sed ex regni forma atque magistratu à Romulo instituto, Petri Ecclesiam atque Monarchiam, cui vnus præest, liquido cognoscimus. Multitudinem enim Lib. 4. Asylo conclusam in *Tribus* quasdem & *Curias* digessit. *Tribus* in *Ramnensium*, *Lucerum*, & *Tatiensium*. ex quibus *Ramnenses* quasi Ramanenses, ab hebræo *Rama*, quod etiam excelsum sonat, ad Pontifices summos, Cardinales, Primates, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos in altiori gradu constitutos pertinent. *Lucerum* (quorum etymon Liuius ignotum fatetur) Sacerdotum Episcopis inferiorum *tribus* est, qui *Luceres* dicti, quasi *Albi Cornuti*, à λευκός & κέρας à vestibus candidis, & pileo cornuto. Luceribus verò qui præerat, *Lucumo* appellatus, quasi *Lucerum Monarcha*, quem cum *galeritum*, atque *infulatum* & *veste* insignem *purpurea* faciant, liquidissimè apparet, Sacerdotum Episcopos principes, ea voce prædici. Infima verò tribus *Tatiensium* erat, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, atque cæterorum his inferiorum. Nam τάττω, vnde *Tatienses*, *ordino* seu ordine pono, græcè significat. Iam *Curiæ*, vt ex nomine liquet, ipsas parochias Laicorum monstrabant, quibus *Curiones* præerant, qui hodie Curati, sicut *Decuriones* Curionum præfecti, qui vulgò Decani. Quanquam superiorem diuisionem à Romulo factam aliter alij, per *Patres* nempe & *Plebeios* vulgò interpretentur. quorum illi Clericos, hi Laicos referant, in quos Ecclesia omnis diuisa est. *Patres* quidem, qui & *Optimates*, atque *Patricij*, magistratus (puta sacros) gerebant, ius populo reddebant, sacra procurabant, patroni pauperum simul, ac tutores erant. At *plebeium* munus, in agris versari, pecuaria colere, vel opificia in Vrbe exercere, Patres patronorum loco obseruare. Neutris verò alteros accusare fas erat. Alij porrò in *Legiones*, & *Populum* hanc multitudinem Romuleam secant, haud dissimili sensu. Nam per *Legiones* Cleri militiam satis insinuant, qui ad sacra *lectus*, vnde *legiones* nomen mutuantur. Hist. Rom. *Legionum* autem præpositum *Legatum* appellarunt, summum Pontificem, siue Episcopum, qui sacra pro Christo *legatione funguntur*, quorum *legatorum* persona atque authoritas proinde *sacra* & *inuiolabilis*. alij denique in *Patres*, *Patricios*, *Aequites*, & *plebeios* eamdem Asyli turbam partiuntur, quæ idea fuit Reip. Rom. à Sibylla data. Per *Patres* Episcopos illos putem Plut. in Rõ. significatos, qui à Petro ordinati, nouas Ecclesias toto orbe fundabant. quòd per Euangelium, vt Patres, Christo proles generarent. *Patricios* verò, qui à Patribus orti, illorum Patrum successores, etiam Episcopos. A *Patribus* similiter, vt id obiter dicam, *Patricius Vicus* Romæ nominatus, vbi noster Romulus Petrus Romæ Pater, apud Pudentem Patricium Romanum atque Senatorem, habitare deberet. Iam verò *Aequites* diphtongo, non *Equites* ab equo, sed ab æquitate (quo modo Veneti ea dignitate insignes adhuc se inscribunt) Sacerdotes erant, Episcopis illis inferiores, quibus etiam cura animarum incumbere debebat, quos propterea omni æquitate Christiana insignes, ac irreprehẽsibiles vult Paulus Ecclesiæ dari. à qua æquitate Christiana, etiam in Latio populi *Aequicolæ*, & *Aequi* nomen sortiuntur. Illos insignia

gnia à plebe quoque distinguebant. Nam *Patres* atque *Patricij* cum *lato clauo annulum* gestabant: erat *latus clauus* pannus purpureus, cui inserti claui, nempe acupicti, cuiusmodi ferè solemniter quidam celebrantes in Alba assutum, gestare adhuc solent, qui latos clauos Christi significaret, sicut & annulus, Episcopi sponsi cum Ecclesia sua sponsa connubium. *Aequites* Sacerdotes etiam annulo insigniti erant, quo designabatur etiam animarum cura his attribuenda. quo vtroque carens, *plebeius* seu laicus erat. Sed & *agros* à Romulo *dissectos* in hunc modum ferunt, vt rurales siue suburbanos Pastoratus agnoscas; nam *singulas Curias* singulos agros sortitas scripsere, *excerpto priùs*, quantum sufficeret *Templis*, & *quadam parte* (coemeterio) *publici iuris facta*, ad mortuos puta inhumandos. *Senatum* quoque à Romulo *lectum*, quo cum rem publicam omnem administraret, Cardinalium cœtum rite existimaris, à *Senioribus*, id est, Presbyteris ita nuncupatum, quorum consilijs, Ecclesia regenda, Summus Pontifex vtitur. Qui quidem Senatores, siue Seniores, quoniam in schedula *scripti*, Purpuratis Patribus in Senatu simul congregatis à Pontifice Summo erant proponendi, cum declararentur, inde *Patrum Conscriptorum* nomen adepti sunt. Ex quibus cognoscis, cur eos *oues* initio *pauisse*, et ab aratris *arcessitos Consules*, Romana Historia prodat, iuxta illud Ouidij in Fastis: *Pascebatque suas ipse Senator oues.* quia animorum Pastores futuri, quodque tam rure, quam in Vrbe in Parochijs suis residere deberent. Et quod etiam pelles, seu ouium vellera, quæ Epomides vocant, erant gestaturi, *Pellitos Patres* Propertius appellat: Fast. 1.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Celeres modò non solùm ad regij custodiam corporis, sed ad alia munia adhiberi consuetos. *Legatos à Latere*, et *Nuncios* esse existimamus, qui Pontificum gratia, in omnes Christiani Orbis prouincias *celeriter*, vnde nomen ducunt, erant excursuri. Nam *Flamines*, qui rei Diuinæ perpetuò addicti, quisnam Sacerdotes neget, à *Flatu*, seu insufflatione, qua erant creandi, & Spiritum Sanctum accepturi, ita nuncupatos? de quorum munijs aptissimè quoque illa vulgata sunt: *Flamines farinam fermento* imbutam (panem fermentatum in Sacris Latinis) haud tangere, quotidie *Ferias* celebrare, *in conuiuio* eorum (Eucharistico Altaris) nisi sacrificulum, neminem accumbere, *Matrimonium* eorumdem (spiritale cum Ecclesia aliqua) sola morte dirimi, *quando consecrantur*, à Patribus, vt captiuos ab hostibus, duci, quod inuiti fere primis illis Ecclesiæ temporibus Sacerdotij gradum ascenderent: *Tot Flamines*, quot Deos, seu Diuos, vel Diuorum Altaria, seu titulos, creari, ne vnus plura beneficia, siue altaria possideret. *ad genua horum* accidentes (nempè vt peccata accusent) à *Verberibus*, ac *supplicio* æterno *immunes haberi*, ac *vinctos accedentes*, *solui*, ceteraque horum similia. denique *Protoflamines*, & *Archiflamines*, Archipresbyteros à Romulo Petro, aut Successoribus designandos prædicunt. Sequuntur *Augures*, *Auspices*, atque *Aruspices* in Romuli Imperio magnę authoritatis, de quibus axiomata eiusdem vulgò circumferunt: *Nihil inauspicato* in vita gerendũ, *omnẽ Magistratũ* sine auspicijs vitiosè creari, quibus innuebat, nihil sine Spiritus Sancti diuino afflatu fructuosè geri, aut vllum Ecclesiæ munus salubriter suscipi. Nam quòd Spiritum Sanctum, auis, seu columbę specie, appariturum olim pręnouerant, & futura, siue prophetica multa in Ecclesia pri-

Fenest. Pompon. Plutarch.

Plutarch. ib.

ma prędictùrum, & maximè inter aras & sacrificia, inspirationibus suis intus locuturum, ab aue illa fatidica, seu columba, antiquorum augurum, seu auspicum, & ab aris intuendis aruspicum; superstitio in Latium inuecta, & stulta ars, atque disciplina publicè inualuit, ex auium garritu, esu, & volatu, cęterisque ominibus & signis, futura noscendi, atque diuinandi, quorum vanitatem in libris de Diuinatione M. Tullius arguit. Quanquam Romulū (Petrum) *augurandi*, hoc est, futura noscendi, atque prædicendi, & *inaugurandi*, hoc est, dignos & idoneos Ecclesiæ ministros eligendi, atque consecrandi, non falsò *peritum* ijdem prodiderint. *Feciales* modò, seu *Patres Patratos*, in Ecclesia eos esse constat, quos Pęnitentiarios vulgò appellamus, qui *verbena* (virga, seu verbere, non herba) *Caput*, *capillosque* tangunt, & conceptis verbis *Fœdera* Deum inter & homines *feriunt*, vnde nomen habent. Quid porrò *Aediles*, nisi quibus Aedis sacræ custodia commissa? Nam *Candidati* ordinandos referunt, quod honores sacros in candida veste, siue Alba, Romuli temporibus (vt modò videmus) inuiti peterent potiùs, quàm ambirent. Hinc *Candidatorum* in candida Veste, siue *indusio*, vt Plutarchus testis, prophanos Magistratus prensandi, in Martio campo, siue comitijs, consuetudo manat. Iam per *Comitia* à Romulo quoque instituta, Concilia, & Synodos Ecclesiæ designari liquet. Horum tria genera scribunt, *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*. *Curiatis* Curati, siue Curiones intersunt. *Centuriatis*, maiores horum Episcopi, vt in Prouincialibus Synodis, & Nationalibus fieri hodie videmus. Nam *Tributa* ab omnibus euocatis *Tribubus* solùm celebranda, Oecumenicos cætus, & Vniuersales aptissimè referunt. per *Calata* denique ab Hebræo *Gala* ducto vocabulo, *Latinas* generatim Synodos, & Comitia agnoscimus. In hac igitur regni administrandi, & magistratiuum à Romulo forma instituta, natiua facies etiam hodiernæ Ecclesiæ lucet. Sicut & in *Sacris*. Nam *Vestales Virgines* ab eo institutæ (vt Scriptores tradunt, quamuis id alij Numæ Pompilio tribuant) et *Templum Deæ Vestæ* extructum *Effigie rotunda*, Virgineos atque cælibatum olim professuros Sacerdotes monstrant, qui in Templo Vestæ (quod forma rotunda, seu orbiculari, figuram Hostiæ immolandæ refert) etiam hodie sacris operantur. Est enim *Vesta*, seu ἑστία, Eucharisticus cibus, qui ab ἔδω, seu comedo, Græcum vocabulum sumpsit. Inde enim *Vestæ* Diuinitas tributa, ob Diuinum Corpus, quod sub eo cibo latere debebat, inde *Vesta farre pio* ab antiquis culta, inde quoque *Cana*, seu Candida appellata, inde iuge lumen, et *æternus ignis* coram ea accensus, quem etiam hodie *Vestales*, hoc est, Virginei Sacerdotes fouent. *Quo* igne *extincto, grande* Imperio Romano *malum formidatur*, Antichristi regnum, Romanæ Ecclesiæ *Sacrificium iuge* (vti sacræ Litteræ tradunt) & cum eo lumen iuge sublaturi. Ideò denique in *Curijs singulis Vestam quamdam communem*, Romulus esse voluit, quod Eucharistia infinitis propemodum locis, atque Parochijs, erat adfutura. Virginum item Vestalium *Delectus*, *munia*, et *immunitates*, ex nostratium Presbyterorum Canonicis Legibus in Sibylla lectis, originem traxere. Nam his eligendis non solùm *ætas*, sed animi, corporisque *integritas* spectatur, immo & *natales*, nam *seruis parentibus* ortas non legebant, sed *nobiles*, atque generosas, & quæ in Italia (Ecclesia Romana) domicilium haberent. *A Pontifice* insuper, velut ab hostibus captæ, *rapiebantur*, quod inuitos rursum ordinandos monstrabat. Vbi *capta Vestalis*, & in atrium, siue pene-

Liu. D. 1. lib. 1.

In q. Rom.

Plut. in Numa.

Aen. 5. & 9.

Dan. 11.

Pomp. Læt. & Fenest.

penetrale Vestæ ducta erat, continuò patriam potestatem exibat, & ab omnibus maximo in honore habebatur, ita vt occurrens homini capitaliter dãnato, à morte seruaret, quo reos, & capitis damnatos à Sacerdotibus iuuandos, & à mortis æternæ supplicijs liberandos docebant. Harum *petulantiam*, et *negligentiam* in Sacrijs munijs Pontifex coercebat, & nonnumquam flagris, quæ censuras notant. Incesti verò crimine *conuictas, viuas suffodiebant*, cum maximo Ciuitatis luctu. Quod quidem depositiones, ob grande crimen, Sacerdotum innuit, eò quòd incesti, atque sacrilegi, coram Deo viui moriantur, & communi vita gratiæ priuati, seorsim à pijs hominibus iaceant, quasi iam sepulti, idque cum maximo Ecclesiæ mœrore, cui Prælatorum noxæ, ac crimina præcipuè nocent. Sed et P*otitiorum*, et *Pinariorum* ab Hercule Christo, ob *Cacum* cæsum (is est cacodęmon) *Sacra Instituta*, et à *Romulo suscepta*, idem Eucharistiæ Sacrificium Diuinum apertissimè indicant. Quid enim *Potitij*, quiduè *Pinarij*, quasi *Panarij*, suis vocabulis, nisi *Panem*, et *Potum* in Sacrificijs nostris pręcinebant? de quibus sic Liuius scribit: *Sacrum* (Herculi) *ad ministerium, dapemque Potitijs, ac Pinariis factum. fortè ita euenit, vt Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta apponerentur. Pinarii extis adesis, ad cæteram venirent dapem. Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus vescerentur: Potitii ab Euandro edocti, antistites Sacri eius, per multas ætates fuerunt, donec tradito seruis publicis solemni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum interiit. Hæc tum sacra Romulus vna ex omnibus peregrina suscepit*. Ideò P*eregrina*, quòd in Aelya Solyma ab Hercule Christo primum instituta. Qua fabularum caligine antiqua (sed docta) erudimur, non solùm Eucharistica Sacra à Petro suscepta, sed non omnem semper Sacrificij partem à Diaconis sumptam. nam per *Potitios*, primęuę Ecclesię Diaconos hęc fabula designat, per *Pinarios* autem, qui *tardius venere*, et *ex* Ecclesię optimo instituto, extis Christi solemnibus à Sacerdote celebrante adesis, *ad cæteram dapem*, quæ sub vna sola cibi specie restat, post Sacrificium, *tantummodò veniunt*, Diaconos nostrates, siue hodiernos, aptè significat. Quo factum, vt *Serui*, seu Ministri *publici*, nostri Sacerdotes, siue celebrantes (Diaconis primis, qui Corpus Christi cum Sanguine seorsim sumebant, de Ecclesia sublatis) *Potitiorum*, seu Diaconorum primæ Ecclesiæ ministeria obeant. Nam à *famulando*, siue Aris ministrando, Potitiorum, et Pinariorum *Familiæ* dicuntur. Quod verò Euander Iaphet per Sibyllam de his Sacris, vti supra dictum, suos instruxerit, ideò *Potitii ab Euandro edocti* dicuntur, hoc est, significati. Hæc de Romuli *Sacris*. Age quid de *Bellis*, quę ab ipso fortiter, atque feliciter ad extremum gesta commemorant? nonne hęc apertè persecutiones futuras canebant, quibus Ecclesia vehementer afflicta, semper nihilominus superior euasit, cunctis aduersarijs idololatris Romanis, tandem aliquando sub suauissimum Christi iugum missis? *Vicit* Romulus Petrus secum initio pugnantes, atque repugnantes *Cæninenses*, qui populi *Lati*, seu Latini à χαυνὸς Gręco. *Antemnates*, viros *ante amnem*, seu Tyberim degentes. *Crustuminos*, Christianos Romanos à *Christo*, et *Mana*, quod est, dilatatus, vocabulum adeptos, vnde *Crustuminum* colonia *Albanorum* apud *Fidenas*, puta fideles, nam Plinij temporibus Fidenatũ horum nullum vestigium erat. *Fidenates* igitur à fide fideles, *Sabinos*, eosdem Latinos ab Hębręo *Saba*. *Veientes*, qui rursum Latini, à *Veet* germani-

D. 1. lib. 1.

Liu. D. 1. lib. 1.

cè *lato*. In prelio cum *Cœninensibus*, eorum Regem *obtruncat*, et *spoliat* Romulus, quia Petri ope Constantinus Cęsar, Maxentium in Imperio collegam, eo modo cecidit, idemque, vt Romulus, *ouans* Capitolium *ascendit*, & eiusdem opima spolia ad *quercum*, seu arborem Crucis, *Pastoribus* Ecclesię *Sacram* disposita suspendit, *Iouique Feretrio*, seu Ieouę Christo, qui in supplicationibus solemniter *fertur* (vnde Feretrius) plures Basilicas cum spolijs dicat. Idem Maxentij casus, tum sępè aliàs, tum *obtruncatione Amulii Regis*, idololatrę, siue *Impostoris*, et *Numitoris*, seu Numen colentis (eiusdem nempè Constantini Cæsaris) restitutione in Regnum à Romulo facta, à priscis Scriptoribus expressus, tum etiam *Sabinorum* prælio, quorum *Metius Curtius*, hoc est, idem *Maxentius*, à *Meta*, et *Cara* Princeps memoratur. nam ab arce Romana Trans Tyberim decurrens, Constantini aduerso impetu in angustum actus, in *paludem*, seu *lacum* Tyberis, trepidante equo se coniecit, vnde *Curtius Lacus* nomen adinuenit. Hæc quidem Romulo Petro assignantur, quæ fuere *Tatii*, hoc est, *Constantini*, verum ope Romuli Ecclesiam iuuantis. Sed tria illustria maximè eo Sabino prelio euenere, quæ Romanæ imprimis Ecclesiæ fauent. Primum, quòd *Sabina* quædam, *Spurii Tarpeii filia*, Capitolium, seu Rupem Tarpeiam *Tatio*, aurearum armillarum, quæ in brachijs militum eius fulgebant, cupidine capta prodiderit, earum pondere pro mercede oppressa. qua sanè fabula, Capitolij Patres, seu Senatus ob gentilismum adhuc *Spurius* notatur, qui clanculum emissis Legatis, *Tatium*, siue Constantinum, pro Maxentio Tyranno perdendo aduocauit. Qui Roma potitus, & Tarpeia Arce, gentilitatem, & superstitionem Iouis Capitolini, in ea oppressit, *Armillis*, hoc est, copijs *suis*, quæ Crucem, atque Christi nomen in Cœlo conspectum, coronis quibusdam, atque monilibus pretiosis, et *armillis* cinctum, in *brachiis*, seu *scutis* gestabant. Alterum memorabile, quod post victoriam idem *Tatius* (Constantinus) (quem *Romulum*, ob causam iam dictam, fabulosa historia vocat) *Templum Ioui Statori*, voti reus sacrarit, Romanas puta Basilicas, quòd trecentorum annorum, et amplius, persecutiones, in quibus Christianorum fuga, *Ieoua* Christus *stitisset*. Tertium memoratu dignum, quod id bellum tradant, *Mulierum iniuria Sabinarum* ortum, ob raptum earum, non quidem à Romulo (tametsi confundant) sed à *Metio Curtio*, hoc est, Maxentio, qui mulieribus Romanis, sponsis, & matronis, ad libidinē fędè erat abusus. Vnde deuicto Tyrāno, matronę antea causę belli, pacis quoque fuerunt. Victor quippe Constantinus Romā ouans ingressus, non solū iniurijs omniū, ac cęde abstinuit, sed *Fœdus iniit, Ciuitatē vnā*, nēpè Christianā *ex duabus fecit*, antea gentili atque Christiana, *regnumque* siue imperium, puta temporale cum spirituali & Ecclesiastico Pontificis *sociat*, atque *Romam confert*. Quæ omnia, ob causam iam dictam, de Romulo prisci tradidere. Quòd verò eumdem *Tatium* siue Constantinum *Romuli* Petri in Pontifice Romano successore *Collegam*, ad extremum *interfectum* scribant, quia in propinquos, qui Laurentum legatos pulsarant, animaduertere cessaret, atque eam *cædem* minùs ægre à *Romulo latam*, ob infidam societatem regni, & quod iure cæsus videretur, de stirpe Tatij siue Constantini in Constantio filio extinguenda, vaticinium erat. Nam Constantius Arrianis fauens, legatos Liberij Pontificis, non modò pulsari, vexari, & corrumpi ab ijsdem siuit, sed etiā alios ad se missos exilio mulctauit. At bellorum satis. Etiam ex Romuli cultu

Bar. ad Ann. Chr. 324.

Bar. ad An. 312.

Bar. vt supra.

Ib.

Bar. ad An. 324.

Liu. vt supra Plut. in Rom.

tu & ornatu, Petrum Pontificem supremum discamus: Nam is Rex electus *imperij insignibus venerabilem se fecit*, sceptro, corona, *sella curuli* (lectica currum imitante, quæ ad Pontifices Petri successores pertinet) *Cæterum*, Legatorum à latere Cardinalium, *comitatu* & *pompa, tum cætero habitu*, purpura, trabea, annulo *augustiorem, tum maximè lictoribus duodecim sumptis*, per quos duodecim lictores, siue *ligatores*, eo numero Apostolos, siue Episcopos totius mundi signabant, qui cum omnes Romulo Petro famulentur, siue eius Ecclesiæ adaugendæ, ad maiestatem Pontificis Romani spectare noscuntur. Neminem verò offendat, quod Episcopos atque adeo Apostolos *Lictores*, siue *ligatores* dixerim, quamuis enim hoc nomen ministerij prophani postmodũ infamia viluit, à sacra tamen potestate *ligandi* atque *alligandi* homines, à Christo donanda, honestissimam originem sumpsit. Iam verò in Romuli morte atque Remi, Petri Romæ crucifixi, & Pauli pro Christo obtruncati, in omnibus prope historiæ adiunctis, natiue expressam imaginem habemus, nisi quod fabula illi, suo more, ænigma aliquod, quasi velum, obtendat. Nam per S*acerdotem custodiæ traditam*, Romuli & Remi parentem, Sacerdotium captum, & Petrum & Paulum, Sacerdotum principes in vinculis agnoscis. idque ab *Amulio Rege*, id est, *impostore* idololatra Nerone, qui in Latio regnabat. per *Remum verò solùm in vinculis*, & deinde liberum abire permissum, Paulum vinctum adductum, postea liberatum, per vmbram videmus. Cum verò *ad Tyberim infantes*, siue *ad arborem*, & ficum dictam Ruminalem *expositos* memorant, eosdem Petrum atque Paulum docent & prædicunt, in ipsa Ecclesiæ infantia, ad martyrium, quasi Christi Crucem, & arborem, olim adducendos, nam in Ianiculo ad Tyberim sito, arbor felix crucis ad supplicium Petro Romano siue *Ruminali* erat destinata. *Remus* enim Paulus, *ad Aquas Saluias*, extra Vrbis muros, non autem in Ianiculo, cum cæli Iano, siue Ianitore, martyrium perpessus, *Vrbis* vulgò *fossas transiliisse* creditus, quæ illi causa interitus fuerit. Viueres enim Reme Paule, siue diutius in vita maneres, nisi Vrbis moenia, vt adires supplicij locum, sponte ac ridenti similis olim transilires. Quod autem Romulum tunc dixisse ferunt, *similiter interemptum iri*, qui eadem ausurus, de *morte spiritali* eorum vaticinantem fabulam intellige, qui *extra* Petri seu Romanæ Ecclesiæ *mœnia*] per apostasiam misere *exilirent*, quos certè exitium manet à Petro prædictum, atque à cælesti illa ciuitate, cuius idem Ianitor Petrus, *exilium* æternum. Porrò *sanguinem Remi sacrum* à posteris habendum Horatius prædixit, nec non *immeritò fundendum*

Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer Nepotibus cruor.

Hactenus Remi mortis fabula, quæ Paulum Romæ obtruncandum disertè canebat, vnde & *fraterno primi maduerunt sanguine muri*. Sed quia post mortem Paulus frequentius, apparere debebat, vti sacri de illo Annales testantur, *Lemurum* inde seu *Remurum* à Remo nocte apparentium fabulæ, de quibus ita Ouidius

Vmbra cruenta Remi visa est assistere lecto

Et infra:

lucem Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo

Littera,

Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum
Hic sensus Verbi, vis ea vocis erat.

Romuli verò Petri *arbor*, siue *ficus*, cui *expositus*, impositus, & fixus, *dum inflatus Tyberis* persecutione Neronis *tumeret*, crucem significat, nec non *Quiris, hasta* priscis dicta, nempe hasta Crucis, eius manibus data, vnde dictus *Quirinus*, quasi crucem portans, & Romani *Quirites*, ab eiusdem cruce. Hac autem *hasta* siue Cruce Romulum cælos petijsse, sæpe nominatus Ouidius asserit:

Fast. 2.

Siue quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra Deus.

Plut. in Rom.

Nam eamdem *hastam* à Romulo *vibratam ex colle* in alium collem fabulantur, vbi altiùs defixa radices egerit, & *in arborem creuerit*, quia Romulus Petrus hastam crucis Christi, vti Pontifex summus, gestare consuetus, eamdem quasi in Ianiculum coniecit, quando ibidem in Cruce passus, & mortuus, verum cruce arbore facta, seu maiore multò, quam in Templis olim gestare assuerat. de quo prodigio Ouidius rursum audiendus, licet pro Ianiculo Palatinum montem substituat, quod etiam Ianiculi collis ad *Patrem Latum*, vnde *Palatium* atque *Palatinus collis*, vt nominis & vrbis pertineat authorem:

Met. 15.

Vtque Palatinis hærentem collibus olim
Cum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Quæ radice noua, non ferro stabat adacto;
Et iam non telum, sed lenti viminis arbor,
Non expectatas dabat admirantibus vmbras.

Plin. Macr. Seruius Pl. in Rom.

Mac. Suet. in Augusto

Sed quoniam ad *Quirinum*, *Quirim*, & *Quirites* modò peruenimus, locus hic postulat, vt inquiramus, cur *Martem Quirinum*, item & *Gradiuum* Romani veteres coluerint, necnon *Angeronam Deam*, quam quidem Deam seu Idolũ *Romæ parentem* nonnulli fecere? Sicut ergo *Quirinum*, ab *Quiri* seu *hasta* crucis, qua viuens Petrus in sacris vsurus, quamque moriens portaturus erat in arborem conuersam, Romulum appellarunt, & I*anum Quirinum* Ianitorem cæli, eumdem cum Romulo, sic & Patrem eius Christum *Martem*, seu *Mauortem*, *Quirinum* dixere, quia similiter Crucem portaturus, eique in morte affigendus esset. Et quia secunda Trinitatis persona in eo futura, *Iunonem* quoque *Filiam mentem*, *Quiritim* vocarunt, eiusque simulachrum *hastæ* (quasi cruci) *impositum* etiam coluere. necnon *solam hastam*, siue Quirim (vt nunc crucem Christo vacuam & carentem) *Martis signum* putauere, fortesque viros ea donauere, quod Christum, & Romulum Petrum cum fratre Andrea, quondam ea donandos, ex Sibylla rescirent. Sed & Martem Quirinum, Christum crucifixum, præterea *Gradiuum* appellarunt, quem ex eadem Sibylla agnouissent fore *vadentem* siue gradientem cum suę hasta Crucis *Romam, iterum crucifigi*. Et quia hoc viso permotus Petrus Romam statim rediit, exemplo Christi fortiter crucem subiturus, hinc fabula orta, *à Marte* Quirino, & eodem Gradiuo, *Romulum abreptum curru*, nempe suæ crucis, cuius propterea *temonem cruentum* Ouidius describit, vt infra dicetur. Alio item Symbolo *Angeronæ Deæ* idem enarrarunt, quę ore obligato atque obsignato picta visebatur, & quam *Romæ parentem* interpretati sunt, ob Petrum Romanæ Ecclesiæ Patrem, quem scirent silentem, nec obmurmurantem

tem

item ad Christi Magistri sui crucem portandam Romæ esse cogendum, & angariandum, (vnde *Angerona* Deæ simulachrum effictum) vti mysticum quemdam Simonem *Cyrenæum*, & quasi *Quirinum*. Etenim Simon Cyrenæus, Petri Simonis vera & mystica quædam effigies fuit. nam vterque *Simon*, vterque *Cyrenæus*. Nisi quod Petrus Simon, *Quirinus*, vti verus Romulus fuerit appellatus. Vterque *veniens de Villa angariatus* est, nam Simon Quirinus, Vrbe exierat, quando illi Christus crucem baiulans occurrit, & *de Villa* statim Romam *rediens*, cruce Christi seu sua fuit oneratus. Vterque *parens Alexandri & Ruffi*, Simon enim Petrus, vti summus Pontifex, Pater *Alexandrini* Patriarchæ futurus, Pater *Constãtinopolitani*, qui ab Vrbe Roma, dictus *Ruffus*, hoc est, *dilatatus*, ab hebræo *Rapha*, quia Bizantiũ altera quędã Roma fuit. Moritur ergo in Cruce Rex Romulus, Summus Ecclesiæ Rector, neq; amplius *in terris apparet*, *quando immortalibus operibus editis*, *exercitum recenset*, Romanum Christo militantem Clerum, & *concionem habens* in Cruce pendulus, *coorta procella, atque tempestate*, Neronianæ puta persecutionis, *cum magno tonitrui fragore*, qui populum adstantem in fugam conuertit. non quod tonitruum in morte auditum, sed cum *orientales* corpus eius sacrum cum corpore Pauli *diripere tentarent*, ac Romæ auferre, *tonitruo ingenti* desistere ab incæpto coacti sunt, & in fugam versi. Mortuo itaque Romulo *Populus vacuam Sedem regiam*, Cathedram Pontificiam Rege Romulo, *vidit*. *Patres* Episcopi, atque Sacerdotes ei superstites *sublimem raptum procella* illa persecutionis in Cęlum *aiunt*. *Plebs* Christiana *orbitatis metu icta*, *mæstum aliquamdiu silentium obtinuit*, deinde *à paucis initio facto*, Diuum, non *Deum*, *Deo natum Regem*, *Parentemque Vrbis*, verius Ecclesiæ *Romanæ saluere vniuersi Romulum* Petrum *iubent*, *pacem precibus exposcunt*, *vti volens propitius suam semper sospitet progeniem* Romanam, atque Christianam. Sed & *fama manans discerptum Regem Patrum manibus*, & *sub toga eorum frustatim elatum corpus*, *atque custoditum*, & *clam terra obrutum*, ad hæresis ruborem luculenter admonet, quid de exuuijs sacris Sanctorum agendum, quamque Reliquijs sacrati Corporis Romuli colendis primi Christiani curam impenderint. Nam Petri hodie dimidium corpus, & caput à membris auulsum, quæ in Basilicis tum Laterani, tum S. Petri, & Pauli visuntur, haud dubiè à Patribus olim Petri corpus in plures partes discerptum testantur, ea Religione, vt plures Aedes, atque sacra loca, eo diuiso quasi potirentur. Marmor enim columnæ affixum in Vaticana Petri Basilica, sua inscriptione testatur, Sacra Apostolorum corpora à S. Siluestro fuisse per hoc diuisa. Ritum verò Christianum *sub toga*, et *veste*, Martyrum, aut Sanctorum Reliquias ferendi, & custodiendi, ea fabula futuri præsaga confirmat. Nam quod terra clàm obrutum, & sepultum ferunt, id metu Neronis factum esse discimus. *Proculo* verò *Iulio* post mortem, *Romuli apparitio facta*, qua Cœlo delapsus ei se obuium derepente dedit, *Petrum Constantino* Cæsari *apparentem* indicat, in qua *perfusus horrore* Imperator, *venerabundusque adstitit*, *petens* forsitan *precibus*, *vt contra intueri fas esset*. Nec Romuli oratio Petro, siue Diuo apparente indigna: *Abi*, *nuntia Romanis*, *Cœlestes ita velle*, *vt mea Roma* (Romana Ecclesia) *caput* Ecclesiarum *Orbis terrarum sit*. *Proinde rem militarem* (Clericalem, & Spiritualem militiam) *colant*, *sciantque*, & *ita posteris tradant*, *nullas opes humanas* (Inferorum portas) *armis* spiritualibus *Romanis resistere posse*. *Hæc locutus*, *sublimis*

Liu. vt supra.

Bar. ad An. 69.

Liu. vt supra.

Liu. ibid. & Plut. in Rom. & Dionys.

Bar. 324.

Liu. vt supra.

blimis abijt. Mirum, quam desiderium Romuli Petri *apud plebem, exercitumque* Clerum Deo militantem, *facta fide immortalitatis lenitum sit.* De Romulo enim in Diuos relato, omnis historia, seu fabula meminit. Nam à *Marte parente in Cœlum raptum* passim commemorant. Vnde Horatius:

Car. lib.3. *Quirinus*
Martis equis Acheronta fugit.

Et infra de eodem Iuno

Nepotem
Troica quem peperit Sacerdos
Marti redonabo, illum ego lucidas
Inire Sedes, ducere Nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Verùm Ouidio nemo copiosiùs, aut elegantiùs

Met.14. *Occiderat Tatius, populisque æquata duobus*
Romule iura dabas, posita cum casside Mauors,
Talibus affatur, Diuumque, hominumque parentem:
Tempus adest genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, & præside pendet ab vno)
Præmia iam promissa mihi, dignoque nepoti
Soluere, & ablatum terris imponere Cœlo.
Tu mihi Concilio quondam præsente Deorum,
(Nam memini, memorique animo pia verba notaui)
Vnus erit, quem tu tolles ad Sidera Cœli,
Dixisti, rata sit verborum summa tuorum,
Annuit Omnipotens, & nubibus aera cæcis
Occuluit, tonitruque, & fulgure terruit Vrbem,
Quæ sibi promissæ sensit data signa rapinæ,
Innixusque hastæ, pressos temone cruento
Impauidus conscendit equos Gradiuus, & ictu
Verberis increpuit, pursumque per aera lapsus
Constit in Summo nemorosi colle Palati.
Reddentemque suo non Regia iura Quiriti
Abstulit Iliaden; corpus mortale per auras
Delapsum tenues, vt lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere Cœlo.
Pulchra *subit facies & puluinaribus altis*
Dignior est, qualis trabeati forma Quirini.

Romulum verò *cœlibem* extinctum, plures Historici scriptum reliquere, quidam *Herciliam* vxorem duxisse, post mortem eius *Oram* nominatam, quam etiam *Ostilij* coniugem, viri inter Romanos clarissimi, fecere, ex qua filiam *Primam*, et *Aollium* filium Romulus sustulerit. Vtrique haud falsò. Nam Petrus Discipulus Christi, & inde Sacerdos, vixit in cælibatu. Spiritalem nihilominus vxorem, & sponsam, Christianam Ecclesiam duxit, ab ἄρχω & λαὸς dictam *Herciliam*, quasi in *Populos Imperium habentem*, & à Romuli morte *Oram* nuncupatam, & in *Cœlum sublatam*, quia in vltimas terrarum *Oras* Romana Ecclesia propaganda erat, Cœloque tandem inserenda, & Quirino

(Plut. in Rom.) (Met.14.)

suo

suo rursus coniungenda. Hæc *Hercilia* quoque *Ostilio* D. Paulo nupsit, quẽ vtpote *Via Ostiensi* sepulchro, & Templo olim honorandum, *Ostilii* nomine gnara futurorum antiquitas vocauit. Ex qua *Hercilia Primam*, Antiochensem nempè Ecclesiam, Parens Romulus genuit, cum altera prole *Aollio*, alijs *Abollio*, Pontifice Romano, *Patre Vniuersi* ab Ἄββας & ὅλος, Imperij sui spiritalis vero successore, & æterno hærede. Quid, quod Petri mortis tempus, si decem dies modò exceperis, cum Romuli quoque obitu conuenit? Nã Romulum Nonis Iulij decessisse ferunt, Petrum verò eiusdem secundo Calendas, quo die geminos Apostolos Ecclesia honorat. cuius aberrationis sanè minusculæ, haud minutiùs exquirenda ratio in hac vetustate, tantisque vatum mendacijs, cum etiam diebus decem annum mutilari hoc sęculum viderit, quibus restitutis, Petri, ac Romuli dies occurrerent. Cum igitur Petrus Iunio mense decesserit, Romani Veteres, vt Fastis docemur, *Sancto*, *Fidio*, *Semoni*, tantùm non *Simoni*, *Sancto*, et *Fideli*, Iunij Nonas cum Templo in Quirinali monte consecrarunt. Vnde Ouidius: Plut. vt supra.

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem, Fast. 6.
An tibi Semo Pater, tunc mihi Sanctus ait:
Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt Aede Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

Ob Quirinale Palatium, & Sacellum in eo excitandum. De *Deo* autem *Fidio* similia plane, ac de Romulo, Halicarnassæus lib. 2. refert, ex quo liquet eumdem esse, nisi quod *Medium* pro *Dio* appellet. Quin etiam *Piscatorum ferias*, quia Petrus Piscator, die tertia post Nonas eiusdem mensis, Ouidio quoque teste, celebrabant: Ib.

Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt paruis æra recurua cibis.

Et quia ambo Apostoli, Romanæ Ecclesiæ Parentes *Porta Tergemina* ad supplicium ducendi (nam virgis ambo extra eam cæsi, ad eum locum, vbi modò Sacellum S. Trinitatis, ob quam existimem *Tergeminam* Portam appellari) illa tanquam malè ominata, ire metuebant, tùm quòd Christiani ad decem millia, vno & eodem die ad Aquas Saluias, vbi Paulus passus, ad mortem quoque isthac egressuri: Quæ res de *Trecentis Fabiis* vna die cæsis, doctam fabulam peperit. Quæ verò de Romuli morte hic dicta sunt, similia prorsus de morte Æneæ, apud Sextum Aurelium Victorem, & Dionysium libro primo scripta reperies, ne alium à Romulo Æneam putares. His igitur de Romulo dictis, tanquam face quadam veritatis allata, Romanæ Historiæ tenebras magnam partem discussum iri, deinceps putamus.

CAPVT XXV.

Quid *Reges* Romuli Successores velint? Quidue ijdem *eiecti*?

QVANQVAM instituto nostro foret satis, Romuli, ac Remi fabulam explanasse, ne quod tamen dubium de illa supersit, commenta insuper de Regibus succedentibus Romulo, discutere iuuat, quo primi Romanæ Historiæ Annales non minus, quàm Ilias, Æneis, atque Odyssea, fabulosi appareant, & carminum Sibyllæ malè consutorum quasi rapsodiæ. Nam et Marcus Tullius, quæ de Numa, & Tarquinio feruntur, poetica, atque fabulosa in libro de Legibus censet: *Faciunt imperitè, qui in isto opusculo, non vt à* Poeta, *sed vt à teste, veritatem exigant. Nec dubito, quin & iidem cum Egeria collocutum Numam, & ab Aquila Tarquinio apicem impositum putent.* Igitur cum Romulo plures Successores fabulosè assignant, Primatum Petri, atque potestatem, in Ecclesia Romana, post eiusdem mortem, haud defectura, sed æterna fore, indicatum volunt. Mortuo igitur Romulo, *per interregnum regia*, seu Pontificum *Sedes* Romę *vacat*. *Patrum* verò *certamen*, *quibus caput esse aliquod placeat*, & nemo alteri concedere in animum inducat, *plures* item *imperitantes*, in quibus *Vnicus Imperii insignia* habeat, et *plebs multiplicatam seruitutem gemens*, nec *plures*, *quam vnum* Romę *Regem passura*, Pontificum Romanorum post Petrum, à Cardinalibus Patribus electiones futuras signabant, quas ambitio, & Schismata plebi Christianæ exosa, nonnunquam fędarent *Regnum* verò (Pontificatus, etiam temporale Regnum aliquando complexus) *Numæ Pompilio delatum*, ab Romulo Petro regnaturos cum *pompa* externa Pontifices docebat. Nam à *pompa*, et *No*, et *Ma*, *lato*, siue *dilatato*, Numa Pompilius nomen adinuenit. Quòd autem à Romulo, statim ad *Pompilios*, cum pompa Romæ regnaturos Pontifices Petri Successores historia prosilit, plurimis in medio relictis, sæpè à me monitum, & sæpiùs monendum, temporis rationem, loci, aut ordinis, in fabulis nequidquam requiri, quæ pro sua quidlibet potestate fingunt. *Pompilii* ergò *Numæ* Petri Successoris, appellatiuum veriùs, quam proprium nomen, cum tota historia in *Gregorios* potissimè cadit, qui post persecutiones Pontifices creati, cum pompa regnarunt, maximè autem in *Gregorium* eius nominis *Primum*. *Inclytum* enim *eiusdem genus*, *Iustitia*, *atque Religio* (nam in Diuos post mortem relatus) tum *omnis humani*, *& Diuini iuris consultissimus fuit*, instructus *disciplina tetrica*, *ac tristi veterum Sabinorum*, primorum Ecclesiæ Christianorum, *quo genere nullum quondam incorruptius fuit*. Ob eloquentiam item, ac scribendi miram facultatem, dictus *Pithagoræus*, hoc est, turbis persuadens, ab ἀγορὰ, & πείθω, quasi *alter Paulus*, qui quòd suadendo acer, & efficax, de *Pythagoræ* commento occasio fuit. Patria enim Pythagoras *Samius*, quia *Semius* Paulus, seu de *Semigenere*, vtpote Iudæus. Pythagoras *Phærecidæ Syri discipulus*, Paulus Gamalielis *Pharisæi Syri*, vel secundùm Alexandrum Scriptorem, apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat. *Nazarethi Assyrij*, hoc est IESV *Nazareni*, è Syria Palæstinæ, quæ etiam

Liu. D. 1. lib. 1.

Liu. vt supra.

etiam *Assyria* vocata. Pythagoras porrò Patriæ (Iudeæ) tyrannidem fugiens, in Italiam venit, vbi Philosophiæ (puta Christianæ) ludum aperuit, professus *à se Apollinem visum*, Christum Nazarenum, & ideò intonsum, qualem Apollinem finxere. quique haud contentiosos, sed qui vererentur suũ αὐτὸς ἔφα, atque diu taciturnos (quales Cathecumeni) auditores vellet. Sed & raptum eiusdem ad tertium Cœlum, vbi non homini loquenda audierit, clarè illis verbis in Pythagora agnoscis:

Isque licet Cœli regione remotus, Ouid. Met. 15.
Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Pythagorica modò dogmata, quæ circumferuntur, si fabularum scoriam detraxeris, pura, Apostolica, & Paulina euadent. Litera enim Y ad vitam, & ad mortem via, Υψιλόν significat, credentibus, & non credentibus, æternæ vitæ, ac necis authorem, præter quam literam nihil se scire aliud Pythagoras Paulus sæpè professus est. Docuit item immortales animos (vnde Ouidius: *Morte carent animæ,* & idem Fastorum lib. 3. *A Samio* (Pythagora) *doctus, qui posse renasci Nos putat*) & resurrectionem vita defunctorum, per celebrem suam μετεμψύχωσιν, quæ est animorum migratio post mortem in alia corpora, ferina, hoc est, peiora, qui malè vixerint, meliora, qui rectè, quod in resurrectione generali fiet. Ciborum item discrimina, & abstinentiam ab animalium carnibus, ieiuniorum puta tempore, præcepit: Ib. Ib.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora, sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo.

Et infra:

Prodiga diuitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde, & sanguine præbet,
Carne feræ sedant ieiunia.

Quę Apostolica dogmata hæretici irrident, & fabulę mendacibus causis demore inquinarunt. olerum autem omnium fructus pręter *Fabas* permittens, Plut. in q. Rom. Magistratuum sacrorum, atque prophanorum, qui quidem *Fabis* olim legebantur, ambitionem resecat, quod vapores cerebro noxios, & infestos, seu curas inanes, et malos superbię spiritus Fabę illę procreent. Et *Sacrificium* Pythagorę *incruentum*, et sine sanguine, quod *farina, vino,* et *lacte* constaret, quid nisi dulce, et suaue Eucharistię conuiuium innuit? et de *numero impare victima* Dijs *offerenda* eiusdem pręceptum, idem Trinitatis Sacrificium asserebat, sicut et cętera, quę prudens omitto. Quibus demonstratis, liquidissimè apparet, cur *Pythagoræus*, hoc est, Pauli Apostoli disciplina instructus, Numa iste, nempè *Gregorius*, credatur. Is porrò Petri Pontificis inter omnes clarissimus Successor, vti *Numa Regno*, sic etiam Ecclesię Romanę *inuitus præfectus* est, *ob quod virtus eius clarior*, et populo gratior. *Inaugurato* item, vt Romulus Petrus (quod de Numa traditur) Sacrę, et Diuinę auis, seu columbę afflatu, quę est Spiritus Sanctus. Quę item de eiusdem Numę inauguratione Annales obseruant, in Gregorianam, et Pontificiam omnem consecrationem prope vniuersa, ac singula cadunt. Nam ab *Augure* (Episcopo illum consecrante) *deductus in arcem, ad lapidem* Altaris *consedit*. *Augur* Episcopus *ad læuam eius, capite* insula Idem in Numa. Liu. vt supra. Liu. ibid.

velato, Sedem cæpit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens (Pedum Episcopale) *quem Lituum appellarunt*, quod eo litarent, siue Sacra peragerent. Deinde eo baculo *quatuor orbis plagas* augur *definiens*, Pontificij Pedi in omnem mundum Imperium futurum, iam tùm prędicebat. *Tum lituo in læuam manum translato, dextra in capite Numæ imposita*, certis verbis *precatur*, Ieoua *Iouem inuocando*. *Itaque declaratus Rex*, seu Ecclesię Rector *Numa, de Templo descendit*. Quis Episcopalem immo Pontificiam inaugurationem hic descriptam neget? *Regno* porrò noster Numa *potitus*, nihil prius habuit, quàm *Italiæ turbas, atque* discordias *motas componere*, pauperes subleuare, Vrbem Religione, Legibus, ac moribus *ornare*, Ibid. *Sacra instituere*, nam de Sacramentis librum composuit, necnon *Pastorale*, cum cęteris operibus plurimis. *Quæ* salubria dogmata, vt *altius* in animos plebis descenderent, *Simulatio* effecit, Columba Spiritum Sanctum *dissimulans*, et auribus scribentis perpetuò assistens, insusurrans, et dictās. *Congressus* item eius *nocturni* cum *Dea Egeria* commentum, vigilias eiusdem Pontificis, et sollicitudinem et curam Ecclesię vniuersæ adstruit, quæ ab *egenti*, seu paupere Petro, Sponso eius defuncto, doctum *Egeriæ* Vocabulum deriuat. *congressus* item Numæ cum *Nymphis*, seu Angelis, ab Angelo ortum habet, qui Mensæ eius accubuit. quē accubitum mensę, tori credidere. Quòd verò *Elicio Ioui* fertur *aram dicasse*, ad Altaria, et Templa, ab ipso consecrata pertinet, in quibus certa verborum formula, de Cęlo Ieoua Christus *elicitur*, vnde suum *Elicium*, sicut *Feretrium* antiquitas *Iouem* efformauit. Quamobrem ijs venia danda, qui primos Romanos Annales historias, non fabulas rati, magicæ superstitionis propterea Numam accusarunt. *Annus* verò ab eo *instauratus*, ad Calendarium *ab Gregorio* altero, decem diebus expunctis correctum, atque restitutum spectat, quem cum Numæ primi *Gregorij* gestis, nominis similitudine decepta, historia fabulosa confundit. *Nummi* præterea ab eodem *cusi* & *signati*, regiam & supremam (vti pecunia & nummis cudendis) Pontificum potestatem futuram olim demonstrabant, item numismata sacra ab ijs cudenda. Cur igitur, inquies, si Numa Gregorius Pontifex, ab eo *Pontificem supremum institutum* ferunt, & id sacrum decus *Marco* cuidam, eius genero collatum? quod contra Constantinopolitanum quemdam Episcopum, qui sibi *Vniuersalis* nomen arrogabat, Romanæ Sedis Primatum & ius asseruit, & de eo rudes *instituit*, vnde Pontificatum ab eo *institutum* fabula commenta est, & *Marco*, id est, Latinæ Ecclesiæ Episcopo, à *Marcha* hebræo ita nuncupato, eum concessisse, cum *filia* sua *Pompilia*, Ecclesia vniuersa cum pompa regnante, ex qua *Ancus Martius* postmodum susceptus sit, de quo infra dicendum. Cui quidem *Marco* seu Romano Episcopo prærogatiuas à Numa attributas ferunt, quæ Pontificiæ Sedis sunt D. 1. l. 1. propriæ. Nam Liuius *Pontifici Summo* ex Numæ instituto, *sacra omnia exscripta, exsignataque attribuit*, quibus hostijs, quibus diebus, *ad quæ templa* (stationes) *sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur*. *Cæteræ quoque omnia publica, priuataque sacra* eiusdem *Pontificis scitis subiecit, vt esset* is, siue eius Cathedra, *quò consultum plebes* Christiana in dubijs *veniret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur*. *Nec cælestes modò cerimonias, sed iusta quoque funebria, placandosque* Deo *manes* per Sacra, indulgentias, & alia, *vt idem Pontifex edoceret, quæque prodigia* in sanctorum puta mortuorum canonisatione, vt vocant, *diuinitus*

nitus

nitus missa susciperentur, aut reijcerentur. Quibus certè munijs, hæc priuilegia Dionysius adiungit: *A iudicijs & mulcta Pontifices immunes* (quòd suprema Sedes à nemine alio iudicetur) *senatui, populoque haud teneri gestorum rationem reddere, nec alium* à populo in demortui locum, verùm *à Collegis* (Collegio Patrum) *eligendum esse*, & cætera plurima ex Sibylla indubiè excerpta, quæ apud hunc authorem leges, vnde antiqui Pontifices prophani & Gentiles, sua iura, & munia, & ritus prompsere. *Saliorum* quoque institutum per Vrbem *Ancylia* ferendi, rectissime eidem Pompilio assignant, ob processiones publicas, seu supplicationes ab eis solùm Pontificibus factas, qui *cum pompa* Romæ imperarunt. Nam persecutionum tempore cum vix cryptis suis, aut locis occultis Christiani prodirent, ijs cessantibus, *per Vrbem* deinceps publicè è Templis *salire*, vnde *Salij* dicti, & *carmina* in choro seu *chorea* canere, quibus *Martem Gradiuum*, Christum secum *gradientem*, in supplicationibus assiduè laudabant. *Saliis* enim non modò *tunicas*, sed tunicas *pictas* siue acupictas, & *versicolores*, Sacerdotum seu Cleri cum tunicis & cappis procedentium ornatus, dedere. Qui ritus extra templa *saliendi* supplicantium more, *Gregorio* nostro eius nominis primo præcipuè conuenit, qui *pestilentia* diuturna *Romæ*, & in vniuersis ferè Prouincijs grassante, supplicationes crebras, instituit, vtque Liuius de Numa scripsit, *Lidei* seu *Litei solemne*, quo *Litaniarum* vulgò *maiorum* Author prædicitur. *Pelta* modò in salutem Vrbis *emissa de cælo*, & *pestilentiam sedans*, Angelicum & cælestem gladium significat, in conspectu Cleri atque plebis cum Gregorio Summo Pontifice Romæ procedentis, cruore deterso, vagina reconditum. Quo conspecto lues deinceps compressa. *Ancylia* autem *cælo quoque lapsa*, quæ *Salii* deferrent, haud aliud quam Ordines Ecclesiæ Sacros, seu ministeria Clericorum putes, ab *ancillando* siue aris ministrando, *Ancylia* quasi ministeria dicta, quæ in *Saliorum*, hoc est, procedentis atque salientis è Templo Cleri potestate, quasi manu quadam erant statuenda. Nam supplicatio siue Processio Acolythis, Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, Episcopis, Summo Pontifice, denique Clero omni constat, qui omnia Ecclesiæ *Ancylia*, seu ministeria & ordines portant, in quibus Romanæ Vrbis sortem, & *felicitatem*, & *imperii* (spiritalis) *robur consistere*, aptissimè olim, tametsi ignari rerum, prædicabant. Quod verò *Salii* in fine carminum, *veturium Mamurium* sonarent, ancyliorum artificem aut fabrum, *Venturum* Christum *Mariæum*, seu Mariæ filium, corruptè licet, præcinebant, Ordinum Ecclesiæ Sacrorum authorem futurum, quem in fine quoque singulorum psalmorum, & orationum, Veri nostri Salij quotidie memorant. Verum ad extremum liquet, per *Numam* S.Gregorium apertè describi, quando eius *libri in arca reconditi* post aliquot annos *reperti* dicantur, quod & *Moralibus* Gregorij euenit, atque *Numæ coniux* Egeria marito defuncto, *in fontem seu fluuium*, ob *aquam* eiusdem vulgò *Gregorianam*, etiam à morte eius consecrari solitam, conuersa fingatur. Ac de Numa hactenus. Alter ab hoc Pontifex seu *Rex* Ecclesiæ *Tullus Hostilius*, etiam Petri Romuli successor, qui *Tullus* à δοῦλος, hoc est, *Seruus* dictus, nempe *Seruorum Dei*, quo titulo etiam hodierni Pontifices gaudent, *Hostilius* autem ab *ostio* seu ianua cæli, cuius claues gerit, ne ea potestas cum Petro Iano, siue Ianitore, extincta credatur. Sicut autem *Numa Pompilius* regnantes *cum Pompa* Pontifices designat, sic *Tullus Hostilius* eosdem præcipuè, qui tempore persecutionum Ecclesiæ, sine Splendore externo vixere.

In Numa.

Liu vt sup. re. Nam eum *abditum*, *sacris operatum*, & *Ioui Elicio* produnt, eo quod in cryptis, atq; catatumbis Pontifices fere latitarent, ibidem sacris operantes, & *fulmine* Tullum (puta persecutionum) *cum domo* Ecclesia *interiisse*, seu mortem perpessum. Tum pugna *Horatiorum* sub eo *cum Curiatijs* idem quoque monstrat. Quid enim certamen illud singulare de Imperij summa, nisi infidelium Senatorum, & Imperatorum, quos *Curiatiorum* à Curia vocabulum notat, cum fidelibus Christianis conflictus? *Tergeminis* quidem, quia vno & eodem partu in baptismo editi, *Horatiis* autem, vel vt quidam, *Oratiis*, ab *orando* dictis? Nam hi per ducentos annos à Curiatiis cæsi, tertio demum sæculo, per Constantinum Maxentio occiso, victores euadunt, & victoriæ insigne Romanum Imperium reportant, Imperatoribus Romanis factis Christianis. Ibi *Soror* eius Constantini gentilitas, siue gentilium superstitio *confossa*, Senatoribus ob virtutem eius *dissimulantibus* facinus, *Patre* quoque eiusdem, Pontifice Romano eum *defendente*. Tunc temporis *Metius*
Vt supra. (is est Maxentius) *fæderis Romani Albanique ruptor*, quia Christianorum, atque Gentilium communis Tyrannus, certamine equestri atque singulari *in partes distractus*, quia obtruncatus. Ibi quoque *Albani* Christiani *Patres*, cum *Alba longa*, sua veste, publicè Romam *traducti sunt*, & Romana religio duplex in vnam Christianam paulatim conflata. *Piacularia* verò *Sacra*, quibus post cædem Sororis, hoc est, gentilismi euersi ruinam, à Patre *lustratus* atque *expiatus* in fabula fingitur, baptismum eiusdem Constantini signabant, à Syluestro Summo Pontifice ei conferendum, per quem, & *sub iugum* Christianæ fidei ab eo *mittendus*. Pergit autem Liuius: *Cum verò in magna gloria, magnisque opibus Regnum Tulli, ac tota res Romana esset, nuntiatum Regi* Liberio Pontifici, *Patribusque, in monte Albano* (Exquilino ab Christianis hunc incolentibus ita nuncupato) *lapidibus pluisse*, quia niue pluiturum erat, in summo æstatis calore, in modum lapidum fundamentalium Aedis siue Templi isthic congregata. Nam Author subiungit: *Quod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quam cum* niuem seu *grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere de cælo lapides*, nam lapides Basilicæ S. Mariæ Maioris, ad Niues vulgò appellatæ, diuino admonitu constructi, quasi coelo pluerunt. *Vox* etiam *cælestis audita*, quæ ibidem sacra fieri iuberet, sed *Albano*, id est, Christiano *ritu*, idipsum confirmat. Tullo Hostilio è viuis sublato, res ad Patres redit, & in comitijs *Ancus Martius* quartus à Romulo Pontifex eligitur, quia *Marchæ Anconæ*, seu Piceni Dominus, vnde *Martii Anci* vocabulum descendit, Petro Romulo Pontifex succedere debebat, Aede Lauretana diuinitus eodem importata nobilis. *Bellum* verò eius *cum Latinis*, & Legati ad res repetendas missi, discordias atque dissidia Populi Romani cum Pontificibus notat, Auenionem tum incolentibus, & *hasta ferrata* siue *sanguinea* missa à Legato in Latinos fines, Ecclesiæ censuras in eosdem latas. *Auentinum* enim populo datum *montem* fabulantur ad ædificandum, quia *Auenionen* (vnde Auentini nomen) cum tota Christiana plebe eum ibi colente, atque obseruante, Pontifex migraturus erat. *Bella* quoque *secuta*, verum ad vltimum *omnibus copiis connixus Ancus*, superior *Romam reuertitur*. *Carcer* verò ab eodem quoq; in Romano foro *ædificatus*, sub Pontificibus Anconæ Dominis *Carcerem Mamertinum* Apostolorum in Sacellum conuertendum, & ędificandum à fabris Lignarijs

rijs

rijs canebat, vti nunc videmus, quis enim custodiam prophanam desideratam in Vrbe tot annos non fatue existimet, qua minimi pagi vel tantillo tempore carere haud possunt? *Ancus* verò *ædificator* dum à Floro audit, de Aede egregia Lauretanæ Virginis, cum Pontificia Domo in Ancio seu Ancona extructa intelligere oportet. *Tarquinius* ab Anco Rex exinde regnat, à *Ta* atque *Racha* nomen *dilatati* gerens, eò quòd Domo Lauretana in Ancium aduecta, Ecclesia immensum, nec non Pontificis authoritas, in vtramque Iudiam Orientis, atque Occidentis erat propaganda. *Bella* verò sub eodem, nondum compositas Guelphorum, & Gibellinorum factiones notant. *Centum* autem in Patres adlecti, Cardinales à Pontificibus supremis magno numero creandos, vti comitatu, & stipantium turba essent *Tarquinii*, hoc est, dilatati. Cur autem Tarquinio *Seruius Tullius* successor creetur, de ordine incertum, at de causa liquet, ne vmquam Seruus Seruorum Dei Ecclesiæ deesset, quod seruitium duplex suo vocabulo *Seruius Tullius* refert. *Census* res saluberrima ab eo *institutus*, aduersus *Veientes*, hoc est, *Bizantinos* Turcas, pro solyma seruanda, vel recuperanda, *Bullæ* vulgò *Cruciatæ* promulgatio fuit, qua exercitui sacro de sumptibus, ac copijs prouisum. Cætera verò, quæ Seruio Tullio Annales assignant, Romulo Petro primo Pontifici, aptius conueniant. Adeo fabula incõstans, atque perturbata. Petro enim *caput* innoxio *igne* atque *flamma arsit*, multorum in conspectu, Die Pentecostes. Petro *Regina Tanaquil* Romana seu *Daunia Aquila* pileum ablatum, id est, libertatem, in successoribus, qui Principes Romæ etiam temporales effecti, plenè *restituit*. Petro *Tarquinius* Imperator Romanus, summè *dilatatus*, quamuis humili loco nato, & ex seruis seu Iudæis, qui Romanis seruirent, *filiam* tandem *suam* Romanam Ecclesiam *collocat*. Petro denique cædes per *Tarquinium* Neronem vulgò *Superbum* allata, parti illi Vrbis, in qua trucidandus, & in qua inhumatus per aliquot dies iacere debebat, *carpentis* filiæ seu Romanæ plebis omnis *conculcandus*, atque proterendus *Vici scelerati* nomen imposuit, quamuis illum in diuersa parte, topographiæ haud satis præsaga antiquitas ponat. Igitur postremus Regum *Tarquinius* Nero *regnare occæpit*, *cui superbi cognomen facta indiderunt*, *quia socerum* siue Patrem Vrbis Petrum *sepultura probibuit*, *primoresque Patrum* Christianorum, *quos Seruii* Petri *rebus fauisse credebat*, *interfecit*. Qui deinde vt tyrannus *metu, non ciuium caritate imperans, regnum tutatus est, multos* è Patribus gradu, & loco mouendo, alios exilio, morte, fortunis *multando*. Nam quia post Romulum Petrum interfectum, Nero imperio summè dilatatus, siue *Tarquinius* temporaliter regnaturus erat, hunc fabula iccirco Romuli primi Romæ Principis, sed spiritualis, successorem fecit, & Regibus Romanis adiunxit. Eius autem *filius* nempe imitatione, Iulianus Cæsar Apostata *per simulationem, ad Gabios* Christianos Latinos *deficiens, postquam satis virium collectum ad omnes conatus* in imperio *vidit*, Patris Neronis exemplo, *summa papauerum capita*, hoc est, præcipuos Ecclesiæ Pastores *decutere* aggressus est. cur autem eodem regnante, Sibyllam libros Romam attulisse, eidemque obtulisse finxerint, infra docendum est. Sub *Tarquinio* item hoc *superbo* Nerone, *Capitolii* iacta fundamenta afferuntur, ob Petri Ecclesiam Apostolico sanguine ab eodem fuso, firmius tunc fundari coeptam, cuius initijs inuentum in eadem caput *Apostoli* Pauli, de *Toli eapite*, vnde *Capitolii* nomen ad Arcem Tarpeiam traductnm, fabulosam originem dedit. Quòd verò eius initio quoque fabulantur, Deos

Liu. vt sue.

Ter-

Terminum atque Iuuentutem ſeſe loco haud moueri paſſos, eodem commento Eccleſiam Romanam, in qua Capitolium, ſiue Caput Apoſtoli principio repertum, æternam & ſemper florentem fore docuerunt, nec ſenio temporum, aut termino mouendam, atque corrumpendam. Vt per *Lucretiam* ob coniugalem pudicitiam, ſibi violentas manus afferentem, *Sophroniam* clariſſimam mulierem, atque caſtiſſimam ijdem innuerunt, quæ ſub Maxentio, Matronis Romanis ad libidinem fœdè abutente, ſibi mortem conſciſceret, ne violaretur. Quæ res cauſa fuit, cur Roma *exacti Reges* ſiue Imperatores idololatræ fuerint cœſo Maxentio, qui poſt Romulum Petrum ibidem regnarant. Sophronia enim *Lucretia* appellata, eò quòd Chriſtiana, & Lucerum Patrum Chriſtianorum in baptiſmo filia. *Brutus* verò interea temporis Sapientem *ſtultitiam* fidei Chriſtianæ amplexus, atque inde *Bruti* ſeu fatui nomen, Conſtantinus Cæſar dicendus eſt, qui Cæſarum primus, idololatria *patriam liberauit*, ac ideo verum Chriſti *regnum nactus*, quod *oſculum primus* inter Auguſtos, *communi parenti* Eccleſiæ *dederit*. Nam *oſculum ſanctum* Eccleſiæ primi antiquitus Chriſtiani ferebant & ipſe Imperator vulnera Epiſcoporum, qui pro fide paſſi in Concilio Nicææ modeſtè, atque humi ſtratus exoſculans, *Matri* Eccleſiæ, ſeu *terræ* oſculum dediſſe, fabulosè proditus, & id quoque *primus*, nempe dignitate, ſupra omnes Laicos. Cur autem *poſt eiectos Reges*, formam Reipublicæ immutatam tradant, deinceps exponemus.

CAPVT XXVI.

1 De primis *Romanæ Hiſtoriæ* Annalibus, à *Romulo* ad *Magni Alexandri* Imperium, & *Punicum bellum*, ſententia Authoris.

2 De bellis *Punicis* item, primo & ſecundo.

3 Vbinam *Hiſtoriæ Romanæ* incipiat veritas, ſeu fabula deſinat?

1 ANTEQVAM ad Iaphetum Europæ, Italiæ, ac Romæ parentem, Annalium noſtrorum curſum reflectamus, hoc diuerticulum reſtat ineundum, ne quiſquam de prima Hiſtoria Romana ſecius, quàm oportet, impoſterum ſentiat. Ac Romuli quidem Hiſtoriam fabuloſam eſſe, neceſſe eſt omnis æquus, & ſyncerus vetuſtatis Iudex pronuntiet, & qui vllum fallere, atque falli nolit. Id de ortu eius, infantia, adoleſcentia, & condita Vrbe prioribus geſtis, etiam Romanarum rerum Scriptores fatentur, ac imprimis Liuius: *Quæ ante conditam, condendamue Vrbem, Poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo eſt. Datur hæc venia antiquitati, vt miſcendo humana Diuinis, primordia Vrbium auguſtiora faciat.* Cùm verò non ſola adoleſcentia Romuli, ſed & cetera ætas *Diuinis humana* fabulosè confundat, vt haſta vibrata de colle in collem, vbi in arborem prodigio creuerit, vt raptus in Cęlum à Marte parente, omni eius vitæ, atque Hiſtoriæ præiudicatum

præiudicatum est. Ideo & *Romana primus in Historia* Crispus Sallustius, cum Romæ originem tradit, nullam prorsus Romuli mentionem facit, eamque ad Æneam, & Aborigines refert vti supra ostensum, vt non immeritò Ioãnes Tẽporarius de eodem Romulo liberè censuerit: *Infitiamur Romulum vnquam in rerum natura fuisse*. & infra: *sed redeamus ad Romuli, Romæque principia, quæ veteris historiæ, cælique testimonio carent. proinde Romam à Romulo fundatam fuisse, atque adeo ipsum Romulum in rerum natura vnquam extitisse, meritò infitiari possumus. Romam enim multis ante sæculis fuisse conditam, quam Romuli nomen fuerit excogitatum, aut confictum, scriptores antiquissimi testantur, qui à Dionysio, Plutarcho, Onuphrio, & alijs indicati sunt.* Rursum. *Latronum colluuies, cum accreuisset parricidio, perfidia, finitimorum direptione, & excidio, ad Deos referre voluit originis suæ caput, ideoque mira et portentosa mendacia commenta est, quæ nullam habent veri speciem, sed stuporem credulis tantùm, & admirationem pariunt*. Idem præterea cæli phænomenis, alijsque argumentis doctissimè confirmat, nullasque defectiones Solis, sub Romuli atque Romæ ortum à multis vulgatum, probat apparuisse. affert item Plutarchum in Romulo scribentem, *scænico figmento historiam eius consimilem*, eundemque priorum scriptorum authoritatem plurimùm eleuare, *Dioclis Peparethij* imprimis hominis Græci, qui primus Romanam historiam scripserit; cuius mendacia *Fabius Pictor* secutus sit, & *L. Cintius*, qui primi ex Romanis, annis fere quingentis, Post initia Romæ vulgata, res Vrbis antiquas græco sermone mandarint, idque temporibus belli Punici, vt author est Halicarnasseus. Polybium quoq. scriptorem idem Temporalis laudat, qui Fabium Pictorem testetur, suis se mendacijs, Romana historia tradenda, clarum reddidisse. Neque generalis atque verissima eiusdem ratio illa omittenda: Ante Cyri Babyloniæ Vrbis euersoris, & Persarum ei subditorum imperium, omnem historiam profanam, nonnisi fabulosam esse, vti ex Homero, Hesiodo, alijsque constat, nec tempora illam distinguere, atque certo definire, tametsi de Nino, Semiramide, Assyrijs, et Medis nonnulla, sed densis tenebris inuoluta effundat. A Cyro et Darijs denique, quibusdam historijs prophanis, primam veritatis affulgere lucem. Atqui Romæ ortus, Romulique, ac Remi (qui falsò vulgatus) duobus sæculis ampliùs Cyrum antecedit. Anno enim orbis conditi 3270. vel circitèr, Romam conditam ferunt, primusque imperij Cyri cum anno mundi 3517. concurrit, vti plures volunt, qui ducentesimus et sextus decimus Vrbis erit annus, et Seruij Tullij penultimi Romanorum Regis quadragesimus primus. qui potuit igitur Diocles homo grecus de Romulo atque Remo scire, quæ Cyrum Persarum Regem plusquam ducentis annis præcessere, cum ab eo historia vera (sacram excipio) initium sumat? Ideo enim Herodotum, qui de Persis scribit, vt *historiæ parentem* M. Tullius laudat, quasi nullos illo priores in veris historicis reputet, cum verò eius quoque scripta, tametsi de Perisis tunc temporis Monarchis, fabulis innumeris scateant, quid de Romanis eà tempestate in obscuro sitis, et nulla re in alia gente adhuc illustribus, horumque annalibus, atque monumentis, nobis statuendum? Et verò identidem me mirari subit, cur Scriptoribus Græcis de primordijs Romæ vlla fides habenda, cum Græciam in propria historia fallacem nõ solùm Romani, sed etiam

Chron. De monst. l. 3.

2. de leg.

alij plures agnouerint. Scipio enim apud Liuium, non aliter historias Græcas, ac fabulas refert. Ac Quintilianus ijsdem historijs afferit, plerumque poeticæ similem licentiam esse. Similiter Iosephus in procemio belli Iudaici, veritatem à Græcis negligi in historia testis est, quod primo contra Appionem libello confirmat Nec non D. Hieronymus, cum historias Græcorum sibi opposuisset, *non debemus*, inquit, *eorum authoritati acquiescere, quorum mendacia detestamur*. Sed et Liuius tradit, sub vltimo Romanorum Rege, Græciæ regionem Romanis adhuc ignotam fuisse. *Tarquinium* enim idem author scribit, *duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria*, ad Delphicum Oraculum, *in Græciam misisse*. Ergo homines Græci, tametsi temporum illorum æquales fuissent, de ignotis adhuc sibi terris, historiam certam scribere potuerint? aut qui quinque sæculis et deinceps, à Roma condita tantùm floruère, quibus Fabius Pictor, Cincius Polybius, cæterique sequentes annumerandi sunt? græca igitur fide Græci illi Scriptores primæuam historiam Romanam tractarunt, atque concinnarunt, quæ perinde vera, ac orationes, quibus inspersa est, quasque omnibus communiter personis, tanquam oratoribus summis, nullo discrimine affingunt. Maneat ergo, quæ de Romulo traduntur, et Roma ab eodem condita, esse fabulosa, quod quidem nostro instituto sufficit. Eamdem censuram sex Reges Romuli successores merentur, vt ex dictis liquet. Nisi fortè *ancylia de cælo lapsa*, aut *Deos Terminum, atque Iuuetutem* Capitolium prodigio obstinato tuentes, cum cæteris plurimis, historiarum loco venerari velimus. Annos ergo ducentos, atque quadraginta, historiæ Romanæ sibi fabula vendicat, verùm docta fabula, vti mysteria explanata supra ostẽderunt. De sequentibus verò temporibus, vsque ad captam à Gallis Vrbẽ, imo Alexandri Magni Imperium, siue Græcorum Monarchiam erectam, dissimile ferri iudicium nequit, vti T. Liuius luculentus testis, dum sese incerta tradere, & obscura, ingenuè fatetur: *Quæ ab condita vrbe Roma, ad captam eamdem, Romani primùm gessere foris bella, domi seditiones, quinq. libris exposui, res cum vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex interuallo loci vix cernuntur, tum quòd perraræ per eadem tẽpora literæ fuere, vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum, & quòd etiam, si quæ in Commentariis Pontificum, aliisque publicis, priuatisque erant monumentis, incensa* (à Gallis) *Vrbe, pleraque interiere*. Et quamuis clariora deinceps, certioraque promittat, dicti tamen parum memor infra, Decadis primæ libro primo affirmat, sub tempora Alexandri Magni, *nullum æqualem temporum illorum scriptorem extare, quo satis certo authore stetur*, Et verò ipse *Florus*, qui de eadem historia Romana epitomen scripsit, bella post exactos Reges, ironicè hoc pacto describit: *Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt, Satricum, atque Corniculum prouinciæ. De Verulis & Bouillis pudet, sed triunphauimus*. Imo, vt syncerum magis, quàm necessarium, iudicium proferam, quinque ferè sæculis ab Vrbe condita (vti vocant) ad primum contra Pænos bellum, eiusdem historiæ tota fides nutat, nec maiorem, quam veterum fabulæ, Ilias, Odissea, Æneis, cæteraq. eiusmodi opera, siue metro vincta, seu numeris soluta, authoritatem illa promeretur, cui Sibyllini libri argumentum dederint, Poëtarum verò licentia, incrementum et molem. Igitur non ineptè fabulas, siue fabulosa argumenta ac libros, Hispani *Romances*, *Romans* Itali, ac Galli etiam hodie

Dec.3.l.8.
Inst.Orat. li.2.c.4.
In.25.Ezec.
Dec.1.l.6.

die vocant, quibus suum de Romanis Annalibus sensum candidè aperiunt, sicut Concilij Florentini Patres, quando ita cauere, *ne Romanorum, aut Græcorum historia in Synodo quispiam vteretur*. Et verò Historia Romana intra hæc tempora, nonnisi rerum apertè falsarum, & fabulosarum, atque pugnantium, aut nullam veri speciem habentium tota mole constat. Roma ferè Vniuersi intra sæculum domitrix, *Veios* Ciuitatem suo prope pomærio conclusam, vix trecentis annis, atque sexaginta assiduè pugnans, subiugare potest, quis hoc monstrum neget? Nam viciniam eius illud tritum probat: Sess. 7.

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat ista domus.

Vnde hoc ab Scriptore veteri verissimè dictum: *Laborat Annalium fides, vt Veios fuisse credamus*. Eadem Romana Ciuitas innumeris ad portas circumfusa hostibus, in quibus duo, & viginti Etruriæ populi, quinque ferè sæculis, agro continenter ob bella vastato, non modò subsistit tot prælijs attrita, & bellare pergit, sed bellando perpetuò vincit, quam hoc paradoxum? Doceant porrò Historici Romani, vbi suum Gabijs assignarint locum, vbi suam ditionis partem, atque portionem Veientibus dederint, immo Tusculanis, Faliscis, Aricinis, Fidenatibus, Tyburtibus, Volscis, Antiatibus, Ardeatibus, Hetruscis, Prænestinis, Ceritanis, cœterisque finitimis populis, quos Historia memorat, doceant (inquam) quot milliaribus se Romanus ager olim explicaret, cuius solis fructibus, annos quadringentos, Roma illa bellatrix, amplius centum quinquaginta ciuium millibus constans, vti primo censu patefactum tradunt, sustentari posset? Sed quod præterea fidē omnem superat, anno Vrbis conditæ ferè quadrigentesimo, sub Magni Alexandri Regno, Tyburtes vix ab Vrbe dissiti, non veriti Valerios Coruinos, C. Sulpitios, Papyrios, Torquatos, Decios, Fabios, Volumnios, Curios, cęteraque fortitudinis portenta, Romam aggredi audent, vt non seriò agere Liuius videatur, quando Alexandro Romanos componit, immo & præponit, quos soli Tyburtes bello lacesserent, imò Prænestini, atque Tusculani, Priuernates, & Palæpolitæ Neapoli proximi, Perusini, Marsi, & Peligni, aliaque oppidula, aut minimę gentes ijs finitimæ, eæque seorsim, nec inuicem iunctæ. Equidem Interpretum nonnemo, Volscorum obstinata pręlia commentario illustrans, *iocularia* illa, & minimè seria Romanorum bella pronuntiat. an non ioculare, acti de Samnitibus triginta, & amplius triumphi? non iocularia, atque fabulosa, exercitus integer in Vrbem irrumpens, vnius hominis corpore opposito compressus, atque interclusus? gurges medio foro hians, Curtio equite armato recepto, derepēte occlusus? Deus Aesculapius Serpentis specie ad Tyberim aduectus? quibus, cęterisq; cōmentis, si debita Historię fides exigatur, veriùs, quā liberiùs sanè pronuntio, Aethiopicam fabulam, Amadisios, Astręos, aliosque Thrasonicos, vel ad voluptatem compositos libros, illis Annalibus vero propiores. Quid, quod Sacra Historia, Romanę Veteris, quę circumfertur, authoritatem multum labefactat, quando sub annum Imperij Græcorum centesimum, & quinquagesimum, Romanorum *perpetuam* in regendo *Concordiam* laudat, & inter eos *vllam inuidiam*, et *æmulationem* negat extitisse. Quibus sanè verbis, an ii Romani Veteres depingantur, quorum Tribuni plebis aduersus Consules, Populus aduersus Patricios, & Patres, ac Collegæ inter se, vsque ad Punicum

Salianus. 1. Mach. c. 8.

bellum & deinceps, perpetuò rixati & tumultuati, ſanum, atque prudens cuiuſuis hominis iudicium appello. quid, quod ſub hoc tempus vnum Reipublicę Rectorem, ſeu annuum Conſulem ſolere creari eędem Sacrę Literę tradunt? *Committunt* Romani *vni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos, dominari vniuerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt vni*. At Hiſtoria vetus conſulibus duobus ſummum eorumdem magiſtratum committit, & binos conſules vſque ad hoc tempus imperij Gręcorum, in Faſtis deſignat, Sacrę Scripturę, atque adeo veritati aduerſans, vnde eam fictam clariſſimè colligas. Tametſi enim conſequentia tempora Conſules poſtmodum binos numerarint, de prioribus tamen, Scriptura magiſtra, ſecus ſentiendum. fabulę adhęc duo indicia maxima hęc Hiſtoria oſtendit, quorum primum, Scriptorum inter ſe pugna prope in ſingulis, alterum, plurimorum locorum, atque populorum enumeratio, quorum ſub primis Cęſaribus nullum veſtigium extaret. Itaque appoſitè Didorus Siculus: *In Priſcis fabulis*, inquit, *nulla omnino ſimplex*, & *per omnia ſibi conſentiens eſt narratio*. De Romę primordio amplius triginta eiuſdem conditores tradunt, vt infra monſtrandum, & hanc varietatem ipſi etiam Authores priſci agnouere, & ex recentibus quidam erudite obſeruauit, nullum omnino factum, quod ad hanc veterem hiſtoriam pertineat, cum iiſdem adiunctis, ſed planè diuerſis, ab authoribus afferri ſolere. Quod vero ad alterum fabulę argumentum ſpectat, quis credat in exiguo Latio LIII populos ſine veſtigijs prorſus interijſſe, idque ſub primis Cęſaribus, vti Plinius diſertè teſtatur, eos enumerando, niſi fabulam ſaperent? ſed quidnam pluribus argumentis egemus? Ipſos etiam teſtes antiquos Scriptores habemus, eumdem Plinium ac Dionyſium, nihil certum ac indubitatum, ab incunabulis Romę non modo ad hanc Vrbem à Gallis captam, & tempora Alexandri Magni, ſed & Punica bella, a priſcis illis authoribus afferri. Quidnam igitur, inquies, hiſtoricis illis tam copioſa fingendi argumenta donauit? Iam ſępius dictum, Sibyllini verſus, qui Romanę Eccleſię caſus, perſecutiones, hęreſes, ſchiſmata, progreſſus, atque incrementa, à duris & paruis initijs olim prędixere. Quos quidem Sibyllę libros, quia Pontifices adire ſolerent, ideo ex *Pontificum commentariis* Liuius Romanos Annales peti aſſeuerat. Quod igitur perſecutiones, atque Chriſtianorum cędes ab Eccleſia fundata in toto Latio ſęuire deberent, hę latinis bellis ab hiſtoria expreſſę, quę ab Romana Eccleſia condita raró ceſsauere. In his *Aequi* ſiue *Aequicolæ* iuſti Chriſtiani pugnãt, ijdem *Fidenates* dicti à fide tuenda, *Ceritani* à cera, cui dignitatum Eccleſię nomina olim inſcribebantur, vnde Primicerij etc. *Vmbri* ijdem fideles, quia im vmbroſis ſub Vrbe locis quondam moraturi, à quibus *Vmbria* nomẽ deriuauit, quibus mediis Vmbris illabi Albulam Silius Italicus ait, cum tamen inter Vmbros et Etruſcos Tyberis limes ferè ſtatuatur. Iam *Veſtini* à Veſta ſiue Euchariſtico cibo, vti ſępe dictum, *Cruſtumini, Cruſtumerii*, à Chriſto, quaſi Chriſtiani, et ſic de cęteris. Nam illa nomina *Sabinorum*, *Samnitum*, *Gabinorum*, *Capenatum*, *Auſonum*, *Tarquinienſium*, *Volſcorum*, *Calenorum*, *Faliſcorum*, *Etruſcorum*, aliaque plurima, Synonyma Latinorum vocabula eſſe monſtrauimus, à *Lato* Patre *I*aphet deriuata, per quorum bella, Romanæ Eccleſiæ perſecutiones prædictas apparet, quæ pluſquam trecentos annos in cunctis Latij, necnon Imperij locis tenuere. Adde his hæreſes, quę poſt perſecutiones Eccleſiam eamdem præcipue vexarunt, quinque ſęcula & amplius, veluti in hiſtoria Romana, illa bella explebunt.

Hęc

Mac. ibid.

Lib. 4.

Plutarchus Dionyſius, Plin. etc.

Cluuerius de Ital. Ant lib. 3.

Nat. Hiſt. lib. 3. c. 5.

Plin. ſupra Halicar. in Præfat. ad Ant Rom.

Hæc igitur in Sibylla lecta, primis scriptoribus historiæ Romanæ, peramplam fabulandi segetem olim præbuere. Ac tametsi longum ac prope infinitum esset, explanare singula, vti in Romulo, & successoribus Regibus supra factitatum, illa tamen summaria omitti minimè oportuit. Primùm, post *exactos Reges* Reipublicę faciem Immutatam, *Vbi duo Consules*, *adlecto* deinceps *Dictatore* imperant, tempora Cęsaris Constantini prędicere, quando Cęsaribus seu *Regibus* idololatris *Roma liberata*, ille Imperator Romanum Imperium in tres filios partitus, quorum duo, vti Consules, in Oriente atque Occidente diu regnauerint, tertius exiguo tempore, vt fere Dictator, vixerit, siue imperarit. *Rex* autem *Sacrorum Papyrij* nomine ab eo institutus, *Papam* sua voce seu Romanum Pontificem indicat, cui sacra omnia seu Spiritualia publicè tunc parere iussit Constantinus, ei Lateranensi Palatio attributo. *Brutus* verò liberos rei publicæ gratia interfici mandans, idem Imperator, qui in filios Crispum atque Licinium, occultis & forsitan falsis criminibus reos animaduertit. *Tarquinium* verò ex supradictis constat Maxentium esse, qui singulari certamine, ab eodem Constantino Bruto superatus, demum interijt. Tarquinij verò eius *consanguinei*, idololatræ gentiles, qui modis omnibus in Vrbem exules restitui tentarunt, *Porsena Rege Etruscorum* siue Latinorum (Iuliano Cæsare) frustra annitente, *Scæuolaque*, seu Latino homine, cum coniuratis alijs Christianis, ignes propterea ac flammas spernente. Iam *Clœlia Virgo* re & nomine *Cæciliam* refert, quæ *obses* & *custodienda* suo Angelo tradita, *Tyberis aquas* baptismales *tranans*, ad easdem aquas Valerianum atq; Tyburtium quasi quasdā *Virgines consortes* attraxit, ipsa *agmen agens*, & *per tela hostium* se persequentium, ad patriam cæleste *incolumis euasit*, vnde *virtus* eius, *publico monumento* (Templo Romę extructo) esset *honoranda*. *Via* autem *sacra* Viam Stationum Romę iam tūc designabat. Illa verò de *Horatio* fabula, suo solo corpore, irrumpentes Gallos reprimente, S. Leonis Pontificis Romani heroicum facinus tanto ante monstrabat, qui vnum se furori exercitus Attilę erat obiecturus. *Templum* modò *Iouis Capitolini*, non ita multò post *exactos Reges* Romę excitatum, fabrica Aedis Laterani à Constantino erecta est, vbi *Capitolium* siue *Caput Toli*, hoc est, *Apostoli* Petri atque Pauli. At *seruorum* Romę *coniuratio* de occupandis arcibus, & Vrbe incendenda, *qui* deinde in Crucem acti, aut varijs alijs supplicijs affecti, Neronianam in Christianos & Seruos Seruorum Dei, Pontifices Romanos calumniam atque sęuitiam quondā nuntiabat, qui acerbè torti atque necati sunt. Iam per *Coriolanum*, cuius historia & expeditio planè discrepanter à Liuio & Dionysio scripta esse apparet, Carolus Magnus prędictus videtur, qui quamuis in Gallia absens, Matris Ecclesię inductus precibus, Romanę Ecclesię sępius, & Vrbi succurrit, quo beneficio *coronam Ciuicam* adeptus est, quando Imperator meruit coronari, Quid verò *plebis discessio* primùm *in Auentinum*, inde *in Sacrum montem*, cum consularibus signis, nisi quod Christiana plebes Pontifici Auenionen profecto, cum Pontificijs insignibus ac signis, Roma derelicta adhęrere deberet, in *Sacrum* seu Romanum *montem* inde reuocanda, quando Pontifices eo redijssent. Hinc *Pons Anienis* seu Aueniones, qui Rhodanum iungit, *Romanos* inter atque *Gallos* limes statuitur. *Cassij* verò & *Manlij* ob affectatum ab ipsis regnum, *Capitolii* de Petra *deiecti*, varios Episcopos, atque Sacerdotes in Schismate notabant, ob affectatum Ecclesię Primatum aut Romanam Cathedram, à Pontifice Romano

excom-

excommunicandos, & de Apostolicę Ecclesię Petra atque arce deturbandos, aut gradu mouendos. Iam *tercentum Fabijs* vna die cæsis, varios Christianos martyrio affectos, via Ostiensi, vbi Paulus plexus, supra docuimus. Similiter *Legionum duces* ab Appio securi percussi, cum multitudine reliqua decimata ad necem, Thebæorum legio, cuius Mauritius & socij ductores. Quid *Capitolium* ab Herdonio *occupatum*, vbi miserè perijt, nisi Roma à Borbonij exercitu non impune capta, vbi ipse oppressus? Quid *Quintus Cæso*, omnium suffragijs *Consul* nuntiatus, nisi Carolus Quintus Romanorum Cæsar coronatus, qui sponte tandem, vt Quintus Cæso, imperium deponit, Madritum siue rus sese recipiens? quid *Spurius Melius plebem* largitione & donis corrumpens, à Quinctio compressus, à Seruilio cœsus, nisi spuria ouis (Μῆλον) Lutheranus, qui eleemosynarum ficta largitate, multos è Christiana multitudine corrupit, cui Carolus Quinctus sese opposuit, quem seruus seruorum Dei Pontifex Romanus, in Luthero duce, gladio spiritalis censuræ percussit? *Legatio* verò legum ferendarum causa *in Græciam* decreta, vnde ad Romanos *decem Tabularum Leges* allatæ sint, Apostolorum Petri atque Pauli legatione pro Christo fungentium, primam in Græciam profectionem signabat, vnde Decalogum, & Euangelicas Leges postmodum Roma erat acceptura, ideo *ære incisas*, quod æreæ Moysis cum tabulis statuæ, in frequentibus Templis Christianis erant collocandæ. Nam & *Decemuiros legum ferendarum*, eiusdem Mosis imagines Decalogum portantes esse arbitramur. Verum *miles de publico* stipendia accipiens, Ecclesiæ Clerus est, qui beneficijs publicè institutis viuere, atque ali cœpit. Sicut & *Decima* plebe tumultuante *Apollini soluta*, vulgi contumaciam in decima Christo in Sacerdotibus neganda, sub Luthero futuram monstrabat, quo tempore *Matronæ Romanæ*, Ecclesiæ Latinæ, decimam illam vltro persoluentes, *pilenti* seu rhedarum *iure*, in Episcopis & Abbatibus suis per decimam ditatis, *fuere honoratæ*. *Magister* porrò *puerorum*, quod Romanis eos tradere studeret, Camilli iussu ab ijsdem pueris discipulis cæsus, S. Cassiani Ludimagistri supplicium prædixit, puerorum stylis, quos instituebat, excarnificandi. Per *irruptionem* denique *Gallorum* in Italiam & Romam, omnia, Capitolio excepto, vastantium flammis, aut deformantium, aduentum Barbarorum signabat, sub quibus Roma incensa est, nulla re ferè, præter Petri Basilicam, et quædam Diuorum Templa, intacta manente. *Papyrius* autem Scipione suo eburneo caput Galli impetens, Petrum *Attilæ* Hunnorum Regi apparentem, atque minitantem in Somnis prędicit, ni Pontifici Romano, Leoni Secundo, promptè morem gerat. Quod autem tunc *clangore anserum conseruatum Capitolium* tradant, ad Ioannis Hussii (qui anserem vocabulo refert) & sectariorum Hussitarum dogma, seu clamorem inconditum pertinet, quo Vigiles Doctores & Pastores Ecclesię Romanę, tanquam de somno quodam excitati, acriori deinceps vigilantia excubarunt, & pro Capitolio, seu Ecclesia Romana, scriptis depugnando, illam conseruarunt. Nam non parum hæresis Pastorum Ecclesiæ sedulitatem ac studia exacuit. *Roma* porrò *incensa*, de *migratione* ciuium ad Veientes *deliberatio* suscepta, re neutiquam perfecta, Apostolicam Cathedram etiam post incensam Vrbem, Romæ permansuram docebat, nec Bizantium, licet alteram Romam, esse migraturam, religione loci, & Apostolicæ Sedis haud sinente, at ædificationem nouam suadente, vbi summæ Cathedræ fuerant diuinitus iacta fundamenta. Horum deinceps, quæ post captam & incensam

Vr-

Vrbem euenere, explanatio sequitur. *Dictator*, ob quædam auertenda mala, *clauum figere* solitus, Constantinum Cæsarem signabat, penes quem *edicta* condendi facultas (vnde *Dictatoris* nomen) quod *clauum* Crucis Christi, tanquam plurimùm sibi salutarem, equi sui fræno erat infixurus. Iam *Metius Curtius* in apertam Romæ voraginem saliens, matronis Romanis per annum abusus (quam rem quoque Liuius *fabulam* appellauit) Dec.1.l.7. quo recepto clausa illa fuerit, Maxentius Cæsar, idem *Mezentius*, ac *Metius*, id est, Romanus, siue dilatatus (quod etiam *Curtii* à *Cora* et *Ta* vocabulum designat) quo Tyberi, tanquam lacu, hausto, & vnà cum equo recepto, infernalis specus & vorago non ita multò post Romæ occlusa est, vt cap. 32. infra explicatur, vbi de Draconis antro in Romano foro à S. Syluestro compressi, & obstructi agemus. Ita & *Torquatus* atque *Torquata gens*, Hispanos Reges seu Burgundiæ Duces, & eorum equites aurei Velleris torque insignendos olim præmōstrabat. Item *æs multiplex* à populo contractum, peccata plebis Christianæ, ob *quod dissoluendum*, illa *nexum iniret*, hoc est, Solymæo bello sese manciparet, ob Indulgentias puta consequendas. Iam verò *Ludi sæculares* Iubilæis nostris præludebant, vti *Decii* fabula *cum filio* sese *deuouentis*; Decij Imperatoris temerariæ neci, qui Gotico bello, incitato in hostes equo, cum filio in palude erat submergendus, & inferis sacrandus. *Latino* bello ad vltimum *finito*, *statuæ victoribus* cum triumpho *donatæ*, variorum Martyrum imagines & statuas, & triumphos corporum eorumdem, in varia loca solemniter portandorum canebant. Atque ita hactenus ad imperium Magni Alexandri, & Græcorum Monarchiam, Romana historia, aut veriùs fabula, summariè peruenit, quæ in annum propè ab falsò condita Vrbe quadringentesimum incidunt. *Romani* deinceps à *Samnitibus sub iugum*, seu humile tigillum duobus lignis sustentatum *missi*, ad *furcas Caudinas*, in quibus Consules paludamento & veste nudati, idem dedecus subeunt; Romanos tandem Imperatores cum omni plebe Romulea ignominiam, ac humile iugum Crucis Christi amplexuros monstrabant, & in baptismo omni sæculari ornatu, imo vestimento esse exuendos. At *Samnites* vicissim *idem* à Romanis *passi*, Latinæ Ecclesiæ martyres in crucem agendos, atque spoliandos. Per *Samnites* enim Christianos præsignatos liquet, quod *Religioso Sacramenti ritu initiari* à Liuio dicantur. Sicut *Vmbri*, qui sua multitudine oppugnaturi Vrbem formidātur, fidelium turbas in *vmbra* sub Vrbe quondam moraturas vaticinabantur, & *Latronum specus in Vmbria repertus*, cryptas Latentium ibi Christianorum, nostro prope sæculo olim detegendas. *Legio* modò *linteata Samnitum*, & *lintei libri*, Quidnam nisi linteatum Clerum, & codices eius diuinis laudibus decantandis aptos, nobis præcinebant? sic etiam *Dictator quæstionibus exercendis dictus*, ob proditores Romæ coercendos, cuius magistratus ingens terror esset, sacra Inquisitio, cuius iudicio *Calauii* subiacent, puta, Caluinistæ, *capita coniurationis Ouius*, Ioannes Hous, & *Nouius* Caluinus, qui Nouator, & Nouiodunensis. In *duas* item *factiones vrbs scissa*, Guelphorum, & Gibellinorum discordiæ futuræ vaticinium fuit. *Plebs* autem in *Ianiculum* ob debita *secedens*, peregrinationes Orthodoxorum ad Apostolica limina, & Iani siue Ianitoris cœli Ianiculum collem, atque Vaticanam Ædem, ob peccatorum pœnas redimendas, apte repræsentat. Sicut ad extremum *Pyrrhus* auxilium Italis & *suppetias ferens ad-*

uer-

uersus Romanos, Spiritum sanctum igne sui amoris plenum et fluentem, qui Latinam Ecclesiam aduersus Romanos persequentes iuuit, quem cum Pyrrhò Rege Epirotarum malè confudere, quia Πῦρ vocabulum *Epiro* cognatum, ignem significat.

2 Sequitur *Bellum Punicum* primum, & secundum, quod etiam vtrumq. (si arbitrium nostrum requiratur) ad fabulas pariter relegandum censemus, verùm doctas fabulas, quarum cortice similiter inclusa lateant Romanorum aduersus primos Christianos frequentia bella, ac persecutiones, quæ quia trecentos annos tenuere, hinc tria Punica bella confinxerunt. quis enim non videt, *Pænos* vnde *Punica bella*, non Carthaginenses Africanos populos, sed *Phænices* potiùs siue *Syros* esse, quòd à *Phænicia* & Antiochia primi Christiani olim descensuri? Horum duces *Annibal* Petrus *Latus*, seu Latij Dominus, ab *Ana*, & Baal, quod sicuti *Latum*, ita *Dominum* sonat, & *Asdrubal* Paulus, *cælestis Dominus*, ab *astris*, eodemque *Baal*, quia hic ad astra seu tertium cælum olim rapiendus. Hi igitur duces vtroque Punico bello statuuntur, atque *duces classis*, seu naualis belli, quo ad nauim Petri Ecclesiam alludunt, et varias Ecclesias, quibus ille piscator marinus, vt Nauarchus præfuit, aut Architalassus. Et quia Ecclesias et Templa Christiana certis cerimonijs initiari oportebat, atque consecrari, de *religione Punicarum nauium* hinc fabula exorta, quam Liuius refert; sicut et prouerbium de *Punica fide* Romanis *suspecta*; eò quòd Christianam fidem a Christianis Phœnicibus allatam, tanquam fasi suspectã erant habituri. Rursus quod in Annibale bellum in visceribus Italiæ gerente Liuius demiratur, in Petro stupendum: *Ac nescio an mirabilior fuerit aduersis, quàm secundis rebus, quippe cũ enim & in hostium terra per annos tredecim* (quinque et viginti scriptum oportuit) *tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret* (Christo assiduè militans) *exercitu non suo, ciuili, sed misto ex colluuione omnium gentium, quibus alia vestis, alia arma* (spiritualia, nõ temporalia) *alij ritus, alia sacra, alii prope Dii essent, ita quondam vno vinculo* (fidei) *copulauit eos, vt nulla inter ipsos, nec aduersus ducem* (Pontificem Petrum) *seditio extiterit, cum eis pecunia sæpe deesset*, ob Apostolicam puta paupertatem, vel ob rapinas bonorum, quas pro Christo ferebãt. Nemo sanè his verbis Christianos Ecclesiæ nascentis sub Petri vexillo, Christo militantes, natiuè expressos, infitias ibit. Ac ne quis Annibalem a Petro, Asdrubalem à Paulo alios existimet, imo suspicetur, *Claudio Consule* primum Punicum bellum inchoatum fuerunt, quia Claudius Cæsar, quo imperante Petrus Romam venit, Iudæos omnes, in quibus ille Christianorum ductor, atque coryphæus, Vrbe eiecerat. *Claudius Nero* item Annibalem atque Asdrubalem eo Punico bello persequitur, quòd Claudius Nero Petrum, atque Paulum quondam supplicio erat affecturus. At quo supplicio? eodem prorsus, quo geminos illos Pœnorum ductores obijsse fingunt. Nam *Asdrubal* (Paulus) *obtruncatus perit, capite in castra, atque stationes* Annibalis *fratris* deinde *proiecto* (in Basilicam puta Laterani, vbi castra Petri atque Christianorum stationes sacræ) et *Annibal* (Petrus) *à suis* Romanis, iuxta Polybium, *in Crucem suffixus*. *Caluus Asdrubal*, caluus item Paulus *in Italiam* Asdrubal et *Hispanias profectus*, eodemque Paulus. *Viri* Annibal *ambiguæ fidei*, nusquam deinceps apparentis, *bona vendita possidet*, *necnon coniugem eius*, *quæstione priùs habita*, *quantùm*

Dec. 3. l. 2. (margin, beside "prouerbium de Punica fide")
Dec. 3. l. 7. (margin, beside "in Petro stupendum")
Luc. in Philop. (margin, beside "caluus item Paulus")
Liu. Dec 3. l. 5. (margin, beside "vendita possidet")

auri argentique domi relictum sit, omnibus satis cognitis, *necat*: Ananiæ, & Sapphyræ coniugi, qui mala fide cum Petro agebant, idem vsu uenit. *Consilium* Annibal *de Roma oppugnanda* capit, Petrus de eadem cum toto Imperio sibi, vel veriùs, Christo vendicanda. Annibali *Spectrum in quiete apparet iuuenis diuinâ specie*, qui ab Ioue missus eum *Romam mittit & se sequi iubet*, ac deinde *serpens* ingenti pauore *ab eo conspectus*: Petro item Angelicus Iuuenis ab Ieoua missus sese offert, quem secutus ille, liberatus carcere, Romàm profectus est. Serpens verò visus, & omne inmundi animalis genus, in syndone de cælo demissa, conuersionem illi Romanorum, siue Gentilium mysterio suadet. *Annibal* cum exercitu Latium ingressurus, fabuloso *aceto*, atque *igni Alpes transgreditur*: Veriùs sanè Petrus, & Ecclesia Petri persecutionum aceto insuaui, ac flammis suorum, Italiam ac Romanam Vrbem atque Imperium tandem superauit. Annibal *Romanos* prælijs creberrimis *vincit* ac *vincitur*: Petrus eorumdem superstitionem oppugnans, innumerorum Christianorum morte, quasi victus vincit, ac superior euadit. Annibal in *Cannensi pugna modios annulorum*, ob cęsos a se Patricios, *reportat*: Petrus quoque ad Cannas, id est, in Latio, à Græco χαννος dictione deducta, multorum Præsulum, atque Pontificum pro Christo cæsorum quasi annulis ditatur, atque gloriatur. Annibal cum *Claudio Nerone* in *certamen* venit, cum eodem Petrus. Annibal *pœnam crucis vitat*: vitat quoque Petrus è Romano carcere extra Vrbem progressus, vbi cum cruce Christum sibi obuium reperit. Annibali *in Latio* summa perfidia *quidam Magius resistit*: Petro Simon Magus. *Mago* Annibalis frater *fixo femore cadit*, ac deinde elatus, *ex vulnere moritur*: Hic est idem Simon Magus, Petri Annibalis initio frater, quia Christianus, & eodem nomine Simon appellatus. *Annibalem* distillationibus cerebri *lucem oculorum amisisse* scribũt, quia crebris lachrymis, ob Christum negatum, carnales oculos prope Petrus perdidit. *Aram* Annibal *in Latio dedicat*: varia item altaria Petrus. Annibal intrepidè *in visceribus Italiæ hæret*, & ad *portas Vrbis* exercitum adducit: Petri item Ecclesia in Latio hæret, & Petri Ianiculum, atque Basilica Montis Vaticani, non longè à portis Triumphali, & Septimiana. *Capuam* Annibal *occupat*: Petro Ager Romanus (Campagna di Roma) in successoribus, tamquam verum Cephæ patrimonium, cedit. Annibalem *deliciæ Campanæ, rerum vbertas et copia eneruant*: Ecclesiæ D. Petri feruorem atque charitatem, vti Patrum plurimi sæpe conquesti sunt, diuitiæ atque pingues reditus, cum alta pace, ac temporali prosperitate, in multis sæpius imminuunt. Annibale *in Latio* pugnante, *patria* eiusdem *Carthago deletur*: Petro similiter pro Christo in Italia bellante, Antiochena Cathedra euertitur, ac perit, cui *Carthaginis* hoc est, ciuitatis Arcæ, à *Cariat.* & *Arca* nomen indidere, adde quod crescente Petri Ecclesia Romæ, atque militante, patria eius metropolis Solyma sit euersa funditus. Romani *in castra Pœnorum ignes iniiciunt*, vnde multi flammis hausti periere: idem sub Nerone factum memoratur, Vrbem incendente, & in Christianos crimen conferente, multosque propterea viuos comburente. *Cum* Pœnis Romani tandem *fœdus ineunt*: sic cum Phænicibus, siue Christianis Antiochensibus, Constantino Magno imperante. Itaque *Appius* ille *cæcus* verè cæcus fuit, neque *multum animo vidit*, vt Ouidius venditat, qui *pacem* cum *Annibale* Petro in Senatu *dissuasit*: is enim

Dec. 3. l. 1.

L. 7.

L. 3.

L. 10.

Senator Romanus gentilium errore adhuc occæcatus. Cætera item, quæ Punico bello facta enarrantur, ad eamdem Christi Ecclesiam, clarissimè pertinent. Ferunt enim ijs Punicis bellis, *religiones externas Romam incessisse*, atque conturbasse, ob quas prohibendas, & exterminandas varia Senatus consulta, de quibus Liuius nobis audiendus: *Quò diutiùs trahe-*
L. 5. *batur bellum* (persecutionum cum Annibale Petro, atque Christianis) *etiam variabant secundæ aduersæque res, non fortunam magis, quam animos hominum. Tanta religio, et ea magna ex parte externa ciuitatem incessit, vt aut homines, aut Dii repente alii viderentur facti* (per conuersionem ad fidem Christi, atque iustitiam) *Nec iam in secreto modò, atque intra parietes, ac postes contemnebantur Romani* Idolorum *ritus, sed in publico etiam ac foro, Capitoliòque mulierum* (ad statuam Iouis profitentium sese Christianas) *turba erat, nec sacrificantium, nec precantium Deos patrio more. Sacrificuli ac vates* (Petrus atque Paulus cum alijs suis discipulis, ac successoribus) *ceperant hominum mentes, quorum numerum auxit rustica plebs, et quæstus ex alieno errore facilis, quem velut ex concessæ artis vsu exercebant.* In sordidum quæstum malè scriptor refert Euangelij progressus, qui Apostolico zelo erant tribuendi. Sed persecutiones propterea commotas, vel potiùs olim commouendas, per verba præteriti temporis idem sic enarrat: *Primò secretæ bonorum* (idololatrarum) *indignationes exaudiebantur, deinde ad Patres etiam, et publicam querimoniam excessit res. Incusati grauiter ab Senatu Aediles, Tribunique capitales, quod non prohiberent. cùm amouere eam multitudinem e foro, ac disiicere apparatus sacrorum* (Christianorum) *conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur* seditione commota, à qua Christiani longissimè semper absuerunt. Res igitur intra vanum metum Tyrannorum stetit. *Vbi potentius iam esse id malum apparuit, quam vt minores per Magistratus sedaretur. M. Aemilio* (Romano Cæsari impostori) *Prætori* seu Præposito *Vrbis, negotium ab Senatu datum est, vt et his religionibus populum liberaret. Is et in concione Senatus consultum recitauit, et edixit, vt quicumque libros vaticinos* (Sybillinos, ex quibus primi Christiani fidem Christi docebant, atq. confirmabant) *precationesue, aut artem sacrificandi* (Missalibus) *conscriptam haberet, eos libros omnes, literasque ad se ante Cal. Aprilis deferret, neu quis in publico sacroue loco, nouo* (Christiano) *aut externo ritu* (Antiochia Romam à Petro allato) *sacrificaret. Et aliquot publici Sacerdo-*
L. 2. *tes mortui eo anno sunt* in persecutione à Tyrannis cæsi, *Cornelius Pontifex Maximus, et C. Papyrius*, quibus sanè verbis ad Martyres Cornelium, Caium, & Lucium Papas clarissimè alludit. Punico item bello *militare*
Bar. ad Annum 44. *signum*, omni vi signifero conante, *nequit humo conuelli*, quod sub Claudio euenit, aduentante in Latium Petro, & Scriboniano Dalmatiæ Præfecto aduersus Cæsarem rebellionem parante. Punico bello *serui in Vrbis* rursus *exitium coniurant*, quia Serui Seruorum Dei Pontifices Summi in excidiũ idolorum Vrbis, siue Vrbis idololatræ semper conspirarunt. *Attilii Reguli* modò *supplicium* apum melle obliti, & harum aculeis ad solem confecti, similem cruciatum Christiani hominis in Ægypto passuri pro Christo, tunc præsagiebat, adeo fabulosa historia cum vera consentiens! vti *Scæuolæ* supra, cum facto duorum adolescentum, qui coram Tyranno manum foco impiæ aræ admouentes, tunc existima, inquiebant, nos sacrificasse, si manum

-num hinc amouerimus. Quod autem Punico bello ad exitum deducto, dirum aliud à *mercenariis militibus* exarsisse fingant, ad mercenarios Ecclesiæ Pastores referre haud dubites, qui Christo quidem militaturi, sed mercedis magis, quam illius gratia. Hi enim post persecutiones, Ecclesiam opibus & pace florentem infestare cœperunt, grauissima illius spirituali clade, seipsos magis, quam gregem pascentes. Iam *Florales ludi* instituti Romæ, Nazarenæ, seu Floridæ Virginis festa celebranda in Ecclesia docebant. Sed & Romanorum per eadem tempora *primum* cum exteris gentibus *per Legatos commercium* monstrabat multos à Romana Curia Nuntios, & Legatos in Orbem Christianum mittendos, vti adhuc hodie factitari cernimus. Romanorum verò *nefarium sacrum*, quò Gallum, & Gallam eum Græca *viuos defodiunt*, eodem supplicij genere, vt Martyrologia amplam fidem faciunt, Martyres in Ecclesia Latina, & Græca necandos, & quasi victimas Ioui immolandos pandebat. Gallo enim Latinum propriè significari supra docuimus. *Fabius* porrò *Maximus Dictator Romanus* an non Constantinus Magnus, qui cunctando aliquantisper post victoriam de Maxentio adeptam ad baptismum ire, tandem post eundem pijssimè susceptũ, Christianam *restituit rem*, antea à Philippo Cæsare inchoatam? *non posuit enim rumores* de Christo adorãdo, & Gentilium cultu abolendo, *ante salutem* animæ, & leprosi corporis lauacro illo salutari adeptam. Hic vero *pugnam* & *congressum* cum *Annibale* Petro assiduè fugiens, Maxentium *vicit*, & *rem restituit*, vti modò dictum. quis verò *Marcellus* opimis Gallorum spolijs clarus, & insignis? o Ductor Martelle, qui Saracenorum innumeras copias ad Turones in Gallia fudisti, & Romanæ Vrbi atque Ecclesiæ sæpe succurristi, ex Martello *Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis*, ob Gallorum lilia, quæ tunc triumpharunt. Sed & *Flaminius Circus* exercitij causa à *Flaminio extructus*, quatuor anni tempora per annuum circulum recurrere solita, à Flaminibus, seu sacerdotibus summis instituta notat, quibus & flamines Sacerdotes creantur, atque ieiunijs quasi in circo quodam sese Christiani exercent. ob quem quidem ritum in Sibylla agnitum, Flaminium Circum erectum putamus, sicque agnominatum. *Saguntini* porrò Romanorum socij, *se suaquè flammis potiùs, quàm Annibali* illos obsidenti obstinatè *dedentes*, Hæreticos, atq. infideles Hispaniæ ob oculos ponunt, Romanorum Gentilium socios, & affines, qui per Inquisitionis sacratæ tribunal, *picto sago* amicti, vnde *Saguntini* dicti, ad flammas atque rogum potiùs se deduci finerent, suaque proscribi, quam Annibali Petro, aut eius Ecclesiæ Romanæ piè manus darent. Quis iam *Mericius Hispanorum ductor*, nisi Americus, qui plantandæ fidei sua nauigatione primus in America ianuam aperuit? Quid *Magella capta*, nisi Magellanæ terræ, & Insulæ ad Christum adiunctæ? quid *Sosis*, nisi ille Sosa suo naufragio olim memorandus? *De Adriæ ara in cælo conspecta* supra explanatum. At geminum illud Punicum bellum illustris de *Cybele* fabula seu *Idea matre in Latium aduecta*, & Romæ in Æde victoriæ locata concludit, quæ Ecclesiam Christi sub Petri Annibalis tempora, Romam adducendam bellè adumbrabat, ob quam *Megalesia* (quia *magna mater*) festa atq. ludos ibi celebrarunt. Nam dictio *Cybele* aut *Cybelle* Ecclesiam, seu cœtum mysticum doctè significat ab hebræo *Cabal*, vnde *Caballistæ* arcanæ cuiusdam societatis homines solent appellari. Eamdem quoque *Berecynthiam* vocant, quia Christi *Cynthij*, seu *Iacynthii* Ecclesia proles, *bar* enim filium significat hebræis. *Ideam*

Aeneid. 6

Dec. 3. l. 6.

rursum, ac *Phrygiam* hanc cognominarunt, quia ex Iudea, & *frugum* ferace Palestina Syriæ, Ecclesia descendit, vnde à *frugibus phrygiæ* nomen traxit. Inde autem *aduecta Romam*, verùm *per Legatos*, hoc est, Apostolos Petrum, atque Paulum. Item *Mater Deorum*, seu Diuum, qui cælos incolunt, & quia *triumphans* Ecclesia appellanda erat, currum triumphalem illi quoque dedere. Vnde Virgilius.

Aen.6. *qualis Berecynthia mater*
Inuehitur curru, Phrygias turrita per Vrbes,
Læta Deum partu, centum complexa nepotes,
Omnes Cœlicolas, omnes supera alta tenentes.

Item

Aen.3. *Hic mater cultrix Cybele, corybantiaque æra,*
Idæumque nemus, hic fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominæ subiere Leones.

Nam iuncti Leones currum eius trahunt, quia Cæsares, & feroces Romani, vt Leones, sua sæuitia illam promouerunt, victricemque atque triumphantem ab eadem victi tandem effecerunt. Itaque in *in Aede victoriæ* Cybeles *simulachrum* collocatum ferunt. Quod mysterium Ouidius etiam fastor. 6. pæne acu tetigit:

cur huic genus acre Leonum
Præbent insolitas ad iuga curua iubas?
Desieram, cœpit: feritas mollita per illam
Creditur, id curru testificata suo est.

feritas puta Romanorum hanc persequentium. Verùm cur *turrita Dea* seu *turrigera* pingitur, nisi ob innumeras templorum turres tota Ecclesia passim excitandas; in quibus *æra campana* sonarent. & *cymbala*, & *tibiæ modos phrygios*, seu musicos *dantes*, quæ ad sacra Cybeles olim adhibebant. Nam quod *clauem manu gestat*, notius est, quam vt quæri debeat, ad Claues Regni Cælorum in Petro illi conferendas, picturam alludere. Sed *aduentum* fabulosum *Deæ* Romam expendamus, deinde quæ ludis eiusdem olim actitata. Nam quod fabula tradit, Romanos *diuinitus monitos*, Matrem Diuum Cybelen *in Idæ montibus* quondam quæsiisse, rem de Ecclesia Christiana conficit, quæ a Solyma, & Syria, siue Iudæ montibus Romam adducenda, Sybyllino carmine translationem illam præmonente, atque suadente. *Rex Asiæ Attalus hanc* primùm *impediens*, deinde vltro *sinens*, Italus Imperator, Asiæ tunc temporis subiugatæ princeps, qui vsque ferè ad Constantinum, Ecclesiæ cursum atque sedem Romæ impediuit, & exagitauit. *Nauis*, hanc Cybelen *vehens* Ecclesiæ siue Petri nauis, quæ in Latium, & Romam appellit. *multitudo* Romanorum ei obuiam *procedens*, conuersio gentilium ad Ecclesiam Cybelen, ex omni ordine, sexu, & ætate. *Castarum* verò *matronarum, vel Virginum vna Claudia Quinctia* nomine, *Sacerdos Vestalis*, quæ ob elegantem cultum, seu corporis ornatum *minimè casta* falsò credebatur, hâc *Nauim hærentem in Tyberis vado*, conamine minimo, at maximo prodigio *trahens*, Romana esse Ecclesia apparet, matronarum sponsarum, atque simul Virginum Christi Ecclesiarum, ac Sacerdotij domina, atque princeps, quæ quia externo cultu, potentia, & opibus super omnes Christi Ecclesias prodit, adulterina, ac minimè casta à peruersis hæreticis audit, verùm *miracula*, quibus Pontifices eius, ac subditi

diti omnium in conspectu clarent, falsi famam redarguunt, & castam, & Apostolicam ob religionem, tametsi opibus atque potentia à primis suis Apostolis differat, Ecclesiam Romanam esse contestantur. Illa igitur *Claudia*, quia ab *alto Clauso* seu cælum claudente Ianitore Petro *genus suum trahit*, & *Quintia* dicta; quia plures *quintos* in legitimis suis Pontificibus olim numeraret, *cunctantem*, & in persecutionum vado, atque paupertatis quasi luto *hærentem* Ecclesiam Christi, non solùm *emouit*, sed in *Palatium* puta Pontificium quasi quandam *Aedem victoriæ* intulit. *Vir* verò *optimus*, qui *deligi iubetur*, vt eam Cybelen *hospitio accipiat*, optimos moribus, atque vita sacrandos Pontifices Summos prædicebat (vnde Sanctissimi dicuntur) apud quos Ecclesia Christi dignè moraretur, & qui illi de *Templis*, *Sacerdotibus*, *ritibus dignis prouiderent*. *Canus* porrò *Sacerdos*, qui *purpura indutus*, *Cybelen* cum omnibus sacris, *aquis puris Lauat*, Petrum Primum, & Veterem Romæ Episcopum esse liquet, qui fideles Vrbis baptismali aqua, & lustrali tinxit. Hactenus fabulosus Matris diuorum in Vrbem aduentus. *Ludos* autem eius *assiduo sono*, *cantu*, *ac tinnitu* Romani *colebant*, ob æra campana, vti supra dictum, cymbala, & musicos cantus, quibus templa Cybeles Ecclesiæ Christi olim personarent, in Missis solemnibus præsertim, & sacrificijs, in quibus Fast. 5.

Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus. Ib.

Nam ad *Curatorum* atque *Corybantum*, virgineorum puta Sacerdotum clamantium in Templis atque canentium, à βοᾶν & κόρυ nomen habentium, curam illa pertinent, cuius ritus causa fabulosa Sacrificium Missæ bellè indicatur. Ob *Iouem* enim *secretò nascentem* atque *vagientem*, ne exaudiatur, *tinnitus illos æramentorum atque cymbalorum & scutorum pulsus institutos* à Cybele tradunt, nonne quod in sacris, & sacrificijs Ecclesiæ, Ieoua Christus arcano modo quasi nasceretur? & ante hunc natum valida æra campana, & iam eo nato cymbala audirentur, & pectora sacerdotum, atq. adstantium quasi *scuta* quædam religioso pulsu *tunderentur*? denique (vti docta fabula refert accidisse) cæleste guttur eumdem Ieouam quasi *veste* quadam specierum *Latentem*, vt *saxum* & petram Christum *deglutiret*? *fida* quoque *silentia* in sacris Cybeles supra à Virgilio descripta, secreta Missæ me tacente clamant, vti *Sacerdotes* eius *semimares* & *castrati*, cælibatum nostrorum siue Latinorum Sacerdotum Christiana prope phrasi explicant, quos etiam propterea *Gallos* quasi Gallinaceos *exectis testibus* docta fabula nuncupat. *Amnis* porrò *Gallus*, seu Latinus ei *Cybelæ sacer*, *ex quo quisquis bibit*, *furit*, fons aquæ lustralis, siue baptismalis, quem Ecclesia seruat, quoque omnis aspersus, feruorem diuini amoris (quem fabula furorem vocat) concipere solet. Quid, quod etiam in ijsdem ludis, eodem Ouidio teste, *ad opes parandas stips corrogabatur*? an non vaticinium illustre, quod mendicitas Petri Cybelen Ecclesiam in Latium primùm adducentis, immensas opes, atque diuitias, successoribus suis olim compararet? nam *herbosum Moretum* cum lacte & caseo, eiusdem mensis *apponi consuetum*, *cognoscat priscos*, *vt Dea prisca cibos* (etenim Ib. Ib.

Lacte mero veteres vsi narrantur, & herbis,
Sponte sua si quas terra ferebat.)

hoc, inquam, *Moretum* abstinentiã Ecclesiæ primæ & nascentis aptè ostendebat, quæ herbis magis & lacticinijs, quàm carnibus vesci consuesceret. ob has

has ergo fabulas, Fabulosam Historiam Romanam, quæ geminum bellum Punicum enarrat, etiam pronuntio, in quo *Paullum magnæ animæ prodigum superante Pœno* ab Horatio laudatum, D. Paulum agnoscere licet. Nam tertium Punicum, quod Carthaginense magis propriè voces, ad Africam à Romanis domitam, & subactam pertinet, quod reapse gestum.

3 Nihil igitur, inquies, præter fabulosa, Romana vetus ante Christum natum historia proferet? quis hoc nisi demens aut impius affirmet? cum sacri & diuini codices, suo illi consensu luculentum veri inplerisq. testimonium præbeant? Vbi ergo desinente fabula veram historiam incipere credimus? Macedonico, vt opinor, bello quo Philippus, & Perses à Romanis deuicti. Præterquam enim, quod quidam Scriptores horum temporum æquales esse potuerint, Canonici Libri, vti modò dictum, authoritatem illi conciliant. Quanquam sequentia bella nonnullis etiam fabellis aspergi, satis præter cętera monstrent *miracula lapideæ pluuiæ* in agro Piceno, nec non *cælestium ignium* isthic exortorum, de quibus supra actum à nobis. Verum nescio quem mihi obmurmurantem de supra explanatis exaudire videor. quid ergo? tam multa, & singularia, & interdum leuia, ac minuta, de Ecclesia Christi prædicta censemus? enimuero censemus, vt censere oportet, quicumque Dauidici illius oraculi meminit: *gloriosa dicta sunt de te* Ecclesia Romana, seu *ciuitas Dei*! cui deinceps subiungit: ***Dominus narrabit in Scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea.*** non enim prædicit solūmodo ***narraturum*** Dominum de Ecclesia sua siue ciuitate ***in Scripturis***, hoc est, *per Scripturas principum* Patriarcharum, principum Prophetarum, principum Apostolorum, & Euangelistarum, siue horum, *qui fuerunt in ea* ciuitate Dei, quique omnes ad eius Ecclesiam spectant, verùm insuper *in Scripturis populorum*, puta Gentilium, qui quidem non in ea fuerunt, vt superiores. Per has quoque *Scripturas* gentilium canit narraturum Dominum. At quid narraturum? nisi quæ in ea essent euentura? vti similiter de Republica Romana, ac Imperio Romano per Sibyllas suas, tam multa narrauit, tam multa prædixit, in quibus leuiora quædam, ac singularia prædicta oportuit; quando omni casu, ac omni euentu Sibyllam adirent. Vnde Marcus Varro: *Ad Sibyllæ libros tot annis post* (mortem eius) *publicè solemus redire, cum desideramus, quid faciendum nobis sit ex aliquo portēto.* Seruius quoq. in 4. Virgilij Eclogam, *Sibylla*, inquit, *quæ Cumana fuit, sæcla per metalla diuisit, dixit etiam quis quo sæculo imperaret.* ergo Spiritus Sanctus, qui Sibyllas afflauit, in curam Reipublicæ prophanæ, quàm S.E.R. indulgentior adeò atque propensior, vt propter illam, etiam de minimis rebus in ea euenturis, de omnibus principibus eius, oracula sua pœne profunderet, huius autem causa silentium seruaret? Iterum ergo, ac sæpius dico, neminem esse debere, quantumuis Romanæ Ecclesiæ iniquum, quem oraculorum illa multitudo, aut rerum quarundam ijs prædictarum exilitas apparens, vel minimùm offendat, quandoquidem obseruare liceat longè his minora ab eadem Sibylla prædicta, ac prænuntiata. Sibyllæ oraculi idoneum testem Tullium audiamus, Vrbis Romæ Consulem atque Consularem, quando Sibyllini codices in Capitolio adhuc seruabantur: *Delata ad Senatum labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maximis terræ motibus, conquassata esset. Iuque his omnibus responsa Haruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant.* Vides

Pri-

1 Mach. c. 8

Psal. 86.

De re rust. l. 1. c. 1.

De Diu. l. 1

Priuernates agros subsidentes, Apuliæ terræmotus vides, quibus nihil frequentius hodie in Sibyllæ versibus, quàm hæc exilia? Sed minutiora etiã, quæ sequuntur: *Quid cum Cumis Apollo sudauit, Capuæ Victoria? quid cum in Capitolio ictus Centaurus ex cælo est, in Auentino portæ, & homines, Tusculi ædes Castoris, & Pollucis, Romæque pietatis, nonne in Sibyllæ libris eædem repertæ prædictiones sunt?* Sudores statuarum Capuæ, atque Cumis, tactum fulmine Centaurum in Capitolio, & alibi homines, atque templa, quibus nihil vilius, atque vulgarius, dignum Sibyllini carminis argumentum audiunt, & Romanæ Ecclesiæ casibus enarrandis eamdem Sibyllam mutam, ac elinguem fuisse contendent? Mitto hic plurimarum excidia Vrbium expresse atque nominatim ab ea prædicta, cuius generis sunt illa. Ib. Carm. l.3.

ruent hinc oppida multa
Plena viris, atque hæc Asiæ labentur: Iassis,
Cebre, Pandonie, Colophon, Ephesus, Nicæa.
Antiochia, &c.

Et ibidem

Fiet arena Samus, Delos deleta latebit.

quibus omnibus barbarorum exercituum irruptiones, & imperiorum euersiones Plutarchus adiunxit: *Sibyllæ vaticinijs testimonium ferunt multarum Græcorum vrbium excidia, acque migrationes, multorum barbarorum exercituum irruptiones, imperiorum euersiones*, quibus quoque annectit sui temporis monstrum, vomitum montis apud Cumas, vomitum inquã ignis & saxorum: *Hæc verò, quæ recens apud Cumas & Dicæarchiam acciderunt, nonne pridem Sibyllinis decantata carminibus, tempus veluti debens persoluit? eruptionem montani ignis, saxorum & massarum flagrantium venti vi eiectionem?* maiora hæc scilicet, quam Christi Ecclesiæ euenta, quæ prædicta nolunt. agedum, non minoris ponderis alia videamus: *Cumana Sibylla* (vt ait Solinus) *Lesbios amissuros maris imperium multò ante præmonuit, quàm id accideret.* O rem grauissimam, & folio Sibyllino dignam, siue digniorem ijs, quæ de Roma Ecclesiæ Christianæ primaria Sede sunt supra allata! *Sed & Lacedæmoniorum* (vt Pausanias testatur) *& Argiuorum concertationem super oppido Thyreæ Sibylla prædixit*, & nollet obsidia Romæ ab ea descripta? de eadem Suidas: *Huius*, inquit, *libri sunt 24. de gente qualibet atque regione agentes.* Hic qua fronte Zoili Christianam, aut Romanam gentem excipere audebunt Præterea in Sibillæ fragmentis, quæ circumferuntur, Homerum, Alexandrum Magnum, Romæ Imperatores ab Iulio Cæsare ad Ælium vsque Adrianum, duobus ferè sæculis, suo nomine expressos, actionibus, ac moribus notatos adhuc hodie legimus, atque reclamabunt, cum Christi Ecclesiæ rectores, Pontifices summos miraculis, ac rebus gerendis claros, & inclytos, olim ab Sibylla præuisos, rerum omnimoda conuenientia docemus? Innumera sunt eiusmodi alia (siquidem consectari velimus) testimonium Platonis adiunxisse sat erit: *Quod si Sibyllam, aliosque omnes, qui vaticinio vsi sunt, singulatim vellemus recensere, quantas vtilitates sagaci illa rerum futurarum scientia plurimis attulerint, in re omnibus perspicua, operam tempusque insumeremus.* ergo, iuxta Platonem, plurimis gentibus scientia futurarum rerum profecisse Sibyllam, perspicuum omnibus: soli Ecclesiæ, ac genti Christianæ sterilem

In lib. cur Pythia, &c. — Ib. — Polyhist. c.8. — In Phocic — Sibyl. Carm l.3.4.5.8. — In Phædro

lem, parcam, parùm fructuosam putemus? Quod autem ad oraculorum multitudinem spectat, tum ex supradictis, tum ex longiori ætate Sibyllæ, tum ex voluminum copia, quæ illa conscripsit, abundè fit planum. *Sibylla*, vt ait Plutarchus, *Dei beneficio vocem* ad CIↃ. hoc est (mille) *annos continuat*. centum detrahantur, de quo infra videndum. *Multa* (inquit Cicero) *ex Sibyllinis vaticinationibus commemorare possum, quibus ea confirmentur, quæ nemini dubia esse possunt.* atqui de prophanis rebus Gentilium loquitur. *Sibyllarum omnium* (ait Isidorus libro ottauo Originum capit. 8.) *carmina efferuntur, in quibus de Deo, & de Christo, & gentibus multa scripsisse, manifestissimè comprobantur*. Iam autem, quod ad libros attinet, viginti quatuor, vti supra visum, sunt qui attribuant, qui verò paucissimos, nouem, quam multa igitur in ijs tractata nunc agnosci possent, nisi intercidissent. Ex quibus sanè intelligitur, neminem nisi forsan Ecclesiæ Christi maiestatis reum, aut inuidum, Sibyllinis de ea responsis, seu multa, seu particularia, quàm maximè existant, posse inuidere, Zozymo certè quidem olim res permira visa est, quod de Byzantinæ Vrbis incremento, atque dignitate, oraculum nullum inueniret: *Ac mihi quidem* inquit, *sæpe mirari subijt, qui fieret, vt cum Vrbs Byzantina tantopere excreuerit, vt alia nulla huic comparari possit, nullum vaticinium maioribus nostris de ipsius incremento, meliorem ad fortunam euectæ, datum fuerit*. neque id immeritò. quando de tam multis, & ignobilibus Græciæ, aut Asiæ oppidulis Sibyllina oracula extarent. Ergo de spirituali ciuitate Dei, nulli conferenda, cunctis præferenda, Ecclesia Christi, de qua mira dicenda, atque enarranda Dauid contestatur, de hac admiranda S.Spiritus spōsa, qui prophetas etiam gentilium afflauit, vates siluerint, aut certè minùs oraculis fauerint? desinant ergò mirari, de Christi Ecclesia non iam in genere, verùm speciatim ea esse prædicta, quæ profectò magis mirum esset, si vel eo modo prædicta non forent. nihil enim Sibyllina maiestate indignum, ad hæc descendisse, quando ad prophana etiam viliora, atque leuiora plura descenderit, vt ex dictis liquet. Quanquam hoc capite allata, & superiore, licet sua luce, ac splendore veri, & conuenientia rerum oculos quantumuis obstinatos legentium feriant, perinde, vt volent, æstimari sinam. Mihi namque sufficit, vti sæpe monui, quod Romani Scriptores prisci ac recentes, numero ac authoritate minimè contemnendi, vt crebriùs supra demonstratum, etiam vltro donant, historiam Romuli, atque Remi de condita Roma, totam in fabulis esse reponendam.

In lib. cur Pythia, &c.

L. 2. de Nat. Deo.

Var. Pl. etc.

Hist. l. 2.

Psal. 86.



CA-

CAPVT XXVII.

2 Anacephalæosis superioris doctrinæ, quam vel sacræ paginæ innuere videntur.
2 Hac recepta, Scriptores de primordijs Romæ summè discrepantes, summè conueniunt.
3 Reditus ad parentem Orbis Europæi, atque Vrbis *Iaphet*. cur *aureum Sæculum* illo Romæ regnante?
4 Opera ob eodem in Vrbe perfecta: *Palatium, Sacræ Aedes, Porticus, Argiletus*, vbi Argo classis diu conseruata, tandem computruit, *Rostra*, *Via Appia*, &c.

BENE habet: caliginem densam à prima historia Romana hactenus discussimus, atque veritatis luce coruscante, primus Europæ, ac Latij colonus, primus Romæ Author tandem aperitur, veterum *Saturnus* ac *Euander Iaphet*, idem *Hercules* dictus, & quotquot appellatiuis nominibus eum nuncupare, vetustati lubitum, quæ supra à nobis studiosè relata, nequaquam hoc loco repetenda ducimus. Ad hæc cæli Ianitor *Ianus* D. Petrus, qui idem *Aeneas*, hoc est, Christi laudator, & *Vlysses* græca etymologia similiter, Iesum canens, dictus, idem, & *Romulus* à recentioribus vulgò Romæ author habitus, nobilioris ciuitatis, ac Ecclesiæ cætus in ea Vrbe fundatæ parens demonstratus. Itaque id perfectum videtur, quod Ecclesiasticus de Ecclesiæ Doctore siue sapiente futurum prædicit: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens*, quod sanè non diceret, nisi in omnibus antiquis, etiam prophanis Philosophis, ac Poetis, quos eo vocabulo inclusos Interpretes volunt, quædam mysteria exquirenda, ac digna scrutinio inessent. Simili prope phrasi Salamon *animaduersurum sapientem* ait *parabolas*, *verba sapientum*, *& ænigmata eorum*, quæ proprijssimè D. Hieronymus de gentilibus, ac prophanis scriptoribus vult intelligenda, vt in præfatione nostra ostendimus. Sequitur de eodem, puta sapiente, in Ecclesiastico: *in prophetis vacabit*, græcè, *in prophetijs occupabitur*, insinuat igitur in sapientia omnium antiquorum prophetias latere, quas à Sibyllis alijsque hauserint, atque propterea illam indagandam, siue exquirendam, vnde etiam subiungit: *Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit*. Non indiligenter est id quoque præstitum. narrationem enim virorum nominatorum, qui maximè fuerunt, in scriptoribus Latinis, ac Græcis (quinam enim illis magis nominati?) non repudiauimus, sed obseruauimus, quæque in eorum narrationibus versutiæ & mysteria inerant, simul ostendimus, parabolas veriùs horum narrationes, quam expositiones ad literam rati, vt Scriptura innuit. Sed quod ad rem nostram vel maximè facit: *In terram alienigenarum gentium pertransibit*, ad ipsam namque originem Europæ, ac Latij gentilium matricis, stylum promouimus, ac progressi sumus, nam gens Europæa *alienigena* ab Hebræo Scriptore propterea hic agnominatur, quod alio Patre, ac Iudæi, exorta, quod à Patre Semo, illam autem à C.39.

Iaphet Semi fratre prognata sit. at quanam via siue ratione, in hanc alienigenarum gentium regionem, olim pertransiret sapiens, eadem Scriptura demonstrat: *bona enim, et mala in hominibus* cognoscere *tentabit.* quibus hominibus? Philosophis gentilibus opinor, Historicis, ac Poëtis, qui vt solent homines, *bona,* & *mala*, hoc est, vera atque falsa permixtim scripsere; bono prophetarum, siue Sibyllarum intellectu *bona*, at peruerso *mala*. non omnia admittendo, nec repudiando, nam sapientiam omnium antiquorum exquirendam admonet, ac narrationem horum conseruandam, bonaque, ac mala tentanda, vera atque falsa.

2 Igitur hanc regulam secuti, antiquos de origine Romæ inter se pugnantes (pugnant autem maximè) conciliare studemus, ac tantùm in speciem pugnantes ostendimus, ac Vrbis parentes licet ferè triginta ab his asserantur, eos in duobus Petro, atque Iaphet conuenire monstramus. Onuphrius Panuinus de primordio Romæ author percelebris, Dionysium Halicarnassæum, Plutarchum, aliosque autores priscos imitatus, *Multæ variæque sunt*, inquit, *Veterum Historicorum sententiæ, à quibus, et quo tempore Vrbs ipsa condita sit, cum multi ante ipsum Romulum eam ædificatam fuisse scribant*, tum multis Historicorum veterum opinionibus in medium productis, hæc subdit: *quorum opiniones cum nec refellere, quod antiquissimæ sint, nec affirmare audeam*, &c. Sapienter equidem Onuphrius opiniones antiquissimas de Roma ante Romulum fundata, refellere non audet, antiquitatem in his veneratus, sicut & Dionysius, Liuius, Plutarchus, aliique ante ipsum fecere. verùm quantò sapientiùs hi omnes harmoniam inter omnes inter se discordes, & concentum quemdam efficere studerent? sic enim, quod Scriptura admonet, Narrationem virorum nominatorum seruarent. Itaque nos eosdem omnes) nostra superiore doctrina recepta, quæ duos Petrum atque Iaphet Romæ parentes descriptos distinguit, quorum hic temporalis, ille spiritualis, & mysticæ ciuitatis, nempe Ecclesiæ Romæ quoque fundatæ author extiterit) hos, inquam, omnes summè discrepantes, summè conuenire hoc pacto monstramus. Nam qui v.g. *Arcades, Aborigines, Pelasgos, Græcos, Palatinos, Siculos*, aut horum duces *Saturnum*, & *Euandrum* Romanæ Vrbis conditores scripsere, in nostro Iaphet horum populorum rectore, quiq. alias *Saturnus*, & *Euander* dictus, concorditer sentiunt. Qui *filiæ Euandri*, aut *Fatidicæ* cuidam *eiusdem vxori* idem assignarunt, nihil cum aliis prioribus pugnant. Romam enim non solus Euander Iaphet, sed & eius filia progenies struxit, & coniux Sibylla, quam suis consiliis, ac vaticiniis certum est opus inchoasse, atque promouisse, quando Vaticani colles ab ea Vate nomen sortiti sint. Qui verò ad *Aeneam, Ianum*, aut *Vlyssem* primordia referunt, de spirituali ciuitate, Ecclesia Romana sunt intelligendi, à Petro Iano, Vlysse, & Ænea ibidem extructa. Sic qui ad quamdam *Romen mulierem Troianam*, etenim Ecclesia ab Ælia Solyma, seu Troia Romam translata est, ibique constructa, quæ non semel mulier in Scripturis dicta, vt mulier fortis, & amicta sole, & sic de cæteris. Iam *Latinus conditor, vnus è profugis Troiæ*, idem S. Petrus Latinorum Parens, è Solyma profugus, vbi ab Herode vinctus tenebatur. Iam vero *Latinus Telemachi* atque *Circes filius*, is est plebs Romana *Telemachi* Summi Pontificis aduersum hæreticos bellantis spiritualis proles, vti & *Circes* Ecclesiæ Dominæ, siue dominantis, qui Ecclesiam cum suo Ponti-

De Vrbe Romæ lib. sing.

fice

fice format, & componit · Idem *Rome* dictus *Telemachi filia*, vti supra patuit. Idem *Soror Latini* Romani puta, idololatræ. idem *Romulus Ascanii*, hoc est, Petri dilatati *filius*. idem *Romulus Aeneæ* Petri *ex filia* Ecclesia *nepos*. Idem *Romus*, id est, dilatatus. idem *Romus natus ex Electra* Lauretana Virgine, vt supra monstratum. Idem *Rome Itali* Iaphet, & *Leucaniæ* alborum puta Sacerdotum (λευκος enim vnde Leucania album significat) in baptismo *filia*. Idem *Rome Telephi*, seu adaucti Iaphet *progenies*, qui *Patrem* nempe S.Petrum in filijs *occidit*. Idem *Romus Vlyssis* Petri, atque *Circes* Ecclesiæ filius, vti supra patuit. Idem *Romus Iqua*, seu Ieoua in baptismo *prognatus*. Idem *Romus proles Albæ* Patrum Albanorum. Idem *Romus de progenie Aeneæ* Petri *in Vrbe Berecynthia*, hoc est, Ecclesia Christi filii Ioacim *sepultus*. Idem *Romulus Aeneæ* Petri, & *Dexitheæ*, Ecclesiæ diuinæ filius, quæ gremio suo quosuis recipit, vnde nomen græcum, & *filia Phorbantis* Pastoris, puta Pontificis Summi. Is *Romulus Telemacho* Latino bellatore *genitus*, & *Rome*, siue ciuitate Roma. is *Romulus Marte* Christo *Satus*, & *Aemilia* idololatria nempe deceptrice, ante Christi fidem. *Romulus* ad extremum *Iliæ*, vel *Rheæ* Mariæ Æliæ Solymeæ *filius*, vel etiam *Siluiæ* eiusdem Parentis à Sylua Lauretæ sic agnominata, is demum est Petrus, spiritualis cœtus siue ciuitatis Romæ primus author, qui etiam *Dea Angerona parens Vrbis* dictus quia *angariatus* Romæ, vt Crucem Christi baiularet, verus Simon Quirinæus. Cum igitur hi omnes authores Romanæ ciuitatis scribantur apud Dionysium, Festum, Plutarchum, Solinum, Aurelium Victorem, Plinium, Liuium, Varronem, Virgilium, Ouidium, Seruium, cæterosque priscos, aut recentes, iuxta sensus prædictos rem interpretemur, ne Iapheto Romano parenti quidquam officiant, quem etiam inter S. Patres D. Epiphanius ante nos agnouit: *Iaphet tertio filio* (Noe) *nascuntur Latini, & qui Romani, & Tyrrheni*. Et ante illum Iustinus Martyr, licet minùs expresse: *vos* (Iudæi) *genus à Semo deducentes, peruenistis in terram filiorum Chanaani, et possedistis eam. Et quod prosapia Iapheti* (Romani) *aduenerint et terram ipsi quoque vestram occupauerint, eamque detinuerint, manifestò apparet*, vbi de Romanis est intelligendus. Itaque ex dictis liquidò perspicitur, hanc nostram historiam nouam de Parente Vrbis, non aliam, quam veterem conciliatam esse, quæ antea secum fædè luctabatur.

In Ancho

In Dial. cõtra Tryph.

Itaque deinceps controuersijs omissis, inclytus Europæi Orbis atque Vrbis Parens reuisendus erit, qui *Aureum sæculum* placido, ac suaui imperio in Latio atque Vrbe Roma à se dedicata recens inchoabat, quando ab eodem supra discessimus. Huius aurei sæculi Poëtæ omnes & antiqui Scriptores sub voce Saturni ferè meminere. Non quod eo regnante *æternum ver esset*, vti fabulantur, atque fruges *tellus inarata* funderet, aut *flumina* lactis & nectaris vndique *manarent*, (quæ quidem fuerant sub Saturno Adam, nempe in Paradyso) sed quod prima hac ætate 3

Pœna metusque aberant, nec vincla minacia collo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant siue iudice tuti.

Sine iudice puta ad mortem damnante. paterna enim, & auita potestate adhuc regebantur, atque nondum regia. Nam Romani, & Latini omnes, Principis filij, aut nepotes erant in directa (licet horum quidam longiuscula)

linea. Quod ergo externi subditi à consanguineis, hoc patrium illud imperium à regio distabat. Regia enim rigidior potestas, at paterna lenior. Et quando fundendum rei subditi sanguinem leges pronuntiant, quasi suum fundi parcissimè imperat. In paternæ verò potestatis locum tribus vniuersi Patriarchis extinctis, Semo, Chamo, atque Iaphet, regiam demum succedere oportuit (nam de Tyrannide Nemrothi hoc loco silemus, quæ Semi imperium in Asia turbauit) ne populus tunc sine rectore, vti nauis esset. Quãquam duriorem regiam ætatis decoloris crimina quoque postularunt, ne indulgentia nimium paterna obesset. Regia ergo potestas, ac iurisdictio paternæ filia, atque hæres fuisse apparet, iamque debet imitari, nisi degenerat. Patri autem subditi charitate magis, quàm metu obediunt. Regi reuerentia amore permixta atque temperata. Tyrannis solo metu iniusto, vt plagiarijs, ideo sceleratum imperandi genus hocce postremum est, spurium & naturæ aduersum, quæ primos rectores Patres instituit, deinde Patrum vicarios, & veluti tutores derelictis liberis, atque nascituris, legitimos principes, siue penes vnum, siue penes multos, suprema atque principalis authoritas illa resederit. Verùm ad Iaphetum nostrum reuertamur. Cuius
D. 1. l. 1. paternum imperandi genus, sub nomine *Euandri* quoque Liuius agnouit: *Euander tum profugus ex Peloponneso* ('vbi filium Iauan collocarat, vt supra monstratum) *authoritate magis, quàm imperio regebat loca*. Ea regni facies sub aureo sæculo, in quo fossæ oppida aduersus belluas, non homines, cingerent:

Met. l. 1.
Non enim *tuba directi, non æris cornua flexi,*
Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

Vnde enim ingruerent hostes, vbi Europæi omnes, vna Patris Lati familia essent? Asianæ autem, & Lybicæ gentes, etiam cognatione iunctæ, atque interfuso mari à Latio semotæ, nullo marinarum nauium adhuc vsu pollerent (nam terrestri via in suis sedibus fere collocatæ) sed earum tantùm, quibus patria flumina, lacus, & paludes tutò traijcerent? Itaque verè Virgilius de Saturno Iaphet:

Aen. 8.
Aureaque (vt perhibent) illo sub Rege fuere
Sæcula, sic placida populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi:

Aureo ergo sæculo nondum seruitus vlla, nondum *mancipia*, quia necdum bella. bello enim capti, *mancipia* dicti, quasi *manu capti*, & hæc dictio (*liber*) à *la* atque *bero*, hominem *dilatatum* sonat, qui nemini seruiret, nisi parentibus, à quibus prognatus. Vnde in Saturni Ludis, vti supra dictum, cum heris serui mensæ accumbebant, quasi libertate temporali donati. Sed quoniam ab Saturno *dispersos in montibus altis*, iugis Apenini, Italos *compositos* ferunt, eumdemque his *leges dedisse*, & *Latium* eam regionem a se appellasse; de legibus quærendum primò, quibus vsus? tum à quibus hauserit? latæ ergo leges & in vsum inductæ, quas posteri Romani in æs inciderunt, quæque Christianorum moribus etiam hodie vigent. Eæ *duodecim Tabularum* dictæ, castæ, incorruptæ, Gentium quasi Decalogus, polygamiam, omnemque morum turpitudinem Euangelicæ, atque naturali rationi aduersam vetans, ac prohibens. Nam qui eas Tabulas à Græcis allatas ad

Ro-

Romanos ſcribunt, ſabuioſa tradere ſupra oſtendimus, quibus Euangelicas leges indicarunt è Græcia per legatos Dei Apoſtolos, Romam perferendas. Illas verò, quas *Duodecim Tabularum* nuncupant, à parente Noe Iaphet acceperat, cum quo pòſt diluuium diu in Armenia fuerat commoratus, Noe à filijs Adæ Patriarchis, vtpote iuſtitiæ atquæ iuris omnis cultor eximius, atque indagator. Nam primum parentem ſcientia legum diuinitus hauſta olim claruiſſe, vel ex hoc diuino teſtimonio diſcis: *Sapientia dedit illi virtutem continendi omnia*, nempe ciuilium legum petitiam, ſine qua humana vlla ſocietas contineri ſiue regi nequit. Eæ verò leges vel Arcæ incluſæ, vel lateritijs, atque marmoreis columnis inſculptæ (vt nonnulli perhibent) vel alio demum quouis modo, aquis diluuij ſuperſtites fuerunt. Orta ergo qualibet controuerſia iuris atque facti, quia Patris Lati Domum (Curiam) adire ſolerent, *Vadimonium* vox Latina extitit, nam *Vadimon* Pater Latus dictus, vt ſupra oſtenſum, eiuſdemque edicta, ſeu reſcripta Principis, *Bullæ* appellatæ à *Bol* nampe *lato*, quam antiquam vocem adhuc Pontifices Romani obſeruant. Sed et religio Iaphet, frequentibus animalium victimis, ac ſacrificijs, exemplo Noæi Parentis, Deo offerendis, ſubditorum cuiuis prælucebat, vt voces *litandi*, atque *liturgiæ* ab voce Parentis *Lati* efformatas, ac Latio donatas haud temere putem. Hunc deinde ritum animalium carnes immolandi, non ſolùm Itali, atque Græci, ſed & Europæi omnes ſecuti ſunt, ac ſuperſtitione deinceps exorta, eumdem perperam ad idola traxerunt. Itaque vero ſimile haud ſit, ſuperſtite ac regnante Iaphet ſumma authoritate, idolorum cultum, ac ſuperſtitionem in Latium, aut Europam adhuc immigraſſe, ne aurum ſyncerum illius ætatis, idololatriæ ærugo corrumpat. Quæ quonam primùm, aut vnde inuecta, altero de Theologia Sibyllina Libro manet indagandum, vbi de natura gentilium Deorum, Deo dante, agemus. Nunc res exquirere admonet, an ſub hoc Principe nummorum vſus fuerit inſtitutus? Aurea enim ætate, aurum & metalla in venis terræ adhuc recondita, vniuerſum vulgus poëtarum canit. Quod quidem ad aureum tempus ſub Saturno Adam in Paradyſo pertinere apparet, non ad hoc alterum ſub Saturno Iaphet. quis enim ſine ferro aut ære Turrim Babel conditam, atque ciuitatem credat? aut ſatis inſtructas ſine anchoris, cæteriſque ferreis armamentis naues, quibus Europeæ Sedes adirentur? Adde *æreis roſtris* Argo claſſem armatam, vti mox dicemus. *Itum* igitur iam tunc *in viſcera terræ; quaſque recondiderat, ſtigijſque admouerat vmbris, effoſſas* metallorum *opes*, multa perſuadent. Tunc enim fodinis (ne quis has requirat) Europa, vel maximè diues, adhuc inexhauſta, & nondum effœta. Tunc Hiſpania metallorum ferax, vel Scriptura teſte. Tunc quoque Italia, vt affirmat Maro, *argenti riuos, æriſque metalla oſtendit venis, atque auro plurima fluxit*. Quin etiam prima Europæ metalla ab Iapheto in Latium Argo importata, vox *argentum* probat, quaſi *Argo* adductum, & Latina eorundem nomina illũ Patrem ſonant, vt *aurum* & *æra*, ab *aua*, & *ra*, vel ab εὐρὺς *lato* deriuata. Itaque cum creſcente populo permutationis rerum cum rebus difficultas creſceret, *effigie pecudum*, quibus æquipollerent, aurum, & argentum, ac æra ſignata, vnde pecunia nomen adinuenit, nec non Patris *Lati* imagine inſculpta, vox *nummus* teſtatur, ab hebræis vocabulis *No*, & *Ma* formatus, quæ eumdem Patrem dilatatum referunt. Cibus porrò aureæ gentis, *ani-*

Sap. 10.
Ioſeph. Aut l. 1.
Met. l. 1.
1. Mach. 8.
Georg. 2.

Gen. 9. *animalium carnes* à Deo *concessæ*, quod herbarum virtus aquis diluuij multùm imminuta, parum ad alendum vulgò sufficeret. sed altilia plurima ad delitias atque voluptatem à Latino Patre in Latium aduecta atque importata, quorum adhuc pleraque vetustis eius nominibus gaudent. Nam Galli, & *Gallinæ* ab hebræo *Gala*; à χαυνὸς *Cygni*, ab ἀυζεω *Anseres*, vt ab εὐρὺς *Vri*, à *Ta, vara* Tauri, &c. At *Phasiani aues* siue *Phasiani* à *Phasidis* flumine nomen mutuati, erudito etymo in memoriam reducunt, vnde primi Argonautæ venientes olim in Europam, soluerint.

4 Nunc spectanda opera & ædificia (quentùm quidem æui longinquitas sinit) quibus idem Parens, recens à se structam Vrbem exornarit. Intra pomæria, *Palatium* Patris Lati Domus ac Regia, *Ara Palatina*, & *Pons Palatinus* ad Tyberis flumen, *Ædes* Ieouæ seu *Iouis*, *Argonautarum* Porticus primorum Latij colonorum argumentum ingens, vti *Ædes Opis* ac *Saturni*, *Aedes* seu *Ara Carmentæ*, & *Porta* eiusdem, de quibus Virgilius

monstrat & Aram,
Aen. 8. *Et Carmentalem* Romano *nomine Portam,*
Quam memorant Nymphæ priscùm Carmentis honore
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Aeneadas magnos, & nobile Pallantæum.

Vict. 10. reg. Vrb. *Curia Calabra* superioribus addenda, & *Literarij Ludi*, vbi prima iuuentus Patriarcharum veterum disciplinis exculta, denique *Argiletus*, & *Rostra*. Hæc octaua, nona, & decima Vrbis regione structa visebantur, in collibus Palatino, & Capitolino, & parte quadam Auentini montis. Hæc nascentis Romæ prima amplitudo, & quasi angusta adhuc vagientis cunabula fuere. *Aedes* autem *Opis* ac *Saturni* illustre primorum Romæ parentum Iaphet & coniugis, quæ *Ops* phrasi scripruræ etiam vocitata, seu *Adiutorium*, nempe ad generandum, vnde Sibylla eadem Iaphet coniux ab Rutilio *Ops* agnominatur, cum in Stiliconem ita inuehitur

Itin. l. 1. *Ne patrijs tantùm sæuiret proditor armis,*
Sancta Sibyllinæ fata cremauit Opis.

Eiusdem Sibyllæ *Porta Carmentalis*, & *Carmentæ Aedes* memoriam posteris insignem reddebat. Nam *Curia Calabra, à Cala*, & *Bero* Patre dilatato originem sumsit, vbi ius diceret. Et in *Argileto* Argo classis ex aquis educta, quod primos Vrbis & Latij, & Europæ ciues & colonos, nempe Argonautas, nuper aduexisset, ad memoriam posterorum seruata, vbi temporum vetustate fatiscens, terra potius, quam aqua naufragium faceret. Inde *Argiletum*, quasi mortem siue *lethum Argus*, & *Nemus*, ob malos nauium instar Syluæ densas, locum indigetarunt. De hoc ergo *Sacro Argileto*, cuius venerandam materiam cædere, aut vertere in priuatos vsus religio erat, ita Virgilius.

Aen. 8 *Nec non & sacri monstrat Nemus Argileti,*
Testaturque locum, & Lethum docet Hospitis Argi.

Fabula enim Argo *Hospitem* finxit, eò quòd illa classis primos Orbis colonos, dum Europam adirent, suarum nauium hospitio, & domicilio quasi acccepisset, vti supra dictum. Et verò ex *duro robore*, vti fabulantur, & *Assyria cedro* structam oportuit, quando eius tabula ad Martialem vsque peruenerit, cuius in eamdem alias recitatum extat epigramma. *Rostris* verò *æreis* nauium classis Argus, *suggestum in foro Romano*, adornari placuit

cuit, vbi conciones ad populum habendę. *Rostra* propterea locus appellatus. quam quidem *Argo* Liuius *Antiatium classem* fabulatur haud malè, quippe quæ primorum Latinorum esset, qui ab *Ancho* Lato Anchiates siue *Antiates* dicti, vnde quoque *Anxur* nomen adinuenit. Hæc igitur Lati Patris opera, atque monumenta, suo ambitu prima Vrbs complexa: Etenim extra pomærium *Promethei lacus*, Parentis Noe memoria insignis, quia is diluuij terrarum *Propheta*, seu per excellentiam *Prometheus* fuisset, partim autem intra muros atque partim extra, *Aqua Appia*, vti *Appia Via* ab eodem Iaphet, à Porta Capena ad Brundusium vsque, lapidibus strata ac munita. Nam qui illud opus Appio Claudio nescio cui assignant, fabulari hinc illos apparet, quod tempore illius Appij, omnia trans Capuam loca hostes occuparent. Viæ præterea *Lata*, *Latina* ab eodem Lato, *Aurelia* ab εὐρὺς *Laticulensis* à Latino colle, *Valeria* à *Val* & *ra*, *Nomentana* à *No*, & *ma* & *ta*, eumdem Patrem authorem antiquis suis nominibus celebrant. Præterea *Hortos Argianos* in septima Vrbis regione, item *Sallustij*, *Campum Martium*, *Aquam Marciam*, Argea item *Sacraria* ac *Sepulchra*, quæ apud Varronem leguntur, vt opera *Lati*, vel saltem prolium aut nepotum eius venerari debemus, qui fuerint cum eo in *Argo* conclusi. Et quoniam non solius Vrbis sed etiam Orbis Europæi ille parens erat, Græci *Græcostasim* in Vrbe struxere, Græcorum quasi hospitium atque stationem. Germani siue Thogormani (Tauricæ adhuc regionis incolæ, nondum Alemaniæ) *Domum Brettianam*, nam *Breet* Germanicè *Latus*, Getæ siue Scythæ in *Hortis Getæ* aliud monumentum, cuius obliuionem vetustas induxit, Hispani deniq; quamuis ab Vrbe semotius *Anxur*, & *Ancium* Vrbes excitasse videntur, ab hispano *Ancho* Lato nominatas, omnia, vel gymnasia primæ erudiendæ iuuentuti futura, vel hospitia posteris, qui Latinum Patrem, aut Sibyllam coniugem, seu Matrem Carmentam, oraculis allecti, in Latio, aut Vrbe deinceps inuiserent. *Euandrum* enim non alium à Iaphet, vt sæpe iam dictum, *venerabilem virum miraculo literarum* Titus Liuius vocat, *rei nouæ inter rudes artium homines*. Neque enim ab alio profectam Iurisprudentiam, Medicinam, Astrologiam, & cęteras Europæas artes atque disciplinas, quæ maximè ibi floruere, suspicari oportet. Porrò hunc Euandrum *venerabiliorem* idem Scriptor nominat, *diuinitate credita Carmentæ Matris*, puta Latinorum, & Europæorum, *quam fatiloquam miratæ hæ gentes fuerant*. Hæc verò nomina tum operum, tum locorum Vrbis, ætatem tam longam tulisse, permirum. Nam horum non pauca etiam hodie tenent, *Roma*, *Tyberis*, *Palatinus Pons* atque *Collis*, *Via Appia*, *Porta* & *Via Latina* &c. reliqua autem, quamdiu vetus Roma stetit, ter mille ferè annorum spatio, in vsu fuere.

D. 1. t. 8.

Vide Lyps. de Mag. Vrbis Romæ. Pub. Victor supra.

Lib. 4. de ling. Lat.

D. 1. l. 1.



CA-

CAPVT XXVIII.

Quantùm Latus Parens, primis in *Germaniam*, *Galliam* Transalpinam, *Belgium*, *Britanniam*, cæterasque *Hispaniæ* atque *Africæ partes* colonijs transmissis, Latini Imperij fines dilatarit?

AGE verò quantùm idem Parens Latus, in vacuas terras Latio adiacentes, crebris filiorum, atq. etiam nepotum colonijs emissis, suæ ditionis fines propagarit, modò videamus. Ac ne quis requirat, quibus demum filijs atque nepotibus, istud perficere Iaphet potuerit.cum omnes ad vnum in colonias alias supra duxerimus. Aio enimuero ab his prolibus effectum, quibus lingua Latina cum eodem Patre Latinorum ad Babelem obtigit. Quos quidem iccirco haud Scriptura expressit, quia non diuersum à Patre Lato populum propagarint, vt cœteri filij, ac nepotes, quos enumerauit. Nam nec filias eius eadem recensuit, quæ tamen ad propagationem Europæi generis necessariæ omnino. Ac duorum filiorum filios, Gomeri & Iauan, solummodo narrat. an quod quinque cœteri steriles atque infœcundi? à sterilibus ergo gentium Insulæ diuisæ, ac disseminatæ, initiò orbis dilatandi? Apage hæc inepta, & Scripturis prorsus inimica. Latini Imperij igitur magnitudinem primã,hoc pacto æstimemus, vt Latium ab ortu Ionium mare, Dalmatia & Illyris: a meridie autem quædam Africæ loca terminarent. At in Occidente, ab Aragonia atque Galecia, in Oceanum, & inde ad Britannicas excurreret Insulas: & ad Boream limites, Daniam, Finlandiam, Sueciam, Hyperboreum, seu Balticum mare, & fluuios Vistulam & Tibiscum haberet. Ergo præter nonnulla Africæ, & Hispaniæ loca, omnem Galliam veterem, quæ Alpibus, Rheno, Mediterraneo mari, Pyrenæis Montibus, Oceano, cum Angulo terræ (Angleterra) clauditur, nec non Germaniam eodem Rheno, Alpibus, Tibisco, Vistula, Suecico, seu Baltico mari comprehensam, hæc Latina Ditio, cum omni regione Italiæ, primùm occupauit. At ne temere quidquam definire videar, non solùm iussionis de *terra replenda*, meminisse oportet, sed & longæ ætatis, qua præceptum Iaphetus adimplere potuit, & prærogatiuæ, qua præter cæteros Noæi filios, sacris oraculis *dilatandus* canitur. Et verò cum quingentos annos à diluuio illum explesse oporteat, vt fratri Semo maiori natu coæuus existat; vt demus ducentos atque octoginta, tum commoratione in Armenia maiore, tum ædificatione Ciuitatis Babel, tum nauigatione seu expeditione in Europam consumptos, viginti & ducentos superesse liquet, quibus aureo sæculo in Latio regnarit. Iam ex vno surculo seu homine, ducentis atque decem annis, sine prodigio, supra millies centena posterorum millia generari posse, Temporarius demonstrat. (Chron.Dē. l. 2.) Adde quòd fœcunditas seu dilatatio diuinitus promissa. Vnde perspicue cernitur, Latium tot populis grauidum,in vacuas adhuc & vicinas Galliæ & Germaniæ, cæterasque terras, vterum effidisse. Nam cùm homines deinceps (vt apparet) ea à diluuio loca occuparint, cui potiùs, quàm parenti Iaphet diuinitus certè propagato, & proximiori (Si Gallia maximè & Germania spectetur) horum primos colonos, tanquam proles demus? Nam hinc fabula

bula

bula nata de Alpibus ab *Hercule Thebano*,quondam superatis, qui Iaphet *Herum* seu *Heroem clarum* significat, ab *Arca*, quæ Hebræis *Theua* siue *Theba*, *Thebanum* vocatum, quod ille trans Alpes è Latio colonias plures emiserit. Accedit, quod hæc Transalpina loca, atque regiones innumeris nominibus *Lati* olim impositis, etiamnum hodie ferè glorientur, vti excurrenti per singula manifestum erit. Germanorum enim vetus nomen, *Alemani* ab *Ala* & *Mana*. Et Albertus Crantzius *Boios* seu *Bauaros* olim intra Boemiam, Germaniæ prope vmbilicum, sitos, ex Tacito probat origine *Gallos* extitisse, vt mirari desinas hos Italos esse, qui primi *Gallorum* tenuere nomen *à Gala* deductum, hoc est, *dilatato*, cum & idem *Galliæ* vocabulum plures Germaniæ Prouinciæ & Vrbes etiam hodie obtineant, vti mox dicendum. Neque displiceat hanc vocem *Man*, quæ hominem germanicè Sonat, à *Ma*, & *Na* peti, quod bis *latum* signat, siue *dilatatum*. Nam & *vir* Latinus ab hebræo *Bero* siue *Biro* dictus, vti & *Virago*, mulier virum agens, & Hispanici *Varon*, atque *Hombres*, quasi *homines Beri* siue *Lati*, quia generando generantis hominis genus dilatetur, vt supra ostensum. Ex quo *Alemanos* liquet, beneficio Iapheti, homines seu *Manos* non solùm creatos, sed vocatos esse. Quin et vox *Teutones*, à quo genus trahant, quasi digito monstrat. Nam *Ta* geminatum, vnde *Teuto* existit, *dilatatum* hominem,seu bis *latum* loquitur. Hunc *Teutonem* verò *Tuysconis* filium eruditè tradunt, hoc est, *Tusci* siue Lati Patris in Tuscia regnantis qui primus Italiæ & Europæ per excellentiam *Tosca*, id est, *dilatatus* fuit, à quo Tuscia, Tusci, seu Toscani, Tusculum, & similes voces. Quin idem *Tuysco* siue Tuscus, iuxta Cornelium Tacitum, *Germanorum Deus*, qui ad flumen Rhenum primi habitarunt. Vnde et *Teuscland* (quasi Tusci regionem) hodierni Germani appellant. Et in Gothia Regni Danici parte, siue prouincia, *Ducatus Thuyciæ* etiam inuenitur. Quin Tuysconis filium ***Manum*** quemdam fingunt, erudito commento *Manos*, seu Germanos à Tusco Iaphet, primùm esse profectos, à quo *Mans veldiam*, id est, Agrum Mani, etiam Mansfeldiæ comitatum vocant. Cum verò ijdem Germani terrarum tractus, *Land* vel *Lant* appellent, vti Galli *Landes*, an non perspicuè apparet, à Lati colonijs primùm habitatos, sine cuius nomine haud exprimi queant? Sed et *Lati* vocabulis Germaniæ fluuij, necnon prouinciæ, et pleræque Vrbes, et populi prisci omnes fere gaudent. Ab hoc Patre Lato orti *Palatini* et *Palatinatus* Rheni, VValliæ, Poloniæ, Daciæ, cæterique (quatuor enim & triginta vulgò numerantur) quorum quidem Domini se *Comites* vocant, quod horum maiores Patris sui personam, vel nauigio ex Oriente primùm venientem, vel saltem (vt fit principibus) in Latio, et Vrbe,honoris gratia *comitati* fuissent, vnde *Comites Palatini* dicti, vti res loquitur. Nam et Virgilius, *Qui Regem Euandrum Comites*, *qui Signa secuti*, in monte Palatino statuit, quem *nobile Pallantæum* vocat. A *Lato* quoque illa deriuata: *Lituania* Poloniæ regio, *Letti* Liuoniæ populi, *Ladri* Germaniæ veteris, *Lechij*, *Lutsatij*, *Ladenburgum*, *Lindenfeldia*; *Finlandia* Daniæ, quasi finis Latinorum, vbi etiam eos terminamus. Nam quod ad *Lechios* supradictos attinet, eos Latos, seu Latinos esse hinc intelligimus, quod apud eos litera C cum T fere commutetur, præsertim cum duæ vocales sequuntur, vt in his vocibus *Latium*, *delitiæ*, *lætitiæ* patet, quæ quidem per C omnes pronuntiant, tametsi T scripta, ita per

Lechiam Latia intelligenda,& per *Lechum* Latus, quem primum Lechorum parentem, atque diluuio terrarum coæuum, Annales vetusti Poloniæ referunt, & ab illo *Lechitas* Polonos omnes nominatos. Quòd certè propositum nostrum de Latio ad Balticum mare propagato confirmat. *Lusatios* verò etiam ab eodem *Lato* deriuare placet, quia Thogormani, qui Teutonum, & Alemanorum terras inuasere, crebrò literam T in C vel S molliora conuertunt, vt vel in *Zaberna* liquet Heluetiæ, oppido, quòd à *Taberna* Romanorum vigilum ita deprauarunt. Ac de lato hactenus. Ab *Italo* quoque *Lati Patris* appellatiuo, *Edelbergam*, quasi *Etelbergam* montem Italorum vocant, & suos nobiles *Edelmans*, quasi *Etelmans*, seu *Italos homines*, quia antiquitas omnis atq. nobilitas ab ijs profecta, vti infra monstramus. Dies me deficiat, si omnia Germanica vocabula ab hebraicis *Lati* synonymis orta velim recensere, sed rem superuacaneam agamus, quando densa sylua Etymologica à nobis ostensa, satis illa prodat, ex qua nullo negotio cętera eruentur, si hæc obseruemus. primùm innumeros Barbaros, qui in Alemaniam olim irrupere, non solùm cædibus illam atque incendijs, sed & peregrino idiomate suo Latinam linguam in ea deformasse, nam *Burgos* in *Burg*, *Villas*, in *VVeil*, *Valles* in *Dal*, et *Tal*, γῆν, seu γαιὰν terram in *gau*, *gou*, *ghe*, *ghem*, *ghin chem*, *chen*, *cin*, *hem heim*. *sca*, *sco*, *sci* ferè commutarũt. exempli causa: *Marchorum burgum* in *Marchburg*, *Rhetorum villam* in *Rotueil*, *Herorum vallem* in *Hærental*, *Nomorum* γαὰν, siue terram in *Nimmeghe*, *Momorum* à *ma* geminato in *Memminghe*, *Sacherum* in *Sechingen*, *Tarorum* in *Torgau*, *Berorum* in *Berheim*, *Italorum* in *Edelsheim*, & sic de cæteris. Alterum quoque notandum, eosdem ad Latinas Teutoniæ Vrbes, prouincias, & loca, dialectos illas crebro adiunxisse: *Berg*, seu *Perg*, *Bron* vel *Brun*, *Bacq*, seu *Becq*, *Brug* vel *Prug*, *Dorp* seu *Dorf*, *Stadt*, *Stradt Stein*, *Haus*, vel *Huys*, *Veeld*, seu *feldt*, *VVest*, *VVost*. *Hoof*, *KircKe*. hinc *Rhenanis* ad distinctionem *Rinsberg* addidere, vti *Caunis Cunisberg*, quæ vox *montem* significat. *Bron*, vel *Brun*, quod *fons* germanicè, multis quoque adiectum, vt illa *Padelbron*, *Hailbrun*, cæteràque testantur. Porrò *Bacq*, seu *Becq* germanicè *torrens*, siue *riuus*, *Brug* pons, *Dorp* vel *Dorf* oppidum, *Stadt* ciuitas, *Strad* via, *Stein* margo siue limes, *Haus* vel *Huys* domus, *Veldt* siue *feldt* campus, *VVest* occidens, *VVoost* oriens, *Hoof* curia, *KirK*, vel *KerK* Ecclesia siue Paræcia, quibus quasi enclyticis Germaniæ loca fere terminantur. Quibus animaduersis, Latinorum nominum vestigia antiqua in hodiernis Germanis tot hostium barbarie corruptis, facilè deprehendemus. Nam si Latium fons latinitatis ab his sic turbatum, vt Latini antiqui ab inferis reduces, vix Italos nostros modò intelligerent, quidnam de riuulis nos sentire par est? vestigia nihilominus Latini sermonis multa remansere, vt ex dictis liquet. Nam, & hodierni Germani suum idioma *Sin Tal*, quasi *suum Italicum* vocant, vt Galli *suum* purum *Patois*, seu *Latinum*, ab hebræo *pata* nondum sunt obliti. Neque verò necesse putamus, Latinum Patrem ad Teutoniæ fines, Finmarchos, Finlandos, Finnonios, Barthas, & Balticos, ac cæteros popolos terræ Latæ extremos, statim penetrasse, verùm pedetentim, crescente indies posterorum turba, atque propagine. Ideo docta fabula *Calai*, hoc est, *Gallo*, seu *Italo*, & *Zethæ*, seu Getæ vel Cethim Argonautis, qui

Met. 6. *Vellera cum Minijs nitido radiantia villo,*

Per

Per mare non notum, prima petiere carina.

tantummodo in *virili ætate pennas* attribuit, qui (vti parens Iaphet, seu *Boreas*, qui *Orythiam* eorumdem *matrem*, hoc est, *Eurythiam*, terram Italorum dilatatam *rapuit*) in Boreæ *subditas regiones volarint*. Verùm de Germanis satis. Nam & *Gallos* Transalpinos liquet à *Gallis* Italis olim propagatos, quando præter supradicta eos hodierni Græci adhuc *Galatas* vocent, quasi *Gallos Lati* Patris, vel à *Gala*, & *Ta* viros *dilatatos*. Deinde Tuscos referunt antiqui Scriptores, versus Galliam Alpes olim prætergressos, præterquam quod ij communes cum Latinis Deos ante Christum natum diu coluerint, vti Cæsar testis in Commentarijs, quod sanè vtriusq. gentis magnum commercium, & commune etiam principium demonstrat. Quid, quod vox *Galliæ* à *Gala* deducta *Latum Patrem* sonat, à quo Italiæ pars *Padana Gallia*, vel *Italia Gallica* etiam appellata? quid, quòd Galliæ annales, post ipsum diluuium à Gomero, qui filius Iaphet, ideo fabulosè Gallos ortos tradunt, quod à Cimmerijs, seu Tauricis locis Iaphet adueniens, suis colonijs adhuc vacua Galliæ Transalpinæ primus occuparit, vti sanè quidem coniectura monstrat? Iam *Franciæ* regnum atque nomen à *Phara*, & *Naca* dilatato exortū, idem quoque efficit clarissimè. Præter hæc, cuncta ferme Galliæ loca ab eiusdem Patris vocabulo sua quoque deriuant, quod in eius prouincijs aut celebrioribus locis monstrasse sit satis. *Andes* enim ab *ana* et *dasa*. *Arelas* ab *ara* et *Lasa*. *Aquitani* ab *Aca* & *Tana*. *Angolma*, ab *ana*; *gala*, *ma*. *Argentona*, *Argentueil*, ab *Argo*. *Autuni* ab *aua*, & *Tana*. *Auxerii* ab Αὔξω augeo. *Aluerni* ab *ala* & *vera*. *Auarici* ab *Aua* & *Raca*. *Armorici*, ab *ara*, *ma*, *raca*. *Araris* fluuius, ab *ara*, atque *ra*. *A Baa* & *Ca Beaucia*. a *Bata* & *raga*, *Bituriges*. a *Bala* seu *Bela*, *Bolonia*, *Belna*, & *Belnenses*, *Bellouacum*, *Bellonij* siue *Bullionii*, *Blesii*. a *Bara* seu *Bera*, *Barrensis* Ducatus, *Bria*, *Bearnia*, *Berrium*, *Burdegala*, a *Bera*, *Da*, *gala*, *Borgona*, a *Bara* & *Gana*, *Borbonium*, &c. a *Breet Brito*, *Britannia* a *Cala Caletes*, *Caledonium* mare, *Chalons* Burgundiæ. *Campania* a *Cama* & *Pana*. a *Dala Dola* & *Dolani*. *Garumna* fluuius a *Gara*, & *Mana*. a *Lato Leti* antiqui Galliarum populi, item *Lutetia*, *Lotaringia*, quasi, *Latorum* γῆ siue terra. *Laudunum* a *Laua*, & *dana*; *Lygeris* fluuius a *La* atque *gara*. *Lugdunum* a *Laga*, & *Daua*. *Lemouicum* a *Lama* & *Vaca*. a *Ma* atque *Naca Manchii* ijdem *Cænomani* dicti, a *Cana* & *mana*. a *Marca* infiniti fluuij atque loca Galliæ nominantur. hinc & *Marcilia* olim *Massilia* a *Masa*. a *Mata Metæ*, *Matrona* fluuius, *Matiscona* Burgundiæ a *Mata* et *asca*. *Nauarra* a *Na* atque *Bara*. *Nannetes* a *Na* geminato *Nancæium* a *Na* atque *Cana*. a *Narba Narbò*, & Gallia *Narbonensis*. a *Para* seu *Paras*, *Parisij* ciuitas, hinc & *Pares* Franciæ, inde, & *Pyrenei* montes. *Picardi* a *Paca* et *rada*. *Pictones* a *Paca* et *Ta*. a *Ra* Rhodanus flumen a *Rha* atque *dana*. *Rhemi*, & *Rhemenses* a *Rama*. *Romericus mons* Lotharingiæ, a *Rama* et *Raca*. *Rhedones*, a *Rha* atque *Dana*. *Rotomagum* a *Rata* et *Maga*. a *Saca Sequana* fluuius. a *Sana Senones*. a *Sama Samurium*. a *Saua*, *Suessio*, quasi Sauessio, a *Saua* et *Vasa*. a *Tara Turones*, *Teroana*, *Tiracia* Picardiæ regio. a *Vala*, *Valentia* Galliæ, *Valesii*. *Delphinatus* porrò à Tyrrhenis Delphinibus, Europæ vterinis est agnominatus. *Prouincia* Galliæ à terris deuictis, quasi *porrò victis*, trans limites nempe imperij Romani. Sed id ferreo sæculo nomen impositum à Iapheto Patre non prouenit, vt nec *Languedociæ*, a *Lon-*

gis Dacis quia longiſsimè à Gallia diſtabant, bello ſuperatæ. Sed cum *Lati Patris* notæ in *Belgio* etiam & *Anglia* illuſtres viſantur, quis negabit Gallos Italis tantò propinquiores, ab ijs exortos? quid enim *Belgium* niſi *Belonum* γῆ, vel quod clarius, *Balonum*, *Valonum*, ſeu *VValonum terra*, a *Bela* ſeu *Bala* hebraicè *Lato*? quem enim *VValonem* Germanus ſiue Thogormanus, hunc *Valonem* Francus & *Galonem* dicit, vti in VVilielmo, Guilielmo, *VValtero, Valtero, Gualtero*, principatu *VValliæ* ſeu *Galliæ*, *VVarder, garder*, *VVagner, gagner*, cæteriſque prope innumeris cernitur. Quin et ipſum *Bal Land*, *Balonum*, ſeu *VValonum terram*. in *Flandriam*, vel *Vlandriam* Germani mutarunt, et Hiſpani in *Flandes*. Quæ Flandria *Belgium*, quaſi *Balonum* γῆ, vel ſi vis, *Belonum*, hodie ab Italis adhuc appellatur. quam procliuis autem *B* in *V*, *VV*, *F*, et *G*, mutatio exiſtat, hæc nomina *Veldt*, *Feldt*, *Bibit*, *Vibit*, *Fibit*, et cætera ſupradicta mönſtrant. Iam in noſtrò Belgio *VValliæ* latiſſimum flumen ſatis nos *Galliæ*, et *Baliæ* admonet, atque *Lati* Patris, cuius ſynonyma *Bala* atque *Gala*, item *Veluuia*, quaſi *Belauia*, a *Bela* et *Vea*, et alia innumera? Nam quod *Belgii* flumen, non à Patre *Lato* vocabulum deriuat? *Moſa* a *Maſa*, *Scaldis* a *Scala* et *da Sabis* a *Saba*, *Sambra* a *Sama*, et *bero*, *Liſa* a *Laſa*, *Iſala* a *Iaſa* et *La*, & quot fluuij *Marchæ* appellati? Nec flumina modò, ſed et omnes prope regiones, Vrbes, pagi, atque loca ab eiuſdem prope vocabulo deſcendunt, vti etymologica ſynopſi ſupra indicata planum fieri queat, ni Lectoris tædium, et nauſeam timerem. *Anglia* modò ſiue *Angleterra*, ab *Angulo* dicta, ſeu *Angulo terræ*, eò quòd Europæ antiquæ limes hæc inſula fuerit, et vt angulus quidam in *Galetonio*, ſeu *Caledonio* mari promineat, eamdem ſuam originem ab eodem *Lato* ſimiliter oſtentat. primùm quidem per *VValliæ* reguum, quam *Galliam* Franci agnominant (et quæ poſt *Cambria* à Cimbris vocata,) dein per *Caletes*, *Caledonium* mare, atque *Syluam*, vt per *Britanniam*, a *Breet*, et *Tana*, quæ ſunt voces Lati, item et *Albion* ab *ala*, et *baa*, *Scotiam* a Scata, *Irlandiam* ab ἐυρὴς, quaſi *Erin Land*, nam *Erin* ſe Hiberni vocant, à quo quidem ἐυρὺς ſeu ἐυερὴς per epentheſim quamdam etiam *Hibernia*, ſeu *Iuernia* orta. Hic quoque *Londinum* Angliæ metropolis a *Lana* et *dana*, *Tameſis* fluuius a *Ta* atque *Maſa*, Hic *Arcades* Inſulæ, quas *Orcadas* deprauatè dicunt, Lati Patris vel *Arcam* vel *Argo* in memoriam reducunt, præter innumera alia, quæ longa ſynopſis ſupra inſtituta tibi exhibebit. Supereſt *Hiſpania*, quam Iaphet quoque vocabulum traxiſſe, vero ſimile ſit, quaſi *Iaphaniam*, vel *Iſa-paniam*, ab *iaſa* et *pana*, quæ ſunt voces quoque *dilatati* Patris. Eadem *Iberia* dicta, ab ἐυρὺς vti *Iber* fluuius, *Ebro* vulgò quaſi ἐυρὴς appellatus. Nam tametſi *Tarſim* ſeu *Tarteſſim* primum eius colonum ſupra nominarim, multa tamen vrgent ſolam *Lucitaniam*, ſeu *Latitaniam* à Tharſi occupatam. *Beticam* verò, hoc eſt, Iapheticam, et *Tarraconenſem* ab eodem *Ta* atque *Raca* Iaphet ita nuncupatam, ab alijs eiuſdem liberis, aut nepotibus inſeſſam, vel quod *Tharſi* parum fęcundo (quod certè in calidioribus regionibus accidit) vel alijs de cauſis, Luſitana ditio ſola ſuffecerit. *Thubalem* verò trans fretum: et gades in *Feſſæ* et *Marochi* regna ſeſe transfudiſſe, de quo nihilominus ſuo arbitratu quiſque definiet. Certiùs porro videtur, quod *Africæ* partem Latini Patris imperium primum obtinuerit. *Africam*, inquam propriè dictam, quæ Barbariam omnem exceptis Feſſæ et Marochi regnis amplectitur. Nam ea Thu-

bali

bali vni filiorum Iaphet concessimus. Argonautæ enim etiam huius Africæ litora Argo classe legerunt, propterea in ijs *Argoum portum*, ac Romæ Vrbis *Carthaginem* æmulam, vt est in fabulis, in qua *Beli* (Lati Patris) *Templum*, agnoscere licet. Hic quoque *Argeria* visitur ciuitas & regio, quæ nūc *Algeria*, ab eadem *Argo* ita nuncupata, vti dicta *Carthago*, a *Cariat*, et *Argo*, quasi *ciuitas Argo*. Adde facillimum à Siciliæ litore Italiæ adhuc cohærentis, & nondum abruptæ, in Africam traiectum. Adde interiectas *Tarichæas Insulas* a *Ta* atque *Racha* vocabulum sortitas. At in continente *Barbaria* occurrit, gemino *Bara*, seu gemina voce Lati Patris clara, in qua *Mauritania*, *Maurusii* populi, *Eropæi*, qui eiusdem *Lati* vocabulis gaudent. Hic etiam *Cyrene* & *Cyrenaica* regio quantulùm a *Quirino* distat, et *Laturus sinus* a *Latio* et *Lato*, *Hypone* Pattia Augustini a Iaphet? Hic et *Raba* ciuitas, et *Volcanus ager*, omnia nomina a Principe Latino. Iam vero *Africana* regio, nempe propriè dicta, quæ post toti Lybiæ nomen impertiuit, ab *Afra* Lato vocem mutuatur, & *Aphrodysium*, quasi *Afri* siue Lati Patris in Africam ingressus, ab *aphra* et δυσίς. Doctæ demum fabulæ nobis suffragantur, quæ *Iapetum Ætaleam* in Africam inducunt, & magnum *Atlantem* (Ætalum seu Italum Latum, quem Iapeti filium Ouidius facit) in montem transferunt, ideo etiam fortasse, quod iste mons Atlas *Atlantis*, seu *Itali Lati* versus meridiem fines terminaret. Africa ergo a Iapheto possessa, vti modò dictum, cum superioribus ditionibus, ac plagis, ijsdem ac Argonautarum regionibus ac terminis, Lati Patris cursum, aptè definimus. Africam enim Argonautæ, et maria Atlanticum, Caledonium, Balticum, seu Hyperboreum cum Ponto Euxino & Phasidis flumine in fabulis lustrant. Nam quamuis in primo aduentu columnas suas Herculeus Iaphet non sit prætergressus, at liberi, aut nepotes etiam Argonautæ, vt coloni à parente missi, vltra has columnas quoque nauigarunt, atque vt Britanniam, & quędam Alemaniæ loca primùm incolerent, Oceanum ingressi. Nam vero propius, per fluminum fauces, ea loca ferè occupata, & litora priùs, quam mediterranea ab his certè nautis imò Argonautis fuisse lustrata, quæ iuxta Cornelium Tacitum, etiam suo tempore *paludibus fœda, atque syluis aspera* erant, nempe Hercynia, atque Arduenna, quibus addere possumus & *belluis horrida*, vtpote quæ iam multis sæculis ex Arca eiectæ, atque manumissæ, immensum creuissent. Oceanum verò ante Christi aduentum diu nauibus tentatum fuisse, Cassiterides seu stanneæ Insulæ, nempe Britannicæ, Orcades, quæ propriè Arcades, Hebrides, cæteræque eiusdem Oceani Insulæ ab Herodoto et vetustis autharibus ante Christi ortum nominatæ probant. necnon Aristoteles, dum in admirandis quosdam extra Herculis columnas affirmat mare algis atque herbis virens inuenisse, quod de *Capo viridi* haud ita pridem ab Hispanis inuento, rectè interpreteris. His igitur finibus primæuum Latium, certò concludimus. Et ne solam coniecturam sequamur, Flauij Iosephi meminisse oportet supra quoque laudati, dum *Iapheti sedes a Tauro monte in Asia minore ad Vsq. Gades Hispanicas* porrigit. Verùm D. Epiphanius illo expressius eidem parenti has proles assignat, quæ intra descriptum ambitum ferè continentur: *Iaphet tertio filio* (Noe) *nascuntur Daunes, Iapyges, Calabri, Hippici, Latini, & qui Romani, & Tyrrheni, Galli, qui & Celtæ, Celtiberes, Aquitani, Illyriani, Pannonii, Besontes, Lusitani, Britannici, Scoti, Hispani.* Si quosdam Afri-

Ant. l. 1. c. 6.

In Anchor.

cæ

Lib. 1. de Bel. Gall. cæ populos forsan ex ceperis, (nam Belgæ, teste Iulio Cæsare in Commentarijs, ad Gallos pertinent hic commemoratos) nostro calculo standum est.

CAPVT XXIX.

Europæ *nobilitas* omnis, atque *dignitates* ab Iaphet *profectæ*.

PORRO' sicut Europæi omnes non solum a Iapheto genus, sed & nomen sumpserant, ita nobilitas omnis, atque dignitatum præcipua nomina, quæ modò in vsu, ab illo, aut certè colonijs eiusdem fluxere. Ipse enim Europæ vniuersæ, Dei gratia, *Princeps*, quia primum caput, Α'ρχων seu verus *Monarcha*, quòd *vnicus* inter Europæos in *Arca* fuisset, & quod inde egressus, *Exarcha* appellatus, vnde *Monarcharum* atque *Exarcharum* nomina extitere. Nam quòd *Arca* Noe omnium quasi vterus & principium fuisset, Α'ρχην græci principium dixere, & principes atque imperantes *Archontas* vocarunt. Idem Iaphet verus *Augustus*, qui omnes auxisset, atque dilatasset, *Summæ authoritatis*, vt omnium author, atque procreator. Idem & Pontifex seu *Summus Sacerdos*, *Presbyter*, seu *senior* omnibus, exemplo parentis Noæi, creberrimè Deo Summo *litans*, vnde hæc dictio de nomine *Lati* sumpta esse apparet. Iccirco Sibylla a mariti Iaphet dignitate, *Longæua Sacerdos* identidem vocatur. in colonijs item ij Sacerdotes, qui ætate grandiores, græcè *Presbyteri*. Ad prophana redeo. Iaphetiæ proles & proximi hæredes, a græco Δελφὺν, quod vterum sonat, *Delphines* vocati, rara, ac præcipua id temporis dignitas, quod ex vtero Europæ communi prodissent. quod institutum apud Gallos mansit, qui filium Regis & primò susceptum, *Delphinis* titulo insigniunt, vnde prouincia quoque *Delphinatus*. præcipuum à filijs, seu Delphinis decus, qui *Latum Patrem* in Latium tendētem, classe *comitati*, nam vt antiquiores, ita illustriores ijs nepotibus, qui in Latio geniti, vnde *Comites Palatini* orti, *Comites*, *Comitatus*, *&* *Vicecomites* horum Vicarij hodie etiamnum Mediolani illustres, vtpote qui Patrem Latum siue nauigio olim, seu postmodum in Vrbe, atque Palatio *comitari* solerent. Vnde factum suspicor, vt Pontificijs Bullis etiam Ducibus hi præponerentur. Qui enim Patris imperio colonias *ducerent*, *Duces* appellati, vnde et *Ducatus*. Alij post primos extinctos Duces, colonijs regendis suffecti, varia de nominibus ferè colonorum vocabula, et titulos sortiti, qui nunc ferè tenent: qui colonis *Rachis* imperarent, *Raches*, siue *Reges* dicti, & hinc *Regium* nomen hodie tam illustre & varia *Regna*, quæ *Rich* Flandri vocant. de nomine *Lati* siue *Rachi* Patris. Idem in cæteris fere vsuuenit. Qui enim *Tyrrhenos* regebant, *Tyranni* appellati, vocabulo in partem non malam accepto, vnde *Tyrrenia*. Qui *Saros*, *Soros*, *siue Syros*, *Siri*, quo nomine Galli Regem adhuc compellant. *Balonum* colonijs præfecti, vnde sunt *VVallones*, vel si vis *Belonum*, *Baliui* vocati, & hinc *Baliuatus*, nec non *Vesiri* a *Bel* atque *Sara*. *At Caunis* præfectus, qui à græco χαυνὶς id est, *Lato* nomen deriuarant, etiam eo nomine apud græcos quidem Α'ναξ appellatus, apud Thogormanos

Æn. 6.

seu

seu Germanos *KonincK*, quæ regia nomina. Similiter ab *Sanis*, *Senator*, *Senatus*, *senex*, & *senior*, & Italum *signor*, *Hispanicum Señor*, & Gallica illa *seigneur*, & *seigneurie*, hinc & *Senones* orti, atque *Senogalli* & *senogallia*, & ditio Franciæ hodie *Sennaterra*. *sic Mæcenas* dictus *Machaunorum* princeps, quibus appellatio a *ma* atque Χαυνος, qui quidem Mæcenas *atauis* propterea ab Horatio dicitur esse *Regibus editus* atque generatus. *Chaumorum* verò colonorum supremus, qui a χαυμος Lato, ab isdem *Aman*, vel *Amanus*, & apud Europæos Sarmatas *Chamus* appellatus, vnde *Magnus Chamus* Tartarorum princeps, qui Asiam inuasit. Et sicut *Machæunorum* caput, Latinis *Mæcenas*, vti modò dictum, sic Tauricis siue Turcis *Machomet* Machomorũ princeps. Nunc *Eurorum*, vel *Herorum* rector ab ευρυς vel *Hera* Lato agnominatorum, *Herus*, *Heros* fuit, vnde *Heroina*, nec non *Roy* & *Royne* apud Gallos, & apud Germanos *Heer*, *Heertooghe*, quasi *Heros altus*. sic a *Marchis Marchio* (vti *Marchæ* Anchona, Taruisina, Brandēburgica, Danorum, quæ & Danemarcha) & *Marchionatus*, *Marcgraue* autem quasi *grauis* siue magnus inter *Marchos*. & a *Baris Baro*, atq. *Baronatus*, et a Baris *Gallis* Italum *Barigel*. sic qui *Senogallis* prępositus fuit, *Seneschallus* dictus, et qui *Marchis Gallis*, *Marichallus* siue *Marescallus*, quod nomen postremum, vti etiam *Ducum*, ad militiæ viros & præfectos deinceps translatum est, qui ferreo sæculo *Marchogallorum* exercitus duxere. vt *Comestabilis*, qui *Comes stabuli* siue Palatij Lati Patris erat, nam *stabulum* atque *stabulare* pro commoratione atq. commorari Latini vsurpant. Qui *Matis* præesset Μεδων appellatus, qui *Scathis Escoutet*, qui *Scataris Escuyer* Gallis, hodie prima nobilitas, qui *Bassis Bassa*, vt nunc apud Tauricos, apud Græcos Βασιλευς, et Gallos *Vassallus*, qui quasi *Bassallus*. At qui *Maris Mairus*, vnde *Mairi Palatij* diu apud Francos, et *Mairi pagorum*, qui etiam hodie apud Belgas tenent. A *Scabis*, vel *Sabis* colonis, vnde sunt *Sabini*, *Scabinus*, vulgò *Escheuinus*, et Itali *Saui*, atque *Sbirri* a *Saba* atque *Rha*. a *Pharis* denique sunt græcorum *Ephori*, quasi ευρυς φαροι, et Francorum *Pares*, qui forsitan *Parisinæ* Insulæ olim præfuere. Munia igitur, seu in familia, seu in ditione Patris Latinorum, illas dignitatum voces pepercre, vti sanè liquet. Quamquam nemo putet omnes hodiernos Comites, Duces, Marchiones, Barones, similesque, ab ijs prognatos, qui aut Latinorum Patrem comitati, aut Marchas rexerint, aut quoquo nomine ijs imperarint. Nam pluribus similia nomina, Cæsarum, Regum, aut Principum beneficio solita obuenire. multis enim clarum genus virtus, multis malæ artes, atque felix scelus, plurimis quoque regina pecunia donarũt. alij alijs fortuitò insiti, vel de industria, primorum nobilium titulos hosce occuparunt. plurimas porrò voces, quibus generatim nobilitas expressa, ab eodem Lato descendere apparet. Vel illa vox (nobilis) a *Na* atque *Bala* profecta videtur, quamquam *noscibilem* quidam esse affirment, de quo non pugnamus. Nobilem certè quidem Hispani *Adelantado*, quasi *Italum dilatatum* vocant, vel *à dilataeo* Patre oriundum. Similiter *Hidalgo*, siue *Hico dalgo*, quasi *filium Argus* siue *Arcæ* nauis, quod vtrumque nomen ad Iaphetum alludit, qui in Arca moratus, quique Argo vectus, atque præcipuus Argonauta extitit. Præterea *Alcaidas* suos ij nobiles, et illustres viros quasi *Arcadas* vocant, ab eadem *Arca*. Et Germani *Edelmans*, quasi *Italos Manos*, siue viros. sed et dictiones illæ barbaræ, et Latinæ, *Dominus*, *Domi*-

nium

natum, *Domina*, *Dama*, *Donna*, *Madama* etque *Damisella*, a *Ta*, *Na*, *Mosa* (vnde Mosa Fluuius, & Mosella dicti) ad Patrem Europæ latum referendæ. qui quoniam nomen magnitudinis haberet, nomen nempe *Lati*, magnitudine quoque nobilitas, & dignitas deinceps expressa, hinc enim *Maiestas*, *Amplitudo*, *Celsitudo*, *Altitudo* principibus viris attributa. Cur igitur, inquies, plura vocabula eiusdem non sunt in honore? per *barbaros* enim *bardos*, *nothos*, *baronas*, *matos*, *phalo*, *palo*, *ribau*, *picaro*, *marau*, *villanos*, *velachos*, *caphu*, *goffo*, *badau*, *galingalan*, illegitimos, stultos, stolidos, rudes, atque nequam, hodiernum vulgus Europæum notat. quibus adde *Racha*, et *Belial* nomina contumeliæ in Scripturis nota. atqui hæc omnia à Patre Lato deriuari constat, vt supra ostensum. Aio enimuero, quòd in colonijs similia vitia olim extiterint, vel ob odia regionum inter se ferreo sæculo enata, propterea, vt fit, hæc in contumeliæ prouerbium cessisse, vti tota deinceps posteritas Iaphet in contemptum versa, eo quòd ad idola defluens, *Belo* siue Lato Patri, vti Deo cuidam, templa erexerit. Hinc idolum *Baal*, et *filii Belial*, vt idololatræ meritò apud veri Numinis cultores Hebræos malè audiere, sicut nunc Hebræi vicissim ob Mosaismum apud Beli filios. vt enim Latini innumera idola, & parentem Belum sub nominibus Beli, Saturni, Herculis Deo adæquarunt, sic modò Iudæi Moysem Christo vero Deo impiè, ac stultè præponunt.

CAPVT XXX.

1 Quam longæuus is *Princeps Latinus*?

2 Et *Sibylla* coniux, seu *Mater Carmentis*? vbi de *Sibyllis* & *Libris* earum certiora docentur.

1 VAriis colonijs, quà patet Europa, aliquando deductis, innumerisque laboribus ab Hercule Italo verè exantlatis, annus à Diluuio terrarum quingentesimus agitur, à natali Abrahæ circiter centesimus, atque vigesimus, & bis prope millesimus ante Christum natum, quem Iapheti morte, verisimile potiùs, quam verum secuti, funestare cogimur, ne is diuinitus dilatatus Parens imperio, posteris, & grandi ætate, vt credere par est, Semò fratre inferior obeat, cui sexcentos annos Scriptura largitur. ergo annus hic, vel quicunque alius, plane luctuosus, qui aureum sæculum in Latio terminat, argenteo, & ferreo subinde inducto, vt Poëtæ omnes, et prisci Historici verè cecinerunt. quamquam id etatis aurum, ante Iaphet obitum, vt fit in humanis, aduersa plurima sæpe infuscarint. Mors Noæ parentis, quæ iuxta Scripturam, anno mundi 2006 antea euenerat, iam inde à centum et viginti annis, aut eò circiter. Nam tribus sæculis atque dimidio, post diluuij aquas, ille antiquorum trisæclius Nestor, seu Noestor, in viuis moratus. His adde filiorum occasus, quando nulli homini post diluuium edito, quingentos annos Scriptura donarit. Nam et Semus frater filios, & nepotes Cainan, Arphaxad, et Sale vita functos luxit, vt ex sacris paginis certò colligitur. Pari ergo ætate (vt minimum)

Gen. 11. (margin)

Gen. 9. (margin)

fratri

fratri Iaphet concessa, multos filiorum, ac verius omnes Delphinos hæredes Pater amiserat. Fauet opinioni de Saturno fabula filios deuorante, quasi ætas prouectior Patris natos exedisset. Nam longæuum Iaphet præterea declarant Virgilij *longæuus* Iapix, Homeri *Iapetus dilatatus*, & ob longam vitam *Diis immortalibus similis*, tum *Saturni* nomen, quasi *annis Saturi*, *Bianora* insuper Italia vocata ab ανηρ, & βιος, quasi *viro viuaci*, qui hanc rexerit, et incoluerit. Adde prouerbium, *antiquior Iapeto*, per quod longa Iaphet ætas designata. Cumque à diluuio quidam generati homines, ad quingentos annos ferè peruenerint, quando contractior mortalium ætas, quidnam de hoc viro ante cataclismum nato sentiendum? porrò enim ab hoc *Lato* siue *Sana*, *Senum*, *Senii senectutis* nomina Latini duxere, vt a *Veet* veteris. Græci præterea antiquum seu Senem Αρχαιον dixere ab Αρχη seu *Arca*, quæ omnium hominum vetus in Europa, vt in toto orbe principium esset. Itaque iam senio fatiscens, laboribusque confectus, fato, quod singulos ab Adam procreatos manet, aliquando cedit. *M*oritur ergo Europæus Parens (vti quidem mori coniectura cogit) ætatis annum sexcentesimum agens, quo tempore Isaac Abrahæ proles non solùm enatus, sed facilè vicenus, atque sub id tempus, quo Nachori fratri, vt Scriptura testis, quaternos liberos *concubina Roma*, non sine magno fortassis tunc conditæ Vrbis, atque propagatæ mysterio, dederat. Patris Funus à nepotibus Latinis, vti credi par est, studiosè curatum. corpus Romæ conditum in Saturni Æde, apud ærarium, ad Capitolij radices, vbi Marforij effigies nuper visebatur. quemnam imperij successorem dixerit, incertum, sicut et plurima in hac vetustate. Id equidem constat, post plurimorum sæculorum hiatus, annuos Consules in Latio rexisse, qui quorsum, aut quando cæperint, præcisè haud liquet. Lex *Salica* (quam nos *Italicam* supra interpretati) si quidem lata à viuente Iaphet, quod verosimile, fæmineum sexum à regno arcebat, mares aduocabat. id certo certius, posthumam eius prolem fieri peiorem indies cæpisse, quod princeps amissus tantæ authoritatis. patriæ enim potestatis, ac reuerentiæ quasi rupto fræno

Aen. 12.

Gen. 11.

Gen. 22.

Protinus irrupit venæ peioris in æuum Met. 1.
Omne nefas, fugere pudor, verumque, fidesque.
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.

De eodem Saturno, qui primus in Latio regnauit, & degeneri post illum ætate, ita quoque Maro:

Aureaque (vt perhibent) illo sub Rege fuere
Sæcula, sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi,
Tum manus Ausonia, & gentes venere Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus Aen. 8.

Nam Italia, sicut Alemania, Hispania, & Gallia (*Saturni* Iaphet olim *tellus*, ac ditio) nomen in *Celticam* deinde commutauit, ac Latij partes positis nominibus pristinis, Longobardia à *Longis Barthis*, qui ad Balticum mare incolebant, Longadacia, seu Languedocia a *longe* distantibus *Dacis*, *Cimbrica* Chersonnesus à Cimmerijs populis, qui Cimbri appellati,

In Mar.o. Plutarcho teste, Thogormania, siue Germania, etiam Alemania dicta, à Thogormanis, Ascania item ab Ascanijs siue Asianis Aschenes, & Thogormę filijs. primi autem in Europa bellum consanguineis suis mouisse apparent, Getæ, Gothi, Cethij seu Cettij, & mollius Celtæ nominati, quos non malè *Ausoniam manum* Virgilius appellat, quia Cethim parens proles Ausonis, seu Latini Iaphet, & *gentes Sicanas*, quasi ab Italia sectas & diuisas, vel quod Latij hostes per Siculum Latus Latinos adorti. Nam ex Sacris paginis quoque colligitur, vt supra ostensum, Getas siue Celtas rerum vniuersa in Europa potitos, Celticam siue terram Cethim illam agnominasse. Sed præcipuè aureum huius sæculi metallum infecit, vt dira rubigo, idolorum cultus, qui à morte Iaphet in Europa cæpit. non enim Religio Principis, cui Deus locutus, impunè hoc nefas in filijs siue nepotibus Europæis tulisset. tametsi Asiam Semi portionem iampridem superstitio tentasset, atque corrupisset, vti ex Genesi colligere licet, id enim tyrannidi Nemroth eam occupantis, sanè tribuendum. quibus autem de causis postmodum eadem inuaserit Europam, altero de Theologia Sibyllina libro manet indagandum.

2. Nunc humato Patre, eius pariter coniux, & communis mater componenda restat, quam Iapheti Sororem & coniugem fuisse, supra docuimus, & Noæ parentis nurum simul & filiam, & Sibyllam Italam vaticino spiritu diuinitus afflatam, vt ex Sibyllinis, quæ circumferuntur, intelligi potest. Eam autem viro superstitem facimus, non quòd *Longæua Sacerdos* à Marone vocetur, à Nasone *Anus*, atq. *viuax*, aut veteri adagio *Sibyllæ ætas* pro vita diuturna iactetur (hæc enim cum marito Iaphet illi communia) verùm præcipuè, quòd *fabulæ doctæ* illi mille annos vitæ assignarint. quod neque à verò aborrens longissimè putarem, si centum, aut saltem quinquaginta demerent (nam quiduis Poëtæ nonnunquam, vel pro libidine, vel metri soliùs gratia, minuunt vel adaugent) quando parens Noa, Scriptura teste, quinquaginta supra nongentos annos expleuerit, frater Semus sexcentos. cuius ergo tanti prodigij fuerit, annos fraternis maiores, at patrijs minores, vel etiam paternos Sibyllam vixisse, ante diluuium, vt Patrem & fratres, quoque generatam, quo tempore nouem ferè sæcula viuēdo æquabant, imo superabant? esto, fabulosam longioris Sibyllinæ ætatis causam reputemus ab Ouidio allatam, vt quot corpora haberet, pulueris pugno comprehensi pugillus, tot annos vitæ beneficio diuino illa numeraret, an continuò etiam incredibile putamus, ad paternos annos filiam accessisse? vt verè de illis sibi a Deo datis senior iam diceret,

Met. 14.

Hos dedit ille mihi, sed iam felicior ætas
Ib *Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus,*
Quæ patienda diu est, nam iam mihi sæcula septem
Acta vides, superest . . . . .
Bis centum messes, bis centum musta videre?

vt vt sit, longæuam Sibyllam, diuq. marito superstitem haud temere credimus, doctis fabulis, cæterisque edocti. cum verò ibidem affirmat

Ib. *Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur,*
Si mea Virginitas Phœbo patuisset amanti.

per fabulam insinuat, *æterna luce*, seu vita in cælis donandos, qui Christum (qui Phœbus φῶς βίος vita lux) per fidem sponsum habuerint, per fidem

dem nempe, vt Apostolus ait, dilectione semper operantem. quam quidem fidem sibi defuisse fateri videtur, nisi ad fabulæ mendacium referas, quod et ego malim. sequitur vaticinium aliud quoque de se ipsa: Ib.

Tempus erit, cum de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet, consumptaque membra senecta
Ad minimum redigentur onus, nullique videnda.
Voce tamen noscar, vocem mihi fata relinquent.

Sed fabulosum istud oraculum, non equidem de Sibyllæ *membris tenuandis*, verum de *membranis* librorum illius, siue voluminum patet intelligendum, quæ olim quidem mole grandia & multiplicia sub Cæsaribus primis, & maiora etiam ante Syllam fuerunt, modo autem sic extenuata, vt Sibylla, hoc est, Sibyllini libri integri & pristina sua mole constantes nusquum compareant, sola *vox* eiusdem in quibusdam oraculis, quæ nomine eius circumferunt, & in Poëtarum, & historicorum quorumdam fabulis, adhuc audiatur. Itaque, si iuxta mysterium fabulæ, nongentos annos ei dederimus, viduam à coniugis morte per trecentos annos, aut circiter, permansisse oportet, & ad annum diluuij 800, septimum ante Moysem natum, vitam perduxisse, quando graui seruitute Hebræi in Ægypto gemebant. ob quam longam ætatem, Sibylla Europæa *multiplex* ab antiquis credita, cum vnica fuerit, vt iam monstrabimus. Delphicam enim, Erythræam, Cumanam, Tiburtinam, Phrygiam, Hellesponticam, Ponticam, atque Cimmeriam eamdem putamus, a Cumis, Tibure, & Latijs Erythris, vbi habitarit, ita nuncupatam, vt ab Hellesponto, Phrygia, Euxino Ponto, & Cimmerijs populis, per quos in Europam veniens olim nauigarit. Nam & Delphica dicta non à Græciæ ciuitate Delphis, vbi Apollinis sortes post redditæ, sed quod ipsa Δελφὺς siue vterus fuerit communis Europæ, seu Europæorum, propterea etiam *Matrem Carmentalem* hanc Delphicam Sibyllam Latini vocarunt, quasi vaticinis carminibus claram, quæ *Euandri* ab alijs *coniux*, ab alijs *Mater* appellatur, non falso commento. mater quidem *Euandri* seu εὐρέως ἀνδρὸς, quia populi *Lati* seu Latini Parens: coniux verò eiusdem, si pro singulari *bono* siue *Lato homine* Patre Latinorum, *Euandrum* vsurpes. Ideo enim etiam, *Erophyle* dicta, *Lati* nempe viri *amans* ab εὐρέος φιλέως. Hæc *Scythia Saga* Anniani Berosi, in qua post diluuium, mortale reparatum genus. Hæc *Pyrrha*, caius Deucalion coniux, quæ post tergum cum viro, λᾶς populos (Poëtarum lapides fabulosos) proiecit, vnde homines (durum genus) in Europa nati. Hæc quoque in fabulis *Medea*, quæ liberis in Ponto discerptis, seu inuicem abstractis, in Græciam & Latium profuga, alis nauium volarit. Ob hanc *vatem* classe vectam, *Argo vocalis* atque *fatidica*, quòd primos nautas siue Argonautas adhuc maris rudes, diuinis suis consilijs rexerit, vt sæpe iam dictum. *Virgo* autem sicut & *multiplex* à posteris habita, quod pluribus sæculis vidua, & sine marito vitam cælibem degens, à seris nepotibus visa, qui eamdem matrem (multò magis suam) ignorarent. Quòd verò eam fabulautur, Tarquinio Romanorum Regi suorum carminum libros obtulisse, & pretio negato, horum partem maximam igni tradidisse, residuis à Senatu postmodum grandi pecunia redemptis, atque conseruatis, fabulam illam quidem, verùm vaticinis mysterijs plenam credi par est, vt quæ nuntiaret, Sibyllina opera ad Romanum

Varro apud Luc. Iust. Mart. &c.

num Senatum, verè Tarquinium, quia dilatatum peruentura olim, vt ingens pretium, conuersionem eius ad Christum Sibylla auferret, sed in Idolorum cultu manentibus Romanis, sæpius Capitolio incenso, maxi-
Nic.l.c.17. mam partem libros exurendos, qui deinde grādi pecunia redēmpti, atque restituti, quamuis non in pristinam molem & integritatem, in fabulis quoque reponendum ducimus, quod veterum quidam inter Christianos de
In præf.an. Augusto scripsere, illi Christi Matrem filium sinu gerentem, in cælo ab *Sibylla* ostensam, quæ fabula indicat, vti doctissimè Baronius obseruat, à Cumanę versibus probè notis Augusto (qui eosdem vtpote repurgandos curasset) cælestem Infantem in vlnis Virginis illi præmonstratum. Porrò etymon Sibyllæ (iuxta Varronem) à σιος βουλή *Dei consilio* nēpe enunciando. Nā σιὸν Deum, qui nunc θεὸς, prisci appellarūt. Prætulerim aliud a *Sa* atque *Bala*, quasi sit *Latina* siue *dilaeata* de nomine coniugis dilatati Iaphet. nam in Scriptura per *terram Zabulon*, quasi *Sibyllinam*, Italiam mysticè nuncupari puto, quæ *magnam lucem* post Christum natum *visura*
Cic.de Di. l.1.et 2. *esset*, eumdem Christum in Eucharistia, Iam Sibyllæ carmen authoritatis apud Romanos tantum obtinuit, vt à Decemuiris in Capitolio cautè seruaretur, ne elabi posset, & nemo illam iniussu Senatus attingere auderet. Id promeruerat diuinatio futurorum certa in libris eiusdem contenta, quæ quidem Rempublicam Romanam spectabant. propterea Sibyllam Æneas apud Virgilium ita alloquitur:

Act.6. *Te quoque magna manent regnis penetralia nostris,*
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam, lectosque sacrabo
Alma viros, Antistites sacros, qui tua oracula seruent, et consulant, & interpretentur. Ex his porrò Sibyllæ folijs à multis perlectis fama percrebuit
L.1.de Diuinit. temporibus M. Ciceronis, naturam *Regem* orbi parturire, *quem Romani recipere deberent, si salui esse vellent*, cuius odio ille incitatus, in libros Sibyllæ debacchari audet, ipsisque diuinationem futurorum auferre molitur. Verùm quibqs argumentis? Futilibus omnnino, & quæ magis Rhetorem in vtramque partem quiduis disputantem & calumniantem, quàm tolerabilem Theologum sapiant. Sibyllam furentem sua carmina scripsis-
Ib. se: *Sibyllæ versus obseruamus, quos ilia furens fudisse dicitur*. abstractos autem à sensibus homines diuina sensa percipere haud posse, quod absurdum credat, *qui humanos sensus amiserit, vt diuinos sit is assecutus*. Illud quoq. adducit in eius contemptum, quòd *latebram obscuritatis quæsierit, hominum & temporum definitione sublata*. Atque hæc sunt ferè, vnde timidiùs atque reuerenter in hunc modum concludit: *Quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & conditam habeamus, vt id quod proditum est à maioribus, iniussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potiùs, quam suscipiendas religiones. cum antistibus agamus, vt quiduis potius ex illis libris, quam Regem proferant, quem Romæ posthac nec Dij, nec homines esse patientur*. Atqui Rex hic vniuersi et verus Augustus, inuitis Dijs, atque hominibus sub Augusto natus, quicum idem Tullius vixit, & à quo proscriptus. Igitur summo Oratori summa breuitate respondendum duco, quatenus ad defensionem Matris Europeæ ea conduxerit. Furentem Sibyllam Scripsisse contumelia est, & asserere nefas. Hæc enim ex vulgi errore opinio enata, quòd arreptitios,

Pytho-

Pythones, cæterosque malo spiritu afflatos, qui arcana quædam, & occulta proderent, furentes & quasi insanos vulgò aspicerent. Hinc furor Sibyllæ quoque diuinanti falsò attributus, quem *entheum* dixere. Hinc & Virgilius in fraudem inductus, qui Sibyllam, vt energumenam, sparsis comis, non vno vultu & colore, anhelo pectore atque tumescenti, bacchantem, spiritui afflanti validè renitentem, denique vt à prauo genio possessam depingit;

Deus, ecce Deus, cui talia fanti Aen. 6.
Ante fores subitò, non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei,

Et infra

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tantò magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Quæ quidem omnia rabido, furenti, et turbido Dæmoni, quasi tyrannicè hominem occupanti, non certe diuino, & suaui sapientiæ spiritui, hospitium mentis placidè incolenti, qui leniter Sibyllam, cæterosque homines Prophetas afflauit, conuenire apparet. Vnde hanc contumeliam insaniæ & furoris conijciendam in se persentiscens, his verbis apertè Sibylla depellit;

Sed cunctis denique factis, Oracul. l. 3.
Tunc recoletis me, neque dixerit amplius vllus
Insanam, magam, sed vatem Numinis alti.

Quod autem ad axioma Tullianum attinet, venia danda gentili Theologum agenti, qui abstractos à sensibus homines ineptos putarit, qui diuina caperent, ad quæ tunc maximè sunt accommodati, quando hoc maiori ratione vtantur, quò à concretione, & contagio sensuum longiùs sunt remoti. Nisi fortè D. Paulum in ecstasi & raptu in tertium cælum, sic extra se positum, vt se corpore absentem, aut præsentem nesciret; rationis vsu caruisse dicamus, aut diuina minùs cognouisse, cum arcana illa perciperet non homini loquenda, atque reuelanda. Sed quid afferenti responderet Tullius, lapides Christum posse sonare, Asinam voce humana loqui, infantem vtero matris clausum & ratiocinari, & præ gaudio salire? quid si etiam Dæmones scire potuisset, sensuum humanorum, vt corporis, expertes & assiduè furentes, astutia maxima sua moderari, etiam diuinare, non modò præsentia occulta, absentia, præterita, sed futura interdum, quando hæc à Deo ipsis reuelante aperire coguntur, vt in vmbra fatidica Samuel euenisse ferunt? Verum de his apud hominem minimè Christianum satis. Nam cum obscuritatem in Sibylla causatur, consuetudinem omnium Prophetarum inscius reprehendit, qui semper eo modo locuti. Adde quod necessum est, quæ nondum acciderint, obscuriora esse, quando prædicuntur, quæ vbi euenerint, clarissima demum sint apparitura. Quamquam nihil illa tanta obscuritas obstitit, quin Regem illum Sibyllinum, proximè aduenturum non modò agnoscerent Romani, sed & vni-

uersi

uersi ferè Europæi, vt ex historijs, ac Ecloga quarta Maronis elucet. Ex quo falsum intelligimus, quod Tullius sumebat, Sibyllam *homines & tempora minimè definire*. Vltima enim ætate venturum Christum, nouam progeniem de alto cælo Cumana prædixit, quod reapse contigit. Adde Romanos Cæsares, aut Senatum numquam exceptione illa obscuritatis, aut ambiguitatis aduersus Sibyllam vsos, quando illis pro Christo Rege ex eadem quid obiectum erat, sed obmutuisse, edictis illam vetuisse, imo legere detractasse, vt ex Aureliani Cæsaris epistola ad Senatum liquet. Sed cum ad extremum idem Tullius subdit, *potiùs ad deponendas, quam suscipiendas Religiones eamdem valere*, manifestè indicat idolorum cultū ab ea damnatum, qui summa Romanis religio tunc esset. Hactenus pro virili aduersus Romanæ eloquentiæ principem Sibylla defensa, restat de eadem vt nonnulla quæramus. Cur *antro* imprimis & *rupe Cumana* Virgilius *includat*, ad quam *viæ centum*, cum totidem *ostijs*, *quæ* suapte sponte et miraculo *pateant*? cur *inferis* & *lucis Auernis præfecta* asseratur? & *arborum folijs* suos versus *mandasse, quæ* ventis turbata, numquam pristino ordini *restitui* queant? quas eius *horrendas ambages* appellet? qui *librorum* numerus extiterit, etiam *Sibyllarum*? *quorsum* denique illas inter gentes Numen *afflauerit*? plurima enim scitu non indigna, Annalibus hisce proficua, inde hauriemus. Minimè ergò imprimis dubitandum arbitror, *Sibyllam* diuina rerum futurarum notitia grauidam, vbi vidua relicta, mortalium importunos cætus, sublimes cogitationes ferè turbantium, & idolis etiam deditorum, vehementius odisse, ideoque solitudinis amantem, in *Latus Euboicæ rupis*, quod in antrum ingens excisum erat, sese recepisse. Sed cur ad eamdem ibidem inclusam *centum aditus ducant*, cum totidem *ostiis*, quæ suapte sponte ad Æneæ præces patefiant, istud enimuero haud perinde liquet. Mysterium credo, vti supra quoque insinuatum, quod centum siue innumeræ Poëtarum fabulæ, tanquam viæ, & ostia quædam homines ad Sybillæ oracula iam magnam partem amissa deducant, quæ quidem diu ante clausæ, D. Petri Æneę meritis, ac precibus potiùs, quam vi vlla industriæ humanæ, recludi aliquando debeant, *vnde ruant totidem voces, responsa Sibyllæ*, vt ex ijs Christus nobis demonstretur. Ideo enim Poëtarum *fabulas* idem Petrus *doctas* appellauit, puta quòd *doctrina Sibyllarum* in ijs contenta, Christi potentiam atque maiestatem reddat manifestam, vti insinuat. sed cur *lucis Auernis* etiam *præposita* Sibylla? nisi vt *fata*, seu *effata*, vel oracula eius de varijs rebus, obscura, atque à nemine cognoscenda indicent, atque significent cuiusmodi ea sunt, quæ inferi occultāt, nisi tu eodem ab ea deducaris, hoc est, carminibus eius instruaris? Quæ quidem rara felicitas comite, ac duce Sibylla ad inferos illos descendendi, & omnibus clausa, & ignota fata, isthic cognoscendi, soli Heroi, ac Deo genito Aeneæ Petro concessa est, cum non quamuis arborem, sed *quercum ramo aureo insignem* idem Aeneas, seu eiusdem Petri Ecclesia inuenerit, quæ nunc ALXANDRO VII. regnante, Petri Successore, faustè apparuit. His cōformiter quoque Ouidius *fatorum tabulas* duro & solido adamante confectas in Inferis occultat, vti supra patuit. Iccirco ergo Sibylla *Inferorum præses*, iccirco *Lucis Auernis præposita* fingitur. Cur modò *foliis* sua carmina *inscribat*, vnde *folium Sibyllæ* adagio iactatum, facile enodatur, quan-

Aen. 6. | 2. Petri 1. | Aen. 6. | Met.

quandoquidem ex arborum truncis chartaceos libros sibi prisci pararent, vnde libri nomen, & caudicis siue codicis sumptum est. Quod autem *ventus à ianua prorumpens* ea folia sic turbet, vt postea digeri suo ordine nequeant, difficultatem haud modicam præbeat, nisi animaduertas, quod etiam supra obiter dictum, Sibyllam conscinna serie sua carminum folia, aut paginas olim distinxisse. Sed gentilium interpretum (qui vt ianuæ quadam ad eam fuere) prauo intellectu, quasi turbine quodam, tum varijs figmentis ita esse confusa, vt nullo labore omnia in pristinum locum, sedem, ac ordinem queant reuocari, vti Virgilius hocce apologo erudito confirmat. Iam Sibyllæ *horrendas* quas vocat *ambages*, ad horrenda Dei iudicia puto pertinere, quæ illa descripsit, ad horrendas inferorum pœnas, quæ omnes gentiles, atque infideles, imo Christianos non electos manent, & similia dogmata, quæ magnum horrorem incutere solent. Ideo hæc Poeta *obscura* vocare ibidem videtur, quia non perinde gentilibus, ac Romanis nota, atque illa, quæ temporalem Rempublicam spectarent, quæ hic *vera* appellat. De *numero* modò *voluminum Cumanæ*, nihil prorsus liquet, multò minus cæterarum, quarum oracula non tanto studio olim custodita. quamquam *multiplicia* vel mole *grandia* hinc fuisse colligas, quod grandi & *immani corpore* hanc Poetę fingant, Sibyllam metonymicos pro operibus eius supponendo. Quid de Sibyllinis quæ circumferuntur? verè Sibyllina? equidem talia esse apparent, quando Lactantij framentis in plerisque consonent, qui potuit Sibyllina tractare, vti Iouis Sacerdos in Capitolio, ante Christi fidem. quamquam illa etiam ex varijs oraculis collecta atque compilata, frequenter nullo ordine inuicem nexa videautur. Sunt paucula etiam gentilium inquinata fabellis, quæ puritatem Sibyllinam dedecent, vnde ab Ethnicis intrusa appareant, cum incenso Capitolio postmodum Sibyllini versus fuere instaurati. Quid ergo? an Sibyllæ *plures*? Aio enimuero, nam præter *Cumanam* variè appellatam, vt supra est dictum, *Asiatica* alia nobis admittenda, quæ etiam *Persica* & *Semia*, seu *Samia* dicta a marito *Semo*, non ab Vrbe in græcia *Samo*. Quibus tertiam *Lybicam*, quæ et *Aegyptia*, et *Aethyopica*, etiam adiūgimus, vt credatur et sit Sibyllina Trias, quę primos tres mundi colonos Semum, Cham, & Iaphet in sedibus suis collocarit. Nam cum Genesis asserat, à Turri, atque Vrbe Babel, quasi centro quodam, primos illos homines *à Domino in terras diuisos*, cumque satis præterea constet non *à Domino* externa specie eis apparente in colonias deductos, ministerio trium Sibyllarum factum oportuit, quemadmodum de Sibylla Itala, siue Europæa, oracula eius, historiæ, ac *doctæ fabulæ* supra demonstrarunt. Non enim absimilem aliarum sortem, ac felicitatem censere debemus, ne solius Iaphet diuinitus habita cura videatur, Sem et Cham neglectis. Ternarium numerum Sibyllarum confirmant tres earumdem statuæ quondam in Romano foro prope rostra locatæ, de quibus Plinius nobis audiendus: *Sibyllæ statuas iuxta rostra esse non miror, tres sint licet*, quis enim demiretur iuxta nauium Argus fatidicæ rostra, fatidicam matrem esse collocatam, eiusq. sorores, quando vaticinijs suis harum cursum rexerit? Tum Aristophanis Scholiastes in Auibus: *Tres*, inquit, *fuerunt Sibyllæ*. Quorsum denique consilia sua ee rebus futuris, ac ecclesia eius siue militante siue triumphante patefecerit Numen, præsertim

Marginal notes: Aen. 5 — Aen. 6. — Aen. 6. Met. 14. — Cap. 11. — Nat. Hist. 34. c. 5.

tim cum his oraculis impoſterum gentes (peruerſo horum intellectu) ad ſuperſtitionem eſſent abuſuræ, haud ardua quæſtio. vt Romani toto orbe regnaturi, cum cæteris gentibus, ſuauiùs, ac citiùs ſibi nuntiatum Chriſtum ſuſciperent, quem tot retrò ſæculis clariſſimè cernerent, à Sibyllis ſuis ſibi præmonſtratum. Adeo mira Deus pro ſuis quos præſciuit ab æterno, Romanis, cæteriſque electis patrauit, & tot ante ſæculis, quàm forē exorti! Sicut enim electorum commodo ſacratas Paginas hominibus indulſit, licet ad perniciem Hæreticos plurimos abuſuros cerneret, ſic & Sibyllina. Porrò à Sibyllis omnis antiquorum Romanorum, Græcorum, ac Europæorum, (vt de cæteris ſileam) de Chriſto, & Chriſti ſacris, & Eccleſiæ dogmatis Theologia profecta, ab his gentilium ritus Chriſtianis cōformes, ab his *doctæ fabulæ*, et Philoſophorum multiplex eruditio manant. quarum oraculis non rite perceptis, polytheiſmus, idololatria, & ſuperſtitio in Latium, Græciam, Europam, & aliò inuecta, vt ſupra probatum, nec non altero Libro vberiùs etiam diſputandum erit. Nunc quidem ad extremum etiam admonendum videtur. veriùs ad aliam quamlibet, quam ad Matrem Cumanam, ac Parentem noſtram, vitia illæ grauia pertinere videri, de quibus ſe in Sibyllinis Sibylla accuſat, nam aureum Iapheti in Latio ſæculum, & imperium prudens magnopere dedecent: *maritum neſcire, ſe proſtituere* (nempe nepotibus, quod inceſti crimen) *egentiores domo excludere*, cæteraque horum ſimilia. Sed & cum his moribus pugnant, qui *Erophilæ* nomen illi peperere, hoc eſt *Lati* viri *amantis*. Hactenus igitur de Sibyllis, occaſione noſtrę Europeæ Carmentis, ſat dictum, quæ Annales Latij ſua morte claudit. Ingens enim hiatus Hiſtoriæ Romanæ, ab eius obitu ad ALEXANDRVM Magnum, et deinceps ſequitur, vt ſupra probatum, vbi Romuli hiſtoriam, & Romanorum Regum fabuloſam oſtendimus, cum cæteris deinceps ad vſque Macedonicum bellum. Quam quidem iacturam in Barbaros Cethas ſiue Getas iure refuderis, quorum irruptio in omnem Europam ante dictum Alexandrum, cum hominibus, locis, & vrbibus annales primæuæ Italiæ perdidit, libris Sibyllinis tantummodo exceptis, qui ad Syllæ Dictatoris tempora incolumes venere, & nonnullis poematis Homeri atque Heſiodi cum aliorum Poetarum libris & Hiſtoricorum, qui fabulas ſcripſere, qui etiam ad nos tamquam fuga lapſi, peruenerunt, vt iam Sibyllinis magnam partem amiſſis, vox Sibyllæ tenuis in ijs incluſa, iuxta vaticinium ſupra recitatum, adhuc audiretur. Itaque Hiſtoria Romana primæua ducta ad vmbilicum, magnum operæ pretium futurum putarim, Chronologicam Tabulam illi ſubtexere, qua in cōpendio & velut ſynopſi eadem Hiſtoria ſummariè pateat. Vulgarem igitur, & rotundam (vt aiunt) Chronologiam ſecuti, ab orbe condito ad Chriſti aduentum, quatuor Chiliadas annorum (vulgò millenarios) fluxiſſe arbitramur, & cum Baronio in anno mundi quater milleſimo, & vigeſimo primo, Natalem Chriſti collocamus: quibus rite cognitis Chronologia ſequens cætera edocebit; quæ veterem in multis fabuloſam corriget, atque illuſtrabit.

CAPVT XXXI.

Ann. Orbis Conditi.

Chronologica Tabula Historiæ Romanæ, à Diluuio terrarum ad Christi Natalem.

DILVVIVM *terrarum*, cum Iaphet Europæ pares atque Romæ conditor centenarius esset. *Gen.9.* Is est antiquorum *Iapetus*, *Iphytus*, *Iphys* Argonauta, *Iapix*, *Iuppiter*, qui Europam in mare deuexit, *in Taurum*, id est, Tauricam translatus, *Deucalion*, *Saturnus*, *Hercules Argiuus*, & *Thebanus*, *Arion* inter suos Delphinas, *Pelops*, *Arcas Euander*, quia in *Arca* Noæa conclusus, *Oenothrus*, *Auson*, *Italus*, *Rex Aboriginum* &c. *Vide caput primum vsque vndecimum*. Tempus diluuium præcedens, à Censorino apud Varronem ἀδηλον nominatur, hoc est, non manifestum, ab α priuatiuo, & δηλόω. sequens autem ad Olympiadem primam 3246, Μυθικον, id est, fabulosum, quod fabulæ veriùs, quam verè res gestæ ab Historicis prophanis in eo afferantur. sed id fabulosum tempus longiùs pertinere, infra demonstramus. Statim à Diluuio *Sybillæ* tres, Semi, Chamí & Iapheti vxores, florere & sua vaticina carmina de rebus futuris atque præteritis, folijs siue libris mandare incipiũt, à quibus Gentiles instructi, ante diluuium acta cognouere, vti ortum Mũdi, Adæ creationem, peccatum, exilium nempe è Paradyso &c. etiam quæ Moysis historia siluit, Angelorum puta productionem in cælo Empyreo, perfidiam, lapsum, supplicium &c. plurima item de Christo, & Ecclesia eius. Ac Iapheti vxoris, seu Sibyllæ Italæ fatidici Libri, ad Syllæ Dictatoris tempora, sani & integri Romæ asseruantur. *Vide Promulsidem, Apparatum supra, cap.* 1.2.29.30. Anno 1656

His annorum interuallis, quæ à Diluuio ad Babelis molem inchoatam fluunt, *Iaphet* cum Parente, & fratribus *benedicitur à Deo*, & mãdatum accipit de *terra replenda*, Patrem item *Noam* fortuitò *nudum cooperit*, seque *dilatandum* præ cæteris fratribus (id est, Europæum fore, siue Patrem Latinorum seu dilatatorum) paterno vaticinio agnoscit. *Genes.9. Vide Appar. & cap.2.*

Nascitur *Phaleg* Semi nepos, sub quo terra diuiditur, Sibyllarum ope, diuino instinctu, vti fabula *Themidis* prisci tradiderunt. Non ante tamen in colonias discessum, quam Phaleg adulto, cæterisque, qui orbem diuisum incolere debebãt, quod Babylonio opere interrupto euenit. *Vide cap. 3.* 1788

Filij Noe *ex India Orientis profecti*, vbi hactenus cum Patre habitarant, *in campo Sennaar* sede fixa, *Babylonis Vrbem* atque *Turrim* construunt, quæ cælos pertingat qui insanus labor *Agon Olympicus* antiquorum fuit, quem Græci postmodum ludis celebrarunt. *Gygantum* idem *in Olympum pugna*, a quo terminato, *Olympiades* in Græcia cæpere, initio *Iphiti* (Iapheti) & *Herculis* dictæ. *Vide cap.3.* 1910

Babylonium opus diuinitus abruptum. Labium vniuersæ terræ vnum antea atque simplex (quod Hebræum erat) varium deinceps & multiplex effectum. Hinc *Latina Lingua* cum cæteris orta. Iaphet ad *Insulas gen-* 1930

 tium

tium occupandas, *Argo* classem adornat, ab *Arca* Parentis sic agnominatam. vnde fabulosi Argonautæ existunt, & Argonautica. *Vide cap.* 1.3.

1931 A Phaside Iaphet Argonauta *soluens*, Patri valedicit, & *Euxinum Pontum* primus ingreditur, & in *Taurica*, vnde *Turcæ* genus, filium *Gomerum* & nepotes *Ryphat*, *&* *Thogorma* collocat, vnde *Cimmerii* populi, *Ryphæi, Thogormani,* seu *Germani* orti, quod fabulis Iouis Europam per mare vehentis, in Taurum translati, Ius in bouem seu Taurum conuersæ, Iphigeniæ in Tauricam portatæ, Aquilæ Promethei iecur depascentis, lachrymæ Saturni, quam mare vocarunt, alijsque commentis Poëtæ monstrarunt. *vide cap.* 1. 2. 2.4.

In Bosphoro Thracio *Thyras* statuitur, vnde *Thraces*, quasi Thyraces, nati. in Asia minore, & ad Danubiũ *Ascenes*, *Cethim*, siue *Cythim*, *Madai*, & *Mosochus*, vnde Ascanij, & Germani *Aschenets*, *Getæ*, *Scythæ*, *Gothi*, *Daæ* siue *Dacæ*, *Moschi*, *Moscouitæ*, *Mysi*, *Moesi* &c. quod veteres compluribus fabulis necnon historijs, atque per discerptum in Ponto Euxino Absyrthum fratrem à Medea docent. *vide cap.*4.5.

1932 Græcia adhuc vacua, per *Elisam*, seu *Helisam* (vnde Hellas Græcia, atque Hellespontus) *Magog*, *Iauan*, *&* *Dodanim* repletur, vnde *Aeoles*, *Magnesii*, *Magedones* siue Macedones, qui *Mygdonij*, *Iones*, atque *Dodonæi* descendunt. Huc spectant fabulæ Helles Hellesponto submersæ, Arionis à Delphine vecti, Europę à Tauro in Cretam adductæ, Deucalionis cum Pyttha vxore λᾶς (populos, lapides) post tergum mittentis, & Pelopis vela facientis in Peloponnesum &c. *vide cap.6.*

1933 *Tharsis* atque *Thubal* in Hispanico freto ad Herculis colũnas ab Iaphet locantur, vnde *Tartessius* Tagus, atque *Tartessij* in Lusitania, *Abylæ* vel *Obylæ* incolæ de nomine Thubal, *Marochij*, *Fessani*, *Hispani*, *Hispalenses*, qui & *Seuillani*, quasi *Sibyllini* à matre *Sibylla*, Patris Iaphet coniuge &c. Hinc fabulæ de Herculis columnis, siue colonijs. *vide cap.*7.

Eodem anno circiter, à suis columnis in *Latium*, siue *Italiam* Iaphet *Hercules nauigat*, a quo populi *Itali*, atque de eiusdem vocabulo, *Latini*, qui etiam *Ausones*, *Opici*, *Iapyges*, *Aborigines* dicti, *Indigenæ* & *homines dura quercucati*, quia classe delati, & ab Arca, (in qua clausus parens, & eorum ductor) *Arcades*, *Aruntes*, *Arunci*, *Metapontini*, item *Lydi*, *Tusci*, *Tirrheni* in Delphines versi, &c. quod alijs innumeris fabulis, atque historijs olim adumbratum. *vide cap.v.*8.

1937 Romam idem parens *condit*, ac *dedicat*, mille circiter, ac trecentis annis ante falsum eius sub Romulo, atque Remo ortum. ab hac Vrbe condita, Latinorum *Aera*, *seu Epocha* incipit, nempe *Vrbis Conditæ*, Olympiadibus paululùm posterior, vti communiter Historici statuunt. fabulas de hac Vrbe condita, atque dedicata, *Vide cap.*1. 11. *Sibyillini codices* In Capitolio Romæ reponuntur. *Vide promulsidem & cap.*30.

2000 Sub hunc secundæ Chiliados exitum, *Babyloniorum*, seu *Assyriorum Monarchia* surgit, per Tyrannum Nemroth è genere Chami, qui Babylonem ad Semum spectantem inuadit, & Niniuem ad Assur, magno Noæ aui luctu, vnde fabula vulturis Promethei iecur arrodentis initium sumpsit. quæ Monarchia mille & trecentos fere annos tenet, vsque *Assarradonem*, quem *Sardanapalum* veterum infra ostendemus. *vide cap.*3.4.

Ter-

Tertia annorum Chilias, seu millenarius ab condito orbe hic incipit.

MORITVR parens Iapheti *Noe*, veterum *trisæclius Nestor*, seu *Noe-stor*, si quidem à diluuio sæcula eius numeraris. Nam annos nongentos atque quinquaginta (qui causam præbent *Nestoreis annis*) expleuerat moriens. is quoque *Prometheus* (Propheta per excellentiam) quia centum annis antea, mundi diluuium certò prædixerat. Malè illum quidam *Ianum bicipitem* esse suspicati, quem cum Ouidio *cæli Ianitorem*, Petrum ostendimus. *vide cap.*12 30. 2006

Nascitur Abraham Patriarcha, Antiquorum *Agenor*, *Cadmi*, & *Europæ* parens appellatus. *Vide cap.*32. vbi gesta fabulosa *Cadmi* amplè explanantur, & cur *primas in Græciam literas attulisse* credatur. filios autem Abrahæ *Isaacum*, & *Iacob*, ob vaticinia, quæ senio albi, seu cani fuderunt, paulò ante mortem, in *olores*, & *cygnos* Poetæ mutarunt, atque omnes poëtas, quia similiter vates seu vaticinia Sibyllina fabulis inuoluta canerent. *vide cap.*32. 2008

Sub Rege Salem Melchisedech, qui Abraham victori benè apprecatus, *Solyma*, antiquorum *Troia, & Ilium* iam stabat, quod *ter* ædificanda, *Troia* appellata, & *Ilium*, quòd *Ælia* ab *Aelio* Adriano Cæsare esset nuncupanda. ideo *Sacrum Ilium*, *Sacra ciuitas* à Poëtis sæpe nominatur. *Vide cap.*14.15.17. 2118

Sub hoc tempus, primæ Lati Patris coloniæ trans Alpes emissæ, *Alemaniam*, *Galliam* puta transalpinam, *Belgium*, *Britanniam*, & quasdam partes *Hispaniæ* adhuc vacuas occupant. Nomina item & tituli *Regum*, *Comitum*, *Ducum*, *Marchionum*, *Baronum*, atque similium, Vrbium item ac locorum in Europa incipiunt. *Vide cap.*9.10.28.29. 2119

Multæ *Iapheti proles*, & forsitan omnes ante Patrem obeunt, cui fabula Saturni filios deuorantis bellè suffragatur. *Vide cap.*30 2157

Moritur Vrbis Parens *Iaphet*, à Semo fratre ducta coniectura, nam in hunc annum mors eiusdem incidit. Iaphet aureum sæculum sua morte in Latio terminat. Idololatria, & plurima vitia cum bellis in Europam immigrant. Romanæ Historiæ hic ingens hiatus, non solùm ad Sibyllæ mortem, sed Macedonicum Bellum. nam quæ interea naerantur, esse fabulosa supra monstrauimus. *Vide cap.* 26. 30. 2158

Per id tempus *Getæ*, seu *Cetthei*, qui posteri Cettim, suis sedibus erumpunt & Europam vastant, quæ ab his *Celtica*, quasi *Cettica* vniuersè dicta, vnde *Italiam* & *Græciam*, *terram Cettim* deinceps Scriptura appellat, in quos quidem primorum Annalium Italiæ iacturam, & primordij Vrbis ignorationem iure refuderis. Id fabula *Zethæ* Argonautæ, cui pennæ creuerint in matura ætate, Poetæ enarrant. *Vide cap.*30.

Coniux Iapheti *moritur*, quæ præter cætera nomina, *Sibylla Itala*, *Cumana*, *Tiburtina* &c. appellata. *Delphica* item, quod Europæ vterus, siue Δελφύς esset. hæc item antiquorum *Pyrrha*, *et Medea*, *et mater Carmentis*. Dura seruitute oppressi Hebræi in Ægypto gemunt. *Vide cap.*30. 2458

Nascitur *Moyses*, priscorum *Musæus*, *Actæon*, *Amphion* fabulosus, & *Orpheus*. Actæon, quod *Ductor*, nempe Hebræorum, ab græco Ἄγω quod est, duco. cui, quod *Dianam* (nempe Diuinitatem) *nudam conspe-* 2466

xerit, ſint cornua enata & à ſuis canibus (Subditis Iſraelitis) qui murmurando ſæpiùs eum allatrabant, propterea dictus deuoratus, quòd in deſerto Arabiæ mortuus, nuſquam comparuit. Idem quoque *Amphion*, id eſt, *circum* idem deſertum *vadens* ab ἀμφι & ἰέναι, *cythara* ſeu diuina voce *lapides* ſeu duros Iudæos è deſerto mouens, *Theben* Paleſtinam *condidiſſe* creditus. Vnde & *Orpheus* ab eamdem cauſam, & quod eum flumina ad vocem ſecuta. alius tamen à *Thracio Orpheo*, vti libro 2. infra demonſtrandum. *Vide cap 3v.*

2500 Duce Moſe *Hebræi* ex Ægypto *migrant*, merſo Pharaone, qui *Amphiaraus* veterum, cum equis abſorptus. Amphiaraus autem, quaſi *Amenophis Phærbo*, quem vndis rubri maris ſepultum quidam tradidere. Hoc verò diluuium *Ogygium* Poetarum eſſe crediderim, ὠγω enim, vnde Ogygium, *aperio* ſignificat, quod *aperto* mari Ægyptij omnes perierint. *Iſraelitarum peregrinatio* in deſerto ſequitur, annis quadraginta, quam fabulis *Actæonis, Amphionis, Orphei*, nec non *Cadmi* cum ſocijs ſuis *expeditione* Poëtæ obſcurarunt. Huius enim *Socij à ſerpente* intereunt, ob plagam ſerpentum Hebræis immiſſam. *Serpentem* verò (Chriſtum à Moyſe hac forma exaltatum) grandi ſuo malo idem *Cadmus necat*, *in ſerpentem* ipſe, hoc eſt, Chriſtianum, poſt multos errores tandem *conuertendus*. Canonica Hiſtoria hic à Moyſe incipit, nondum orta prophana, quæ poſt Cyrum Perſarum Regem demum enata eſt, Quamquam Sibyllinæ Hiſtoriæ ante ipſas res geſtas miraculo cōſcriptæ, Moſaicos codices diu præceſſerint, vt ſupra monſtratum. *Vide cap. 26. 32.*

2508 *Legem* quoque iiſdem *in Sina* diuinitus *allatam*, cum fulmine atque tonitruo, inſinuat fabuloſa *Semele*, quæ eſt Ζεμη λαος, hoc eſt, Semi populus, Iacchi ſeu *Liberi*, Chriſti *Ioacæi*, atque mundum *liberantis mater*, qui ſub vini ſpecie latere debebat, *Iouis* ſeu Ieouæ ad ſe aduentantis, ob legem ferendam *fulminibus mortua*, quòd *lex* Moſaica ſine gratia Chriſti, *iram operetur*. *Vide cap. 32.*

2540 *Promiſſam* Hæbræi Paleſtinæ *terram* intrant & incolunt. hinc fabulæ *Cadmi* Thebas miraculo condentis, & *Sphyngis* ad eaſdem Thebas ænigmata ſua proponentis, atque occidentis, qui ſoluere nequirent. Iudices hiſce temporibus præeſſe in Iudæa incipiunt. *Vide cap. 32.*

2807 *Iephtes* Hebræorum Iudicis *immolata filia*, per *Iphigeniam*, quaſi Iaphtes filiam, ab Ιεφθ & γεννάω, *in Aulide* ſeu Aelide terra, hoc eſt, Solymæa, *in ceruam mutatam* bellè figuratur, quia in montibus paulò ante mortem, vt cerua, errarit. *Vide cap. 14. 15. 17.*

2825 Itaque hic falsò Chronologi ſub Iudice Hebræorum Abeſan, qui Iephte poſterior, *Troiæ Helleſponticæ excidium* ſtatuunt, de qua nunquam capta Dio Chryſoſtomus librum cōpoſuit, vbi omnem eius hiſtoriam poeticè probat eſſe confictam. falsò itaque ſecutos *Vlyſſis errores* hic ponunt, & *Aeneam in Latium* inde *nauigantem*, *Antenorem in Illyrim tendentem*, *bella in Latio* ob Lauiniæ nuptias, *Albam* demum *conditam*, cum *Regum Albanorum ſerie*, omnia, vt Liuius teſtatur, *Poetarum magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis*, quæ quid ſibi velint cum fabuloſo exitio *Troiæ*, *Vide cap.* 13. 14. 15. vſque ad 22.

Falſus item ſub hoc tempus *Pythagoræ in Italiam aduentus*, fabulam autem illam *cap.* 25. explanatam habes.

Ve-

Verùm ſub hoc Tempus *Homerus* atque *Heſiodus*,conſtitui debent,qui de pluribus Sibyllæ oraculis fabulosè ſcripſere. *Vide Promuls*. et *cap.* 13. vſque ad 22.

Poſt Iudices, *Saul, Dauid, Salomon*, in Iudæa regnant.

Templum Salomonis *in Solyma extructum* per *ſacram Troiæ Arcem*, *et Diuorum Domum*, ſanctum verò ſanctorum, per *Adytum* in eadem Arte, quod ingredi nefas, ſignificauere. *Vide cap.*14.17. 3000

Incipit quarta mundi Chilias ante Chriſtum Natum.

SVB Roboam filio Salomonis *Regnum* Hebræorum cæptum diſcerpitur in *Iudæ Reges* atque *Iſraelis*, quos per longam ſeriem Regum Troianorum Poëtæ quamuis obſcurius deſcribunt. 3020

Prophetæ atquæ *Prophetia* ſub Regibus clarent,quos per *Tireſiam* à *Tare* Patre Abrahami ita nominatum,*Eueri* puta *Heberis* prolem,*Chalcantem* ſeu æreum,ob immutabilia diuina decreta,*Caſſandram*,quę eſt,homo propheta, ab ἀνδρὸς & *Coſen* hebræo, ingeniosè ſuo more indicant, qui de Troiæ Solymæ excidio vtroque multa vaticinantur. *Vide cap* 15.17.

Sub *Achabo* Rege *Helias* clareſcit,quem ijdem *Phaetonta* finxere atque *Solis filium* teſte Chryſoſtomo, ob nomen Heliæ Ἥλιος cognatum. qui quod curru igneo & equis translatus, Patris Solis currum aſcendiſſe fertur. *Vide Promulus*.

Hiſtoria *Ionæ* à ceto abſorpti atque liberati ad hoc tempus ſpectat, quā per filiam Dercetes pennas aſſumentem Ouidius deſcribit. *Vide Promuls*. 3212

Olympiadum Græciæ *initium* hic non verè ſtatuunt, quæ ab Vrbis Babel opere impedito, ſeu ab Olympico terminato Agone principium ſumunt, vt ſupra indicatum. Cenſorinus apud M. Varronem totum tempus hactenus à diluuio fluens, fabuloſum ſiue Mythicum vocat, quod fabulas potiùs, quàm res verè geſtas prophana in eo Hiſtoria enarret. quod verò deinceps ſequetur, Hiſtoricum, ob veram hiſtoriam ait nominādum, verùm fabuloſum tempus, ad Cyrum Perſarum Regem extendendum eſſe, ſat demonſtrauimus. *Vide cap.*3.26 3246

Falſus Romæ ortus per Romulum et Remum, quos Petrum et Paulum, Romanæ Eccleſiæ, non Vrbis, authores à Sibylla prædictos,prope ad nauſeam ſupra probauimus. fabuloſi item Reges, qui Romulo ſuccedunt. *Vide cap.*24.25. & Teſtimonia vetera & Noua ante Apparatum. 3272

Sub hoc tempus Romæ falsò conditæ, *Aſſyriorum Monarchia ruit*, a Medis Satrapis, & Babylonijs, alijſque diſcerpta, ſub *Aſſaradone* eius vltimo Monarcha, qui *Sardanapalus*, ab *Aſſar* ſiue *Sar*, et *Adon*, et præterea *Bala* vocabulo conflato, quæ quidem vox triplex *ampliſſimum Dominum* hebraicè ſonat.

Primum atque verum *excidium Troiæ*, ſeu *Ilii*, quod eſt, *Aeliæ Solymæ* per Babylonium,quod cum altero & ſupremo ſub Veſpaſiano Poëtæ confundunt, librorum Sibyllæ prauo intellectu. illud enim duplex in Sibylla lectum, Iliados Homeri, atque Odiſſeæ, nec non Aeneidos, atque aliorum operum, ſiue poematum principium dedit. *Vide cap.*13 vſque 22. 3430

Cyrus Rex Perſarum cum Dario Medo *Babylonem euertit*, victo Rege 3500

Bal-

Baltassar, vnde et *Persarum Monarchia* oritur, sub quibus prophanorum Historicorum, qui quidem nunc extant, primus *Herodotus* floret, natione græcus, qui quidem nullam adhuc Romanorum mentionem fecit. hunc secuti *Xenophon*, qui de Cyro minore scripsit, atque *Thucydides*. Hinc igitur historicum tempus Censorini incipit. etenim ante Cyrum historia prophana aut sæpius silet, aut verò balbutit, aut quidquid perfectiùs enarrat, multiplici velo fabularum obtendit. *Vide cap.26.*

3515 Hoc anno V.C.243. duo annui Consules exactis Regibus Romæ deinceps imperasse finguntur aduersus Scripturam, quæ 150. annis fere post Alexandrum Magnum, vnicum Romæ annuum Consulem designatum notat. *Vide cap.25.*

Sub *Artaxerxe Solymæa Troia instauratur*, diuino instinctu, vt Scriptura testis, vnde *Neptunia Troia* à Neptuno seu Pneptuno, hoc est, Spiritu Sancto conditore, qui super aquas initio orbis, vti Deus maris, equitauit, ex quo de Neptuno fabulæ. *Vide cap.14.15.*

In hoc interuallum à Cyro ad obitum Alexãdri Magni duo sæcula complectens, pręcipua Græcorum siue Poetarum, seu Philosophorum, seu Historicorum eruditio erupit. ad cuius calcem *Plato*, et *Aristoteles* eiusdem Auditor, cum cæteris Supparibus, locandi. Quod autem ad Græcos Historicos attinet, vetustatem atque veritatem ab his ignoratam, ac planè neglectam F. Iosephus testatur, vnde Græci quasi semper pueri à grauissimis viris olim castigati. De his item Iuuenalis: *quidquid Græcia mendax narrat in historia. Vide cap.26.*

3635 Romam hic à Gallis captam fabulantur. *Vide cap.26.*

3694 Alexander Darium vltimum Persarum Monarcham ad Arbelam cædit. Vnde *Regni Græcorum*, de quo in Machabæis, Epocha inchoatur, anno V.C. 422.

3700 *Moritur Alexander Magnus* Persicæ Monarchiæ Dario Principe superato euersor, qui quòd Solymam victor pacificè intrarit, per *Paridis Troiani*, quem ideo etiam *Alexandrum* vocant, *triumphalem ingressum* a Poetis cantatus. Porrò nullum adhuc temporis Alexandri æqualem Scriptorem Romanum T. Liuius affirmat, post quadringentos et amplius annos Vrbis falsò conditæ, ex quo de veritate rerum, quas tunc accidisse narrant, nullo prorsus authore horum temporum æquali, prudens lector ęstimet.

Alexandro mortuo, Lagidę siue Ptolomæi in Ægyto regnant, Seleucidæ in Asia, &c.

3746 Romanorum de *Pyrrho* fabulosus *triumphus*, quidnam sibi velit, *Vide cap.26.*

3752 Sub Ptolomæo Philadelpho *sacræ Literæ* Hebrææ, opera 72. Interpretum, in Græcum idioma *vertuntur*. Itaque non ante hoc tempus Græci & Latini sacras paginas legere, aut ijs contenta, perfectius nosse potuerunt.

3762 *Primum Punicum* bellum fabulosum hic statuunt. *Vide cap 26.*

3807 Alterum *Punicum* bellum quoque fabulosum, cuius loco *Macedonicum* cum Philippo Rege, & deinceps eius filio Perse, statuendum. vnde *Romanæ historiæ* demum *incipit* veritas (si Chronologiam, atque Consulares fastos exceperis) & *fabula* magnam partem *desinit. Vide cap.26.*

Annus

Annus 151 *Regni Græcorum*, de quo in Machabæis, quando Romani tum in Occidente, tum in Oriente, ac prope vniuerso orbe rerum potiebantur. Hoc tempore annuus adhuc Romæ Consul vnus erat, eadem Scriptura teste. *Vide cap.26.* 3845

Tertium Punicum bellum. verius Carthaginense, hic locant, quo deleta Carthago, hoc tempore *Ennius*, nec non *Polybius* scriptor Romanæ Historiæ florent. *vide cap. 26.* 3876

Cimmerij, seu *Cimbri* a *Mario* funduntur, & trophæa ei eriguntur, quæ in Capitolio *h*odie visere est. Eadem barbarorum colluuies cum Getis alijsque commixta, sub tempora Honorij Cæsaris, iterum, ac sæpius effusa, Romam & Romanum Imperium vastauit. *Vide cap.26.* 3920

Dictatura Syllæ, quando Capitolio incenso, *Sibyllini Libri* primùm conflagrarunt. Sed post restituti, quamuis non in pristinam molem, & integritatem, sub Honorio incensa Vrbe ita intereunt, vt soli Sibyllini cineres, seu quædam fragmenta, etiamnum supersint. *Vide promuls.& cap.* 30. 3940

C. Iulius Cæsar deuicto Pompeio Romanum Imperium inchoat. Sub hoc *M. Varro* rerum Romanarum grauissimus scriptor, *Crispus Sallustius*, *Cicero*, *Virgilius*, *Horatius &c.* 397-

Post cędem Cæsaris, & Triumuiratum *Octauius Augustus* in Imperio succedens, quartam, & vltimam Chiliadem annorum ab condito orbe feliciter concludit, quæ est vltima ætas Cumanæ Sibyllæ, qua quidem elapsa, noua progenies Christus alto cælo demittendus erat. Eo imperante *Strabo*, *Diodorus Siculus*, *Dionysius Halicarnassæus*, *T. Liuius*, *Ouidius* de Romanæ Vrbis primordijs scribunt, proximè ante Christum natū. cæteri autem post eumdem, *Plutarchus*, *Plinius*, *Florus*, *Cornelius Tacitus*, & reliqua scribentium turma. 4000

Nascitur tandem *Christus* Homo Deus, sub quo & deinceps fabulæ omnes euenere, quæ toto hoc libro (præter supradictas) passim exponuntur. Hic enim antiquorum *Iesus* seu *Iasius*, *Iason*, *Hesus*, *Theseus*, tantum non *Iesus*, *Alcides*, seu *Hercules*, *Iuppiter*, *Iouis*, quòd *Ieoua*, cuius *Creta* patria falsò æstimata, quod *Christus* vocandus, quæ vox in Sibylla lecta a Κρης seu *Cretæo* non multùm abludit. *Magnum* idem *Iouis Incrementum* dictus, quod Patris Ieouæ æterna sit proles. *Mars* idem & *Mauors* atque græcè Αρης quasi Mariæus, Mariæ filius, *Apollo* seu *Phœbus*, *Mercurius Maia* seu Maria genitus, *Iacchus*, seu *Bacchus*, quia Ioachæus, *Liber & Lyæus*, quòd Mundi Redemptor atque Liberator, sub vini specie olim occultandus. Idem *Aesculapius*, *Cupido*, seu diuinus Amor, *Hyppolitus*, *Virbius*, *Achilles*, *Anchises*, *Daphnis*, *Adonis*, quasi Adonai, *Narcissus*, quia Nazarenus, seu floridus vocandus, *Oedipus*, quia crucifixus, &c. Quibus autem vocabulis Diuinitatem eius vates expresserint, toto hoc libro passim & altero vberiùs, eodem fauente, cernes explicatum. Ex quo sanè liqueat, antiquorum *fabulas* verissimè ab Apostolo Petro *doctas* appellari. 4021

CA-

CAPVT XXXII.

Residuæ Quæstiones, quæ ad Latij & Europæ Annales quadamtenus spectant.

PLutarchum imitatus, qui de Romanis rebus plurimas quæstiones instituit, ad hanc calcem libri easdem conieci, ne ordinem rerum nimium abrupissent, superioribus adiunctæ. itaque de Italia primum quærendum occurrit:

1 *Cur Virbium quemdam ab inferis excitatum, in Aricinæ Dianæ* Italo *nemore latitare ferant?*

Virbium igitur *secretò* atque *nube tectum* in Italia latentem, postquam ab inferis fuerat excitatus, nemo non Christum esse dixerit, qui quod à morte olim rediuiuus, *bis vir* seu *Virbius* hic agnominetur. Is enim, Metc. 15. quod de Virbio narrant, ad inferos descendente, vidit quoque *luce carentia regna*. Sed *medicamine valido & fortibus herbis*, ope Pæonia, hoc est, Creatoris, à Ποιῶ fingo, *Dite* seu Dæmone *indignante*, vitam recuperat, & *nubibus densis* specierum panis atque vini, a *Diana* seu Diuinitate ita coopertus, vt *nec cognoscenda ora* præ se ferat, ætatem diuturnam *viuit*. *Et* patria Iudæa relicta, Lucos *Aricinos* seu Templa Latina incolit, cæmeteriorum Ib. arboribus, vt luci, inumbrata, idque beneficio, & *sub nomine Dianæ*, seu Diuinitatis. Hunc autem *minorem Deum* Ouidius vocat, quod humanitate, quam assumpsit, minor, Patrem Deum se maiorem habeat. o docta fabula! Sed cur is Virbius *filius Thesei*, ac etiam *Hyppolytus* dicitur? Mysterium quoque id innuit. illum enim Virbium sic latentem Iesus, antiquorum *Theseus*, tanquam Pater quidam progenuit, quando Eucharistiam sacram instituit. Quòd verò illum Apostoli, tanquam equi quidam à *Neptuno* seu Pneptuno Spiritu Sancto incitati, sacrificijs suis in varias orbis partes distraxerint, & in plures hostias, siue hostiarum etiam particulas olim diuiserint, ab ὑππος & λύω, quasi equis in partes solutus, *Hyppolytus* dicitur. Qui quidem id passus, ob nimium amorem suæ *Phædræ* nouercæ, Ecclesiæ Gentilis, quæ *Phædra*, quasi Petra dicta, hoc est, *Romana* siue *dilatata*. Atque hæc fabula antiquis Tragædis argumentum præbuit, in quo parens *Theseus* distracta Hyppolyti *membra*, & deartuata, rursum Ad Aen. inuicem iungit, quod Christus pluribus quasi hostijs diuisus, vnum totum & integrum sese quasi reficiat in Eucharistia. Rectè quoque Seruius a quibusdam ait Virbium *Solem* existimari, ob solem iustitiæ Christum orbe Eucharistico inclusum, cuius propterea fas non esse dicant *simulachrum tangere, quod nec sol tangatur*, veriori causa, quod prophanis aut Laicis manibus istud Sacramentum nefas attrectari, de quo à Sibylla veteres fuerunt edocti, vti de reliquis, quæ mox explanantur.

2 *Quamobrem Romani in eodem Aricino Nemore, Seruum quemdam fugitiuum, qui priorem alium interemisset, continua serie, Sacerdotem ac Regem creabant?*

Ant. Rom. l. 5. De hoc barbaro ludicro Strabo audiendus: *Barbaricus ac Scitbicus mos apud id Templum* (Dianæ Aricinæ) *obtinet. profugus quippe constituitur*

Sacer-

Sacerdos, qui priorem Sacerdotem sua trucidauerit manu, strictoque semper gladio paratus ad insultus propulsandos circumspicit. de hoc & Suetonius: *Nullus tam abiectæ conditionis, tamque extremæ sortis fuit, cuius non commodis* (Caius) *obtrectaret. Nemorensi Regi, quod multos iam annos potiretur Sacerdotio, validiorem aduersarium subornauit.* In Caio c. 35.
Item Ouidius

> *Vallis Aricinæ, Sylua præcinctus acuta* Fast 3.
> *Est lacus, antiqua Religione Sacer.*
> *Regna tenent manibus fortes, pedibusque fugaces,*
> *Et perit exemplo postmodo quisque suo.*

Et aliàs

> *Ecce suburbanæ Templum nemorale Dianæ,*
> *Partaque per gladios regna nocente manu.*

Hunc igitur morem liquet ob Sibyllam institutum esse, quæ Romæ Sacerdotes Reges (regalè enim Sacerdotium vocatur) seruos seruorum Dei, Pontifices Summos, qui Dianæ, hoc est, Trinitati seu Diuinitati sacrificium offerrent, violenta morte ob Christum perpessa, quamplurimos inuicem successuros canebat. Itaque Romani regium nomen formidantes, hoc commentum ludicrum excogitauere, quo oraculi sortem adimpleri stultè crediderunt.

Cur Taurica sacra, in quibus hospites immolari solerent, in eamdem Ariciam translata esse fabulantur, & quinam Pylades & Orestes, qui ab Iphigenia Sorore in iisdem agniti, atque liberati, clam communi naui in patriam fugere? 3

Nam hanc fabulam Hyginus in Mythologicis, & commentator Virgilij Seruius ex Hygino refert. Sed nemo Ouidio elegantius in Tristibus, & De Ponto scribens. Taurica igitur sacra Dianæ fieri consueta, Tauricorum seu Turcorum feram consuetudinem supra intepretati sumus, qui hospites, siue peregrinos Christianos captiuos, suæ Lunæ, vel Dianæ quasi sacrificant, dum eos ibidem, vsque ad mortem detinent, & sæpius necant, vita temporali & spirituali nonnumquam ablata, cum Maometismum profiteri cogunt. Sed quia barbarum hunc morem idololatræ Romani olim superare deberent, & tribus sæculis, peregrinæ, hoc est, Christianę Iudæa allatæ religionis ac fidei homines, Dianæ ac Iouis simulachris summa sæuitia atque inauditis supplicijs, vt victimas quasdam immolare, propterea hæc Taurica sacra in Latium seu Ariciam translata, quæ suo nomine terram *dilatatam* sonat, docta fabula cecinit. præterquam quod in Sylua Aricina Diana ab his coleretur. *Pyladis* insuper & *Orestis* commentum ac *Iphigeniæ* ad eosdem Italos seu Romanos spectat, qui in his nefandis & Tauricis sacris, Petrum *Pyladem*, hoc est, cæli ianitorem a Πυλη ianua sic agnominatum, & amicum eius indiuiduum *Orestem* Paulum, Vas electum & prædestinatum à verbo ὀρίζειν, nefariè mactarunt, idque *Iphigeniæ* sororis manu, nam *Iapheti* Romani Italia *proles*, quæ *Iphigenia*, postmodum Petri atque Pauli *Soror* per fidem effecta. At fabula, inquies, eos *liberatos*, non mactatos ait. Equidem *liberatos*, sed corporis vinculis, sed mortalitate, morte propter Christum piè tolerata. cur ergo hos eadem soror agnouisse fertur, atque in patriam simul nauigasse? quod *Iphigenia* (*Iapheti*, non *Iephtes* filia in ceruam mutata, de

Margin notes: cap. 26. ad Aen. l. 2. — lib. 1. & 4. — lib. 3. & 2

qua ſupra dictum, nam id cautè diſtinguendum, quod fabula confundit) per fidem ſuſceptam horum ſoror facta, poſt fratres agnorit, idque per *literas*, puta, Sibyllinas, atque *colloquium*, Verbi Euangelici: ſed poſt libertatem à corporum vinculis, vti mox eſt dictum, & communi cum eis Eccleſiæ naui, clàm idololatris, ad patriam cæleſtem iter rapuerit. At enim *Oreſtem* Matris homicidam ferunt, ac ideo furijs agitatum multis Græciæ locis oberraſſe. Et id veriſſimè. Nam Paulus ſpirans minarum & cædis ad Hieroſolymam, Eccleſiam Matrem enecabat, Chriſtum perſequendo. ob cuius conſcientiam ſceleris, poſtmodum tot labores paſſus, tot Græciæ locis, alijſque ob eamdem Eccleſiam Matrem propagandam oberrans, crimen expiarit. Specialiter etiam Petrus atque Paulus Dianæ deuoti (quam triplici ore antiqui pingebant) ac oblati finguntur, quod *Tergemina* porta ad ſupplicium egreſſi, & ante *Trinitatis* aram & ſacellum, quod poſtea conſtructum, verberibus cęſi, quòd denique ad Fanum Dianæ Paulus obtrūcatus, vbi & fons triplex eiuſdem Symbolum Trinitatis emerſit. Quod etiam Lacones à Sibylla inſtructi, ſacrificio alio quondam præcinebant, vnde ad eoſdem Dianam translatam quoque fabulantur, de quo quidem Seruius: *Cum Romanis ſacrorum* (Dianæ) *crudelitas diſpliceret, quamquam ſerui immolarentur, ad Laconas eſt Diana transſlata, vbi Sacrificij conſuetudo adoleſcentum verberibus ſeruabatur, qui vocabrntur* βωμονικαι, *quia aris ſuperpoſiti contendebant, quis plura poſſet verbera ſuſtinere.* Inde igitur Pyladis & Oreſtis contentio & certamen enatum, vel ad plura verbera pro Chriſto ferenda, vel ob crucis ſupplicium, quam auidiſſime etiam Paulus ambiebat. Sed cur cum ijſdem *Iphigenia* ſoror ſimulàchrum Dianæ dicitur abſtuliſſe, & in in meliora loca tranſtuliſſe, vt ijdem Poetæ referunt? niſi quod Dianæ Idolum Romæ, ac Romano Imperio eripuerint, & melius illo Trinitatis ſignum atque Sacramentum in meliora & Chriſto vero Deo ſacra Templa intulerint. quam quidem Dianam *faſcelidem* vocarunt, & *in faſce lignorum abſconditam* propterea dixere, in quo vnum vinculum Naturæ vnitatem, plura autem ligna Perſonas plures repræſentarent, vt de Trinitate fuerant à Sibylla edocti. Cur igitur, inquies, poſtmodum Chriſtiani ſimulachrum Dianę, cum cæteris euerterunt, ſi id Trinitatis ac Diuinitatis aliquod ſignum fuit? quia vt ſignum mendax, & plurimis mendacijs ſcatēs, ab Gentilibus Sibyllam malè aſſecutis, fuerat inſtitutū. Nam idolum ligno, ære, auro, aliaue materia conſtans, aut apud eoſdem Diuinitas erat, de quo quidem Scriptura tum vetus, tum noua ſæpe conqueritur. aut ſanè apud quoſdam magis ſapientes, Numinis effigies quædam, quod nullum, atque falſum erat. exempli cauſa, Dianæ idolum, mulierem mortalem exprimebat, quæ olim in terris vixiſſet, quæ cum pluribus alijs Dijs ac Deabus diuinitatem eſſet aſſecuta, cum alijs mendacijs ac blaſphemijs pluribus, quę Diuinitatē ipſam interimunt. Vnde ſapienter Apoſtolus *Idolum nihil eſſe* definit, tum in ſe *formaliter*, vti ſchola loquitur, tum etiam *obiectiuæ*, quòd nullum Numen repræſentet. At ſi Iudæorum ritus atque Sacramenta diuinitus olim etiam inſtituta, ideo modò reproba, quod Meſſiam venturum mendaciter figurent, qui modò aduenit, quantò magis idola damnanda atque euertenda, quæ tot mendacijs, ijſque fœdiſſimis, ac diuina prorſus maieſtate indignis

olim

olim laborabant? verum de hoc argumento, libro altero fusius. Nunc quærendum superest, cur Orestis *ossa Romam ab Aricia translata*, & con-*dita* ante Templum Saturni ad Capitolium, quoque tradiderint? quod Orestis Pauli non solùm ossa, sed carnem & neruos, hoc est, totum corpus in Mamertino carcere ante ædem Saturni abscondi oporteret, & custodiæ mandari. Nam et eiusdem festum celebrandum docta fabula prædixit, de quo apud Euripidem eidem Oresti sic Minerua loquitur: Seruius ib.

Et hanc legem pone, quando populus celebrabit festum In Iphig.
Tuæ à cæde liberationis, admoueat ensem
Ad viri ceruicem, & sanguinem eliciat,
Propter sacratam Deam, vt honores habeat, nempe diuinitas, quod in eius honorem mortem oppetieris.

Quid amici Nysus & Euryalus à Latinis cæsi sibi volunt, & mutui amoris pro morte obeunda certamen? 4

Nam Virgilius id totum descripsit. *Nysus* itaque *Christus* floridus siue Nazarenus, ab hebræo *Nitsa*, quod est floris nomen. *Euryalus* autem, vti nomen εὐρὺς, hoc est, *Lati* indicat, *Romanus* nempe Christianus, qui ambo à Latinis idololatris cæsi. *Nysus* quidem ad Solymam, pro Euryalo amico redimendo ab æterna morte, *Euryalus* autem in toto imperio Romano per trecentos annos martyrio affectus ob Christum *Nysum*, siue Nazarenum suum Redemptorem. Ap.

Cur Curtio equite in lacu absorpto, voraginem infernalem in foro Romano clausam fabulantur? 5

Quòd post Mezentium Tyrannum cum equo Tyberis lacu haustum, tempore Constantini, cum vorago ingens & gurges quasi infernalis hians in Romano foro adhuc appareret, vbi modo D. Virginis Templum *à pœnis inferni liberantis* dictæ, vti inscriptio ibidem affixa testatur, atque isthic Draco innumeros ciues adhuc idololatras pestifero halitu suo enecaret, ob eum placandum Vestales Virgines, in eius specum cibos conijciebant, & de sacrificio insuper illi offerendo deliberatum est. Quam superstitionem non ferens Syluester summus tum Pontifex, ad Draconis antrum & foueam cum Clero descendens, eidem fauces obligauit, & foueam illam pestiferam obstruxit. Vnde de gurgite occluso in Romano foro, vbi *Curtium Lacum* etiam hodie recepta opinio statuit, est enata fabula. Ac Draconis historiam quidem Cæsar Constantinus Epistola missa Episcopis confirmat, & cum eo alij quāplurimi authores. Fabulam autem huius vaticinam Propertius ante natum Christum hoc modo describit, nisi quod pro Roma Lanuuium statuat, commune nomen *dilatatæ* cum Roma sortitum: Isid. in dec. Pat. Vincē tius spec. hist. p. 2. Antonin. hist. vniuers. p. 2. Metaph. in vita Sylu.

Lanuuium annosi vetus est tutela Draconis l. 4 el. 8.
Hic vbi Tartareæ non perit ira moræ.
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetrat Virgo, tale iter omne caue.
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum temere anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas à Virgine corripit escas,

Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque Agricolæ: fertilis annus erit.

Hist. Anim lib. 11. Quod enim in Romana Vrbe, quæ nomen *dilatatæ* gerit, vti sæpe dictum hoc portentum euenturum esset, per *Lanuuium* forsitan, quod similiter *dilatatam* sonat, *La* atque *Naba*, a Sibylla expresserit Romani, vnde Lanuuini crediderint id apud se gestum, iuxta Propertij carmen, atque illud Æliani; *Apud Lanuuium Latij oppidum sacer est lucus. in luco verò antrum est amplum ac profundum, quod Draconis est cubile*. Sed cum Propertius sciret, Vestales Virgines, quæ Draconem pascerent, nequaquam Lanuuij, verùm Romæ esse, pro his Vestalibus *puellas Virgines* et *castas* substituit. *casta* autem *Virgo eo penetrans et rediens*, vti scribit, *in colla parentum*, S. Syluestrum fabulosè significat, Virginem ac purum Sacerdotem, qui summa Matris Ecclesiæ lætitia, Dracone obstructo, non pasto, ex hoc antro redux exceptus est. nam *annum* sequentem idololatris ad Christum conuersis tam *fertilem* reddidit, vt triginta millia baptismum Christi Romæ susceperint.

6 *Quid Cæculus sibi vult, Prænestinæ fundator Vrbis, igne generatus, ac filius Vulcani propterea creditus?*

Etenim Virgilius de eo sic canit:

Aen. 7.
Nec *Prænestinæ fundator defuit Vrbis*
(Vulcano genitum, pecora inter agrestia Regem,
Iuuentumque focis, omnis quem credidit ætas)

Cæculus. ad eum locum Seruius ita commentatur: *Præneste erant duo fratres, qui diui appellabantur. horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius vterum percussit. Inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum, iuxta Templum Iouis abiecit, quem Virgines aquatum euntes iuxta ignem inuentum sustulerunt, qui haud longè à fonte erat, vnde Vulcani dictus est filius. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Prænestinam ciuitatem in montibus condidit, & cum ad ludos, vicinos populos inuitasset, cæpit eos hortari, vt secum habitarent, et pro gloria iactare, se filium esse Vulcani. Quod cum illi non crederent, inuocato Vulcano, vt cum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circumdatus, quo facto commoti omnes simul habitauerunt*. Hactenus quidem Seruius. Cęculo autem illo fabuloso magis obcæcatum hunc esse oportet, qui non videat hunc *Cæculum*, hoc est, *dilatatum*, a Caa & *Cala*, Romulum Petrum esse, vnde similia quædam et vtrique communia narrantur. Ille enim Rex Pastorum Ecclesiæ Christi, ille inuentus inter ignes die Pentecostes, ille *Prænestinæ*, hoc est, *Romanæ*, siue *dilatatæ* Vrbis spiritualis parens & fundator. Ille de sorore sua Ecclesia, igne Spiritus Sancti in vtero percussa, ad Hierosolymam prodigio enatús, ille quoque ad fontem baptismalem abiectus. illum seu illius fidem Ecclesiæ Virgines ad aquas baptismi currentes auide sustulerunt, Is Vulcani filius, hoc est, *dilatati*, a *Bol* atque *Cana*, nempe Spiritus Sancti, qui totum orbem terrarum replenit, is clanculum & furtim Romæ Christianam multitudinem collegit, metu Imperatorum, vnde latrocinans à latendo dictus. Is denique ad ludos, seu ordinationes sacras, vti supra de Romulo in raptu Sabinarum habes

ex-

explanatum, populos Latinos omnes inuitauit, illis supradicti Spiritus ignem atque flammas diuinitus immisit, quibus planè incensi, in Ecclesia Romana simul habitarunt.

Quidnam item per Reginæ Helernæ lucum sibi volunt, ex quo Carnam Deam, vxorem Iani natam prædicarunt? 7

Ouidius in Fastis hanc fabulam refert. est autem *Helernæ lucus*, Templum S.Crucis vulgò *in Hierusalem*, precibus S.Helenæ Matris Constantini, quam *Reginam Helernam* vocant, Romæ ædificatum. *Lucum* autem dixere hoc Templum, vel ob cæmeteria arboribus instar Syluæ vmbrosæ, quæ Templorum ferè ambitum cingunt, vel potius ob arbores Crucis nempe Christi Domini, & boni Latronis, quarum fragmenta ibi seruarētur. Et quia Ecclesia Romana per meritum Crucis Christi coaluit, ideo *Carnam* Deam cardinis seu Ianuæ cælestis, atque Iani cæli Ianitoris congiungem, eamdem Ecclesiam ex hoc luco satam fabulati. *Pontifices* denique *Helernæ* sacra quoque offerebant, quod hæc D. Helena sanctorum numero esset adscribenda, & propterea ad eius honorem sacra celebranda.

Quæ Dea Lucina ab Romanis solita inuocari, vt nascentibus opitularetur? 8

Hæc S.Lucina Matrona Romana in Diuas quoque referenda, vnde Dea dicta est. quam eò quòd ex Sibylla scirent, nascentibus cælo, ac vitæ immortali S. Martyribus, egregiè ac fortiter opem allaturam, horum corpora post mortem ab iniurijs Tyrannorum tuendo, & in cæmeterio suo clam sepeliendo, propterea Romana antiquitas vocabulo *natalis* decepta in Sibylla lecto, in partu corporum ad vitam mortalem, vt Deam, inuocabar.

Quid monstrum Italiæ Cacus ab Hercule victus significat? 9

Is Κακος siue *malus* spiritus, nempe *Caco dæmon*. Ideo enim apud Virgiliū.

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit, inuoluitq. ve domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.

Quem quidem animorum Tyrannum, *Hercules* Heros magnus Christus ex Auentino Italiæ specu extractum, Crucis *claua* (cui infixi claui) quasi oppresserit. Nam Dæmonem Christus suo Euangelio & virtute Crucis, in toto Latio ac Romæ prostrauit, præcipuè in colle Auentino, vbi S.Petrus in ædibus Priscæ domicilium habuit. Neque id sine ardua atque graui pugna (quam Poëtæ suo more, spiritualium rerum ignari describunt) eò quòd persecutio Tyrannorum diu in Romana Ecclesia durarit. ob Cacum autem ab Hercule Christo aliquando cæsum, & specu emotum, *sacrum Herculis institutum Romæ* fabulantur, quod Sacrificium Missæ præsignificabat, in quò *Potitij* & *Pinarij* Diaconi, & *Ara Maxima* Deo esset erecta, quod hostia maxima in eadem Christus Romæ immolandus, iuxta illud *V*irgilij

Ex illo celebratus honos, lætique Minores Aen. 8.
Seruauere diem, primusque Potitius Author,
Et Domus Herculei custos Pinaria Sacri
Hanc Aram luco statuunt, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.

Præterea cognitum Herculem ab Euandro (Iaphet) atque salutatum sic

Li-

Liuius demonſtrat: *Ioue nate Hercules ſalue, te mihi Mater Europæorum, veridica interpres Deum, auctũrum cæleſtium numerum cecinit, tibique Aram hic dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens Maiorem vocet*. Quod autem *duos eximios boues* de grege Herculis Scriptores Cacum *abegiſſe* ferunt, & *ſpecu incluſiſſe*, cum is ad Tiberis ripam quieſceret, de Petro ac Paulo Romæ à Nerone Diaboli inſtinctu, *cuſtodia incluſis*, ac etiam *ſepulchro* poſt necem illatam, id intelligendum. *veſtigia* verò boum *auerſa* & *ſolo defixa* ad Petrum alludunt, non ſolita aut recta figura, ſed capite in terram, & pedibus ſiue veſtigijs in cælum conuerſis, affixum Cruci ac mortuum. *Mugitus* autem *eorumdem boum*, deſiderio aliorum in grege relictorum, Apoſtolicum Zelum inſinuat pro grege Herculis ſeu Chriſti, quem morientes illi relinquebant. quo mugitu Apoſtolico factum, vt Hercules Chriſtus, quaſi excitatus, poſt longam cum Caco luctam, illum è ſpecu Romano *extraxerit*, & *fœdas rapinas boum cæſarum*, Martyrum interemptorum, vti boues victimæ ſolebant, horum cryptis ſub terra detectis, *cælo oſtenderit*. vnde idem Hercules Chriſtus *Augiæ ſtabulum*, eamdem Italiam *Augiam* ab augendo dictam. *ſtercoribus* & *fimo* idolorum *repurgaſſe* dictus, & *Hydram* eiuſdem Imperij Romani, idololatriam, *multis capitibus* Cæſaribus *fæcundam*, tandem *exſecuiſſe*, qui etiam *Gygantes* alia fabula vocati, quos ille eodem in Latio vicerit.

10 *Quis Phaeton in Eridanum & Padum poſt orbem crematum decidiſſe dictus, quæ ſorores eius Heliades, & cognatus Cygnus Lygur appellatus?*

Duplicem Phaetontem Iaphetum, & Heliam, non rectè fabula vnum fecit. de illo nos ſupra qui in Padum lapſus, nunc de hoc altero, qui in Eridanum et cuius Heliades ſorores, & cognatus Cygnus, reſtat explicandum. hic cum Helias à φαίνω appareo, Phaetontis nomen ſortitus eſt, quòd ſub Antichriſto iterum ſit *appariturus*, & quia iamdudum curru igneo translatus, rurſum ad Iordanem & Solymam veniet, contra iſtum Antichriſtum liberè Chriſtum profeſſurus, & mundum per aliquod tempus eiuſdem amore incenſurus, ab illa bellua tandem interimendus, hinc enata fabula, quod currum ſolis Phaeton aſcenderit, & incendium ingens terris immiſerit, ob quod fulmine ictus in Eridanum ſeu Iordanem deciderit. *Heliades* autem *ſorores* Phaetonta flentes et lugentes, *in arbores mutatas*, ſiue *trunco arborum incluſas*, ex quarum lachrymis *electra* naſcantur, *nuribus*, vt Ouidius ait, *geſtanda latinis*, Carmelinas Sorores eſſe liquet, *Heliades* ab Helia dictas, ob quem flent & lugent, eò quod eius inſtitutum ac ordinem Monachalem amplexæ. Nam Monachi officium flere, & peccata plangere. Quod porrò *cortiſſibus arborum incluſæ* dicantur et *pedibus retentæ*, ad clauſtrum earum ſtrictiſſimum pertinet. *electra* autem ex his *ſtillantia*, *ſcapularia* cenſemus, quæ *nuribus Latinis* (Eccleſijs) mittunt, vt ab his geſtentur, *electra* dicta, aut verius alectra, ſeu alexicaca, quod mala depellant, ab Ἀλέξομαι, quod *defenſionem* verbum ſignificat. Iam *Cygnus* Phaetontis *agnatus*, *Vrbes fugiens*, *ſolitudinis amans*, Patres Carmelitæ, quia Phaetontis Heliæ cognatam albedine et candore veſtem non modò geſtant, vnde Cygni appellati, ſed etiam cognatum et ſimile viuendi inſtitutum ſeruant, et cognatum locum ſiue ſedem in Mõte Carmelo, vbi cum Helia ſolitarij mul- Met.

tis

tis sæculis ante Christum natum, & postea vixere. Saracenorum verò postea metu, quidam in Lyguriam & Latium appulsi, *Lyguris Cygno* nomen dederunt. Horum verò mons Carmel & Ordo, quia D. Virgini cõsecrandus erat, hinc docta fabula *Veneri* Cupidinis Matri, quam Deiparam esse supra ostendimus, *caros olores*, siue *sacros* finxit, *qui* eiusdem *currum*, siue cultum, communi iugo iuncti *promoueant*.

Cur Ardeam item Italiæ oppidum igne concrematum atque Turni patriam, in auem eiusdem nominis mutatam finxere? 11

Ea sanè fabula Romanæ Vrbis vaticinium fuit, à Barbaris quondam occupandæ, atque incendendæ, quæ *Ardea* quasi *Ardua* dicta, id est, *Alta* Roma, *Turni* siue filiorum *Saturni patria*. Sed quia post illam euersam atque concrematam, in cineribus & ruinis eius Vrbs altera Roma excitanda erat, priori minimè par vel an speciem, aut magnitudinem, vel ad sæculare imperium atque potestatem, vel an linguæ (Latinæ) sonum, sed veteri Romæ solo nomine similis, hinc fabula emersit de *Ardua* Roma in *Ardeam* auem macilentam, & tristiùs sonantem conuersa, & semper pallentem a barbarorum nempe irruptionibus metu. de qua Ouidius Met. 19.

cadit Ardea Turno Ib.
Sospite dicta potens, quam postquam barbarus ensis
Abstulit, & tepidæ pauerunt tecta fauillæ,
Congerie è media tum primum cognita præpes
Subuolat, et cineres plausis euerberat alis,
Et sonus, et macies, et pallor, et omnia captam
Quæ deceant Vrbem, nomen quoque mansit in illa
Vrbis, et ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

Cur Cippo Genutio cum Vrbem triumphans intraret, enata cornua fabulantur, quæ ipsum fore Regem Romæ portenderent? 12

Cum enim is ab hoste victor, triumphans Romam ingredi parat, sibi *gemina cornua* sub frontem sensit erupisse, quæ ipsum fore Regem nuntiarent. Quibus ingeniosè suo more Poëtæ Sibyllæ oraculum, de Monachis in Abbates, & quosdam quasi Ecclesiæ Reges, Episcopos, ac Præsules infulatos promouendis, olim descripsere. *Cippus* enim *cupitio* tegendũ Monachum præsignabat, *Genutius* à *Gana*, & *Ta* eumdem *dilatatum*, quia id non ante Monachismum longè latèque propagatum euenit. Monachus enim tunc victor ab hoste Dæmone reuertens, ob res præclaras pro Ecclesia gestas, à Romanis Patribus decreto honore ac quasi triumpho, Sacerdotali *primum corona insignis* effectus est, dein *geminis cornibus* insignes mitras & infulas, Regis siue Episcopi Ecclesiæ insignia in fronte & capite tulit. Sed quanta modestia Regium hoc insigne, tiaram cornutam, atque Ecclesiæ dignitates omnes, primorum Monachorum Patres siue Patriarchæ essent auersaturi, illa *Cippi* oratio apud Ouidium luculenter docet. Cum enim Aruspex his cornibus inspectis, Regem Cippum Genutium ita salutasset: Met. 16.

Rex ò salue, tibi enim tibi Cippe, tuisque
Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus Arces.
Tu modo rumpe moras, portasque intrare patentes
Adpropera, sic fata iubent, namque Vrbe receptus
Rex eris, & sceptro tutus potiere perenni.

Mo-

Modestissimus Monachus

Rettulit inde pedem, toruamque à mœnibus Vrbis
Auertens faciem, procul ò, procul omina, dixit,
Talia Dij pellant, multoque ego iustiùs æuum
Exul agam, (in Eremo) *quàm me videant Capitolia Regem.*

Quamquam multos Monachos in Ecclesia Romana Reges, ac Rectores Capitolia viderint, non solùm Abbates geminis Mitræ cornibus decoros, qui *sceptro* seu pedo *perenni potiti*, sed & Episcopos, atque Pontifices Supremos. Atque ad Cipporum Monachorum gloriam illa quoque pertinent, quæ Ouidius subdit: *Proceres Latij decreuisse*, ne muros intraret Cippus, quia Monasteria prima ferè extra Vrbes, *ruris* tamen *honorati* (nempe dominio) *tantum permisisse*, quantum *ab oriente vsque in occidentem* (Orientali, & Occidentali Ecclesia) *posset arando complecti*. Infularum *illa* quoque *cornua* concessisse *auratis* Templorum suorum, ac Cœnobiorum *postibus insculperet*, vti longo æuo illa permanerent. Vnde adhuc hodie Monachorum Ædes sacræ, ac prophanæ, innumeris prope hisce cornibus fulgent. Quæ omnia eleganti, ac vaticino carmine, vtpote ante Christum scripto, Naso prosecutus:

At Proceres, quoniam muros intrare vetaris,
Ib. *Ruris honorati tantum tibi Cippe dedere,*
Quantum depresso subiectis bobus aratro
Complecti posses, ad finem lucis ab ortu,
Cornuaque auratis miram referentia formam
Postibus insculpit, longum mansura per æuum.

12 *Cur fabulæ tradunt Iouem in Aquilam mutatum, Ganymedem ob eodem in cælum translatum, & oua eiusdem volucris, Iouis sinu foueri, illamque fulminis ministram effectam?*

Non enim hæc parum ad Romanæ Vrbis dignitatem faciunt, cuius insignia Aquilæ. Nam *Iouem* audire *in Aquilam conuersum*, quidnã aliud est, quam Ieouæ Christi Ecclesiam ad Romanas Aquilas, siue in Latium esse transferendam? ibidemque *Ganymedem* Latinum hominem siue *dilatatum* à *Gana* & *Mada*, in regnum cælorum, hoc est, Ecclesiam esse *rapiendum*, imo ad sublimis & quasi cęlestis Sacerdotij gradus euehendum, vt *Ambrosiam*, & *Nectar* Eucharisticas dapes, in Sacrificijs ipsi Deo offerat, *Hebe* fœmina ab omni Templi ministerio *amota*; quæ primis Ecclesiæ temporibus, Diaconissæ, alijsque munijs fungebatur? *Oua* autem *Aquilæ* adeo Ioui cara, vt eius diuino *sinu foueantur*, quis non intelligat, Romanæ Ecclesiæ semen & posteros ita Christo Ieouæ dilectos futuros, vt peculiari eius cura *foti* numquam deficiant, sed perpetuò aliæ ex alijs Aquilæ inde oriantur? Iam *fulminis* hæc Auis propterea *ministra*, quod excommunicationes & quęuis censuræ, & cætera Dei seu Ieouæ *fulmina*, quæ spiritualiter hominem interimunt, *in vnguibus Aquilæ*, hoc est, in Romanæ Ecclesiæ manu atque potestate a Ieoua Christo essent *reponenda*.

13 *Quisnam ille Perseus, qui tot mortales in Petram mutarit, & de quo mira alia fabulantur?*

Non enim omittendus fuit, quòd ad Ecclesiæ Romanæ decus quam maximè spectet. Nam *Perseus* ægide seu scuto Medusæ effigie claro, ob-

uios

uios quosque sibi renitentes *in petram conuertens*, ipse idem Christus, verus *Dominus* siue *dilatatus* ab hebræo *Paras*, *Danaes* Mariæ *Iordaneæ* seu Iudææ *filius*, *ex aurea* S. Spiritus *pluuia* in loco secreto *conceptus*. huius *scutum*, pellis nostra assumpta, seu Euæ *Medusæ* peccatricis. quæ *Mathusa* seu *sapiens* suo malo fuit, assumpta, inquam, non in se, verum in effigie seu *similitudine* nempe *carnis peccati*. hoc scuto per orbem quaquauersus volans in Eucharistia, suæ Diuinitatis quasi *Pegaso inuectus*, omnes sibi obuios, in *Petram* Romanæ Ecclesiæ conuertit, à *Petro Cepha* ita appellatam. fertur autē *Pegasus* Persei equus, ex *vtero Medusæ* prognatus, quia Christus Deus ex stirpe Euæ seu Medusæ genitus, vt filius Adam. Illum autem Perseum natione Indæum *India*, *Achaia*, & *Græcia* omnis Templis extructis *honorat*, solus *Abramtiades*, mollius *Abantiades*, *Iudæus* Abrahamo ortus repudiat (ideo sine crisi atque prudentia dictus *Acrisius*) & ex *vrbibus Græciæ*, vti Paulo Apostolo ibidem prædicante factum, omni conamine *expellere* studet, iuxta Ouidium. Met. 4.

Solus Abantiades ab origine natus eadem Ib.
Acrisius superests qui mænibus arceat Vrbis
Argolicæ, contraque Deum ferat arma, genusque
Non putet esse Dei, neque enim Iouis esse putabat
Persea, quem pluuio Danae conceperat auro.
Mox tamen Acrisium (tanta est præsentia veri)
Tam violasse Deum, quam non nouisse nepotem,
Pænitet, impositus cum cælo est alter, & alter,

Nam imposita cælo eius Diuinitate, ac Humanitate, Iudæum in fine mundi pænitebit, Persei Christi Diuinitatem aliquãdo blasphemis violasse verbis, atque factis, & hunc sui Abrahæ ob carnem nepotem, minimè agnouisse. *Atlas* deinde *Rex Mauritaniæ, cui aurea poma* (fodinæ Americæ) *seruata*, ab eodem Perseo *in petram conuersus*, Rex est Hispaniæ, qui Mauris ibidem quondam imperauit, *Iapetionides* seu filius Iapheti ab Ouidio appellatus, quia à *Iapheti* nomine appellatiuo *Hispania* dicta, vt supra ostensum, & *Rex Hesperiæ*, nam Hispani suos nobiles *Adelatandos*, quasi *Italos dilatatos* vocant. Quòd verò *Atlas* is dicitur *in petram conuersus*, *immensum creuisse*, iuxta illud Nasonis Ib.

Tum partes altus in omnes
Creuit in immensum (sic Dii voluistis).

Id ad Domũ Hispanicam pertinet, *quæ* diu postquam ad *Petri* Ecclesiam *conuersa*, pluribus regnis *aucta* ac *dilatatæ* est. sequuntur eiusdem *Persei cum Andromeda nuptiæ*, quæ est, *gens Latina* ab Ανδρος & Μεδω, quasi *hominibus imperans*. huius autem *Andromedæ* Parens *Cepheus*, siue *Cephas* Petrus, gentis Latinæ spiritualis parens. *Cassiope* Mater, hoc est, *dilatata*, Ecclesia Latina, à *Casa* atque *Pa*, quæ *generi*, nempe Christi, *meritis* in cælum translata, *sidus* effecta est. *pretium* autem *Andromedæ* a tetro monstro, Dæmone, *liberatæ ad* baptismi *aquas*, *nuptiæ* eiusdem *Andromedæ* fuerunt, ideo enim *in mari prælium Persei cum Dracone*. *Dæmoni* autem eãdem *obstrictam*, per *vincula ad rupem* aptè significãt, illque *ob crimen maternæ linguæ*, nẽpe Euæ parentis, quæ Dæmonẽ serpẽtem quondã allocuta, marito vetiti pomi esum persuaserat. *liberata* autè à monstro *Andromeda* hac nostra, eumdem Persea Christũ liberantem.

ib. *Auxiliumque Domus Seruatoremque fatentur*
Cassiope, Cepheusque Pater, resoluta catenis
Incedit Virgo, pretiumque & causa laboris,
Ipse manus hausta victrices abluit vnda,

In suis nempe Romanis, qui baptismi aquis abluti fuere. *Sacrificia* exinde *fiunt*, vt Metamorphosis exponit, & *coauiuium* nempe Eucharisticum, in quibus *thura* & *coronæ*, quæ dedicandis Templis appinguntur, *Musica instrumenta*, *Cantus* Ecclesiæ cum toto *Clerò Cephei* siue Petri:

Ib, *largis solantur odoribus ignes*
Sertaque dependent tectis, & vbique lyræque,
Tibiaque, & cantus animi felicia læti
Argumenta sonant; reseratis aurea Valuis
Atria tota patent, pulchroque instructa paratu

Cepheni proceres ineunt conuiuia Regis, Christi Persei. inter quæ *concio eiusdem* ad Proceres *habetur*, *de Medusæo monstro superato*, quia exterius concionante homine, interiùs Christus prædicare solet. præclarum autem eius argumentum *Dæmon superatus*, omnis sanè fidei & felicitatis Christianæ radix.

Ib. *Dumque ea Cephenûm medio Danaeius Heros*
Agmine commemorat, fremitu regalia turbæ
Atria complentur; nec connubialia festa
Qui canat, est clamor, sed qui fera nuntiet arma.

Ob persecutiones, quæ nuptias primas Christi eum Ecclesia Romana vehementer turbarunt. Generalis autem persecutio hoc loco descripta, ex *Indis*, *Aegyptiis*, *Græcis*, seu *Thessalis*, cæterisque gentibus. sed cur *Phineus* Hispanus inter primos *turbat*? nisi quia inter primos post Romanã gentem ad Christum conuersus, non tamen, vt fit, sine aliqua & graui initio pugna, nam se in *Hispaniam iturum* Epistola ad Romanos pollicetur Paulus, & Apostolus Iacobus eò ante illum fertur penetrasse. Horum igitur opera Hispanus *Phineus in Petram* seu Petri Ecclesiam *translatus* atque *conuersus* est. atque ita *conuersus*, *vt* diu vel semper *mansurus* in Ecclesia Petri illis verbis Persei, quasi prædicatur:

Mansura dabo monumenta per æuum,
In que Domo Soceri (Cephæi seu Cephæ) *semper spectabere nostri.*

& *Mendesius* ex Mendosiana puta familia ea pugna *cadit*, eo quod gentilis esse desineret. *Cadit* item *Astreus*, *Matre Palæstina, dubio genitore creatus*, ex Matre Iudæa, ac Patre in fide dubitante infirmos qui similiter ad Christũ conuersus. in turba verò *Indus Athys* seu Æthiops, esse memoratur *Phinei* quoque *subditus*, quod Hispano India esset paritura. *Idas* verò *neutra arma secutus* Iudæus est, qui neque Gentilis, neque Christianus. *Cadit & Sacerdos Cereris*, specierum panis, *albenti velatus tempora vitta*, quia multi Sacerdotes, Episcopi, atque Pontifices summi eo persecutionum bello extincti sunt. *Pantalus* autem, qui *inter dapes* canentem irridens, *stygijs cane cætera, dixit, Manibus*, ij sunt histriones, qui Christianos, atque horum sacra atque cantus in scæna irridentes, Christiani effecti, & à Persei socijs quoque superati, vt martyrologia de multis amplam fidem faciunt. Irridentur quoque in hac persecutione, Christi Persei *miracula*, & *Magiæ* omnia illa tribuuntur: *Quære alium tua quem*

mo-

moueant miracula, dixit, Thessalus. & infra: *prosternite humi iuuenem magica arma mouentem.*

Quidnam Philæmonis ac Baucidis fabula quoque significat? 14

De hac Ouidius in Metamorphosi. quæ etiam non minus illustre Ecclesiæ Romanæ vaticinium fuit, atque eius Principum Petri atque Pauli, nisi quod Poeta Petrum in *Baucidem* fœminam, poetica quadam licentia mutarit, Pauli, *Philæmonis* coniugem, eò quòd forsitan à Sibylla fœminino genere, *Cipho*, id est, *Petra* fuerit Petrus appellatus. cæterùm multa affert, ex quibus Petrus atque Paulus hi cognosci queant, vt cum præter alia, voluntaria eorum paupertas hoc versu indicatur: *paupertatemq. ferendo effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.* Lib.9. Ib.

Item cum ambo *Numinis Sacerdotes* dicuntur, & *vna eademque die simul obiisse.* Item cum *Ieouam* seu Iouem, atque *Mercurium* (Mariæ vterinum Christum) à multis hospitio haud receptum, parua & paupere casa, *lautissimè accipiunt.* Locum insuper siue torum Numinibus magnis præparatum, quod ligneum altare fuit, ex salice, aut alia arbore, honoris causa, atque ornamenti in Missa consueti

Vestibus hunc velant, quas nonnisi tempore festo Ib.
Sternere consuerant, sed & hæc vilisq. vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.

Horum autem pietas atque religio in vilibus illis Templorum ornamentis elucet, quando

super omnia vultus
Accessere boni, nec inops pauperque voluntas. Sed miraculum perpetuum quod fit in Eucharistico conuiuio, vbi Deus simul cum homine accumbit, atque dapes libat, & preces, quæ à celebrante interea funduntur, illo versu Poëta explicare voluit,

Interea quoties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
Attoniti nouitate pauent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces, timidusque Philæmon.

Sed & hospitij amplissima merces, *ipsorum casa* siue domus parua *in Templum*, nempe Vaticanum, *mutata*:

Illa vetus domus, & iam casa parua duobus
Vertitur in Templum, furcas subiere columnæ,
Stramina flauescunt, aurataque tecta videntur,
Cælatæque fores, adopertaque marmore tellus.

Alia item merces, quod barbarorum diluuio Roma vetere submersa, Domus seu Templum illorum illæsum extaret.

flexere oculos & mersa palude
Cœtera prospiciunt, tantum sua tecta manere,
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
Mersa vident, quæruntque suæ pia culmina Villæ,
Sola loco stabant.

Aliud hospitij præmium, ambobus Sacerdotium concessum, & mors vnò eodemque die obita, quæ omnia Apostolos Petrum atque Paulum clamant:

Esse Sacerdotes, delubraque vestra tueri

Poſcimus, & quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec coniugis vmquam
Buſta mea videam, neu ſim tumulandus ab illa.
Vota fides ſequitur, Templi tutela fuere,
Donec vita data eſt &c.

ſed cur *in arbores mutati* narrantur? quod horum ſtatuæ poſt mortem ex *varijs arboribus* confectæ. quæ item *coronis* floreis & aureis, ſumma religione à Chriſtianis ornatæ, iuxta illud Naſonis.

equidem pendentia vidi
Serta ſuper ramis, ponenſque recentia, dixi;
Cura Deum Dii ſint, & qui coluere, colantur.

Quo epiphonemate docet iconoclaſtas; qui res diuinas in terris curarint, in Diuorum numerum iure reponendos, & colendos poſt mortem, qui in vita ſedulò Numen coluerint.

16 *Vnde Ecloga, Paſtoritii cantus, Bucolici, Comedia, Tragædia in Latium adducta?*

Ex ijſdem Sibyllinis folijs, quod *Ecloga* nomen quoque ſignificat, quod *excerptam* reddit, nempè è *Sibylla*. Cum enim ab ea Romani accepiſſent, Deum humana indutum ſpecie, boni Paſtoris munere in terris functurum, & inter Virgineos Paſtores, Epiſcopos, atque Sacerdotes præſentem futurum in Euchariſtia, qui eum aſſiduo cantu ac pſalmodia laudarent, inter Muſas ſeu Nymphas (*A*ngelos) Virgineas atque puras mentes, qui ei velut Phæbo cuidam in montibus Altarium perpetuò aſſiſterent, hinc Simia gentilitas, Paſtores Tytyros, atque Corydones commenta, qui *Faunum* Chriſtum crebro apparentem, & *Apollinem* eumdem Dæmonis exterminatorem, & *Pana*, qui curat oues, ouiumque magiſtros, à *P*ane Angelico, Chriſto ſub ſpecie panis, olim occulcando, vnde illi cornua ob Euchariſticam Lunam appinxere, & *Daphnim* Laureum ſiue Lauretanum, & Matrem eius *Daphnen*, eamdem *Galatheam*, hoc eſt, Galileæ Deam, & *Phillidem* Eccleſiæ Paſtoribus dilectam Virginem, & *Nyſam*, quaſi Nazatæam quoque cantauere. Horum igitur Paſtorum *Amebæi cantus*, & *intercalares*, cum calamis, & Fiſtulis, hymnodiam, atque pſalmodiam Eccleſiæ, cum Muſica, & Organis varijs atque inſtrumentis, & alternos Sacerdotum cantus, cum carmine illo intercalari, quod ſemper Auguſtam Trinitatem laudat, nobis *præ*cinebant. Illa verò nomina *Comedia, Tragedia*, nihil ferè aliud, quam *Latini cantus. Tragedia* enim à *Ta, Raga,* ὠδη idem ſignificat, verum quæ lugubrem Latinæ Eccleſiæ cantum deſignaret, vti *Comedia* hilarem, à *Cama* & ὠδη, *Bucolica* verò à *bucula* ſeu vitula ducta, immolanda hoſtia, ſacrificij tempore cantum adhibendum. Atque ob organa Templorum *Syringa* ferunt *P*anem adamaſſe, & *Paſtorum calamos*, ob Paſtorum Eccleſiæ cantus, & varias *Nymphas, Camænas, Napæas*, ob Virgineos Angelorum coetus, qui Chriſto aſſidue in Templis adſtarent, & *alterna* (alternam pſalmodiam) coram eo *amarent*. At de *Pane, Fauno, Apolline*, ſeu *Phæbo*, altero libro diffuſius agendum. *Daphnidem* modò Chriſtum eſſe indicare ſufficiet. Ideo enim *extinctum crudeli funere* hunc Paſtores canunt, propter acerbiſſimam paſſionem ac mortem. Et quòd *Angeli Pacis* atque *Mater*, mortuum ad arborem Crucis *amarè deflerent*, propterea

Virg. Ecl. 5

Vir-

Virgilius subiunxit:

Vos Coryli testes, & flumina Nymphæ,
Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia Mater.

In quo quidem personæ decorum haud Poëta seruauit, vti satis liquet, qui Matris virtutes, fortitudinem, modestiam, atque pietatem in Deū nesciuit. *Ieiunia* verò *Quadragesimalia ob Daphnidem extinctum* illi versus clamant:

Non vlli pastos illis egere diebus Ib.
Frigida, Daphni, boues ad flumina, nulla neque amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse Leones
Interitum, montesque feri, Syluæque loquuntur.

Quia vbique in gentibus, etiam ferissimis, mors Christi lugenda. De eiusdem item in cælum ascensu, & ab Ecclesiæ Pastoribus cum lætitia sæpius inuocandum esse, imo altaria illi erigenda, hæc sequentia docent.

Candidus insuetum miratur limen Olympi, Ib.
Sub pedibusque videt nubes & sydera Daphnis,
Ipsi lætitia voces ad sydera iactant
Intonsi montes, ipsæ iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ecce, Menalca,
Sis bonus ô, sospesque tuis, en quattuor aras &c.

Et de cantu Pastorum Ecclesiæ ad altaria eiusdem

Cantabunt mihi Damœtes, & Lyctius Aegon,

Hæc tibi semper erunt. vsque ad finem Ecclesiæ tuæ, ô Daphni, nam continuò subdit:

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, & rore Cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Vt Baccho, Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient, donabere tu quoque votis.

Per *Cererem* & *Bacchum* panis, vini & sacrificia insinuat Quin & pauimēta Templorum herbis, folijsque inspergenda, fontesque baptismales in Paschate ramis inumbrandos, & tumulos in memoriam eius erigendos cum varijs inscriptionibus, vti fieri videmus, ex sequentibus liquet:

Spargite humum foliis, inducite fontibus vmbras,
Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis,
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in Syluis (Lauretæ) *hinc vsque ad sydera notus,*
Formosi pecoris (Christiani ouilis) *custos, formosior ipse*

Sicut autem *Daphnim*, sic etiam *Alexim* a *Corydone* summopere dilectum, hoc est, S. Alexium Romanum à Sponsa Virgine (quam *Corydon* designat) relicta ardenter amandum, ex ijsdem Sibyllæ folijs clarè didicerunt, atque cecinerunt. nisi quod sexum Virginis pro sua potestate Poëta immutarit. quod pluribus hic monstrem, nisi propositæ studium breuitatis obstaret. Nam *Cadmi* fabula hunc librum claudere consilium est.

Quid igitur ad extremum Cadmus præsignabat, quem, Europæ fra- 17

trem

trem esse finxerunt, & post longa exilia ac calamitates, ob serpentem ab eo necatum, ad Illyrim tandem cum vxore in serpentem versum?

Ad Europam enim, cuius primordia hic tradimus, item ad Latium, ob Illyrim Italiæ partem, illa Cadmi fabula spectat quam maximè. *Cadmus* igitur, vti supra dictum, populus Hebræus est, a *Cham* atque Δῆμος *Cadmus* nuncupatus, quia in *terra Cham* Ægypto diu commoratus. Is autem ab *Agenore Patre* Abrahamo *Europam sororem* in Semo parente, *raptam* & deuectam per mare à Iaphet in Tauricam translato, *conquirere* iubetur, quia in *Europam* derelicta Asia Ecclesia Christi erat transferenda, quam quærere Cadmus Iudæus *iubetur sub pœna exilij* æterni à patria celesti, si in suo Iudaismo maneat, Dum verò is peregrinatur in terra non sua, *socii eius à serpente cæsi intereunt* ob plagam serpentum in deserto Arabiæ Hebræis immissam. *Theben* idem Palestinæ, non Græciæ, *condit*, & *serpentem* isthic, siue Christum ea forma à Moyse in deserto expressum, grandi suo malo *necat, quercui* siue crucis arbori, illum *affigendo*. Vbi hæc vox prophetica auditur: *quid Agenore nate, serpentem spectas? & tu spectabere serpens*, quæ quid sibi velit, infra ostendendum. Ex *serpentis* porrò huius *dentibus, ferrei homines enati* qui mutuis sese vulneribus perdunt, Iudæorum posteri, qui quoniam Christi prætiosus Sanguis erat super eos fusus ex parentum voto, sese mutuis cædibus in Vrbe Solymæ postea consumpsere, paucis ea clade residuis, qui in varia loca post Solymam euersam fuere dispersi. Vne *Cadmæa* de Serpente cæso *victoria, locum* prouerbio dedit, quòd ei funesta & cruenta fuerit. Quanquam in pluribus Cadmus *fortunatus*, *condita Thebe* Palestina, *Hermione coniuge*, hoc est, lege diuinitus data ἀπὸ τοῦ Ἑρμηνεύειν, quod est, *interpretari*, quia lex diuinæ voluntatis interpres, *longa serie nepotum*, qui hodie etiamnum supersunt, *Socero Marte* Christo, filio Mariæ, vnde vox *Martis* conflata, & *Venere Socru*, eadem Maria Virgine, Christi Martis sponsa, & de stirpe Cadmæa seu Hebræa gente, iuxta id Nasonis;

Iam stabant Thebæ, poteras iam Cadme videri
Exilio felix, soceri tibi Marsque, Venusque
Contigerant, huc adde genus de coniuge tanta,
Tot natos, natasque, & pignora cara nepotes.

Sed infortunia plura hoc felicitatis merum diluere, ob serpentem ab eo interfectum, vt Poetæ canunt, cuiusmodi illa sunt: *Actæon nepos in ceruum mutatus*, & à canibus sui dilaceratus, *filia eius Semele* fulminibus Iouis interfecta, & in nepotibus alijs ea miseranda: *Tiresias* luminibus orbatus, *Narcissus* suæ imaginis vmbra contabescens, *Pentheus* à suis in frusta discerptus: *Mineides* neptes in fædas aues cõmutatæ, *Leucothea* filia de scopulo sese præcipitans. quibus miserijs eruditum Cadmum fabulantur, *serpentis*, quem olim necarat, *formam exoptasse*, & *voto potitum*. Quorum singula breuiter nunc enucleanda. Quanquam de *Actæone* in ceruum mutato, & *Semele* Iouis fulminibus mortua, cum in Maiestate sua illi appareret, supra factum satis, si illud spectans ad Semelen addamus: *cum Semele Matre* (seu populo Iudæo, qui per legem sine Christi gratia spiritualiter mortuus, quod præuaricator inde effectus sit) *prolem eius* Christum (quo, tempore legis in Sinai Latæ, hæc grauida fuit) *vnà non perisse*. quod *femur Iouis* seu Ieouæ Patris, *cui* ab æterno

quo-

quodammodo *insutus*, seu Generatio æterna illum seruauerit, ne peccator esset, & peccato, quod est Iouis fulmen atque ira, moreretur, vt *Semele* Mater, Iudaica natio. Vnde quia Matrem in sua æterna generatione non habuit, propterea *Iupiter* seu Ieoua Pater *materna tempora* siue officium in vtero gestandi, hoc est, generandi, docto mysterio fertur *compleuisse*. Quia item simul Virgineus Ioseph, atque Virgo Deipara Mater in Domo Nazareth habitantes, paruum *Liberam* Christum, *Deum* propterea *vini*, quod sub eius specie Diuinitas quondam occultanda, educare debebant, hinc *Nymphæ Nyzeides*, hoc est, Nazarenæ, *infantem* Bacchum, seu *Iacchum*, hoc est, *Ioacæum*, post *primas* Bethleem *cunas enutrisse* dictæ. Met. 3.

Furtim illum primis Iuno matertera cunis
Educat, inde datam Nymphæ Nizeides antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.

Tiresias modo *Eueri filius*, id est, *Heberis*, Cadmi quoque nepos, hebræus propheta, à *Thare* patre Abrahami ita appellatus, ideo *cæcus* dictus, quod Christum, quem præsagiebat, suis oculis ipse non viderit. propterea *vtroque sexu* idem *præditus* fertur, ob vtrumque sexum maris ac fæminæ, cui prophetiæ donum antiquitus collatum. De *Narcisso* Christo ob hominem vmbram siue imaginem suam, voluntariam oppetente mortem, satis supra dictum. itaque ad *Pentheum* venimus, hominem infidelem, seu idololatram, qui quòd *omne* genus *Deorum* culturus, inde nomen habet. *Cadmi* etiam *nepos*, quod *Agaue* eius parens, Ecclesia Romana siue *dilatata*, ab *Aga* atque *Va*, esset *Cadmi soror*, ob multos Iudæos & Gentiles in illa Romana Ecclesia initio permixtos. Is autem *Pentheus*, idololatra infidelis, *sacra* Eucharistica *Patris Liberi conculcans*, & sacrilego ausu impedire studens, à *Matre sua* Ecclesia Gentili seu Romana, & *sororibus* Ecclesijs alijs, *in partes* & *frusta discerpendus* erat, idolis in toto Imperio euersis, atque ijs simulachris etiam, quæ in *Pantheo* culta. *Mineides* porrò *Cadmi neptes*, Iudaica natio, à Mηνη Luna, sic cognominatæ, quod Lunarem cursum ob festa Paschatis atque Pentecostes hæc natio obseruet. Hæ quoque eumdem *Liberum* & *Lyæum* Christum mundi Redemptorem ac liberatorem *agnoscere* obstinatè cum Pantheo *nolunt*, sed potiùs *eius festo die*, hoc est, Dominico, *seruilia opera* nequiter *exercere* pergentes, in *Vespertiliones* commutatæ docto mysterio finguntur, quod vbique furtim atque in tenebris superstitionibus suæ sectæ vacent, aut certè lateant, vt nocturnæ aues, cùm Ioacæi Christi solemnia sacra peraguntur. *Leucotheam* ad extremum Cadmi quoque filiam seu neptem, quis non intelligit Virginem Galilæam esse, siue Lauretanam, *quæ de* Galileæ seu *Scyronis scopulo* (Nazareth enim *Syriæ* Palestinæ ciuitas in scopulo sita est) *sese præcipitem tulit*, Iudæam terram Cadmi auersata. *cuius* etiam *comites* in *saxa*, & *Aues* mutatæ, ob parietes Lauretanæ Domus è *saxo* constructos, & *Aues* Angelos, qui illam è patria abeuntem per ingentes maris & terrarum tractus *comitati* fuere, illos enim propterea etiam *cultu inferiori* ab hominibus *colendos* docta fabula ostendit. Tandem aliquando post multos errores, patria derelicta, *Illyrim profectus* ipse parens *Cadmus*, summis precibus id petens, *in serpentem cum coniuge vertitur*, hoc est, in

Met. 4. Ib. Ib.

Christianum, quia Christi membrum, & cum Christo vnus in fine mundi per baptismum euadet, quem antea necauit, ob cuius vindicandam necem, tot mala, & aduersa, errabundi in morem, etiam hodie patitur. sed gentilem hominem id vaticinantem clarè, audiamus:

Contigit Illyricos profuga cum coniuge fines.
Iamque malis annisque graues, dum prima retractant
Fata domus, releguntq. suos sine fine labores
Num sacer ille mea traiectus cuspide serpens
(Cadmus ait) fuerat tum, cum Sidone profectus
Vipereos sparsi per humum noua semina dentes?
Quem si cura Deum tam certa vindicat ira,
Ipse, precor, serpens in longam porrigar aluum,
Dixit, & vt serpens, in longam tenditur aluum.

Idque cum coniuge sua Hermione, quod lex Iudaica in gratiam & Euangelium Christi commutanda,

Et subitò duo sunt, iunctoque volumine serpunt.

Iuncto volumine Testamenti Veteris atque Noui.

Donec in oppositi nemoris subiere latebras.
Nunc quoque, nec fugiunt homines, nec vulnere lædunt,
Quodque prius fuerant, placidi meminere Dracones.

Hoc modo *serpentes*, hoc est, Christiani *effecti*, Iudæi se gerent, nec fugiēt amplius Christianos homines, aut linguæ vulnere seu veneno lædent, sed pęnitentiam seueram in syluis & Eremis agent, ob Christum tamdiu ab ipsis negatum. Hanc enim conuersionem & metamorphosim olim euenturam, tum Noua tum vetus Scriptura testatur, vti etiam illa vox Sibyllæ tot sæculis retro exaudita: *quid, Agenore nate, serpentem* Christum crucifixum cum aliquo etiam ludibrio *spectas*? vt solent Iudæi, *& tu spectabere serpens*, ad Christum conuersus. Hic finis igitur miserrimi Cadmi fortunatus erit, vbi is *sororem Europam*, Ecclesiam Christi Europæam, *apud Illyris* seu Italiæ *fines repererit*. Nam ea inuenta, *exilii* æterni *à patria* cælesti *pænam effugiet*, tot sæculis ab hoc toleratam. Quod illi misero conterraneo suo, misericors IESVS quantocyus elargiri velit. Ipsi interea honor, & gloria.



VIN-

CAPVT XXXIII.

Vindemia è doctis fabulis, seu Sibyllæ folijs, pro Ecclesiæ Romanæ Ritibus, Sacris, & Dogmatis, aduersus Atheos, Gentiles, Iudæos, & Heterodoxos.

QVO fructus operæ vberior exiſtat, lubet ad extremum, Sibyllæ oracula, quæ veluti vuæ toto Libro ſparſę, hic coaceruare, vt ex his collectis, vt in vindemia aſſolet, aliquod Chriſtianæ atque orthodoxæ veritatis merum exprimatur, & gratus Romanæ Eccleſiæ fidelibus liquor, quo quidem proluti, aduerſum quoſuis infideles generoſius deinceps, acriùſque inſurgant. Non quòd hæc adminicula atque præſidia à Gentium fabulis, aut ſcriptis petita, vti Patres docent, ſolidum ac Diuinum Eccclesiæ Chriſti ædificium requirat, ſed quòd ad eiuſdem (vt auguſtæ domus atque baſilicæ) maieſtatem ſpectet, fulcris & columnis non neceſſarijs, imo ſuperfluis etiam abundare. Neminem porro tam dementem arbitror, qui cum in ſequẽtia vaticinia oculum intenderit, quæ diu ante Chriſtum natum, eiuſdem natales ac vitam, cæteraque ad Romanę Eccleſiæ fidem ſpectantia enarrant, ea caſu quodam (vt in fortuitis coniecturis ſolet) putet eſſe prædicta. Nam et ipſi Ethnici, vt Cicero de Diuinatione, & Plutarchus author eſt; vbi non modò quid futurum ſit, dicitur, ſed etiam quomodo, ſeu cum quibus adiunctis, vel circumſtantijs, id ad vaticinium, ac diuinationem, ſeu diuinitatem eſſe referendum, non ad coniecturam, fortunam, aut caſum, ſapienter agnorunt. Nam haud alia de cauſa Sibyllam, vti diuinitus afflatam, olim venerati, de quo Sic Plutarchus: *Sibylla Dei beneficio vocem ad* (I) *annos continuat.* Et de eiuſdem Sibyllæ oraculis; *Vbi non modò quid futurum ſit, ſed etiam quomodo, quando, qua occaſione, quo authore* prædicitur, *non hoc eſt coniectatio fortaſſe futuri, ſed certò futuri prædictio.* Itaque cum, exempli gratia, Chriſti Domini vita, Doctrina, & fides, & Romanę Eccleſiæ ſacra, & dogmata, ſiue traditio, ad minimas vſque circumſtantias rerum, Gentilium ſcriptis ante rei euentum, non modò expreſſa cernantur, ſed etiã vt ſacra, & diuina, ſummopere laudata, quis negare queat, ea Prophetarũ ſeu Sibyllarum diuino afflatu, cuncta eſſe prædicta, atque commendata, aut de horum veritate deinceps dubitare audeat? quamobrem ſequentia oracula, tanquam remedia quædam pertinaciæ quorumuis infidelium ſanandæ, adiungere placuit, atque ſigillatim, vnde peti queant, loca demonſtrare.

Vide Pio-mulſ.

In lib. cur Pythia &c

Vaticinia Sibyllæ aduerſus Atheos, Gentiles, Iudæos, alioſque infideles.

CHriſti Domini ſeu Æterni Verbi Incarnatio, ortus de Virgine, nomina propria, & appellatiua, infantia, in Ægyptum fuga, educatio in Nazareth, opificium ſiue ars fabrilis, baptiſmus, miracula, res geſtæ, paſſio, mors, reſurrectio, aſcenſus in cælum, miſſio Spiritus Sancti ſeu deſcẽſus. nec non Matris Chriſti vita, prærogatiuæ, partus virgineus Angeli

legatione præmissa, cum Iosepho nuptiæ, & mariti obitus, luctus in filij morte, obitus, sepulchrum, resurrectio, & assūptio in cælum, vti hæc Romana Ecclesia celebrat, à Sibylla prædicta, & gentium fabulis scriptis ante Christum natum, historijs, ritibusque expressa. *Vide Promulsidem literis* L.V.S.T.Qq.Rr.Ss.Tt.Vu. *paginas item* 5.7.23.24.25.73.105.106. 111.112. *vsque* 117.175.185.*vsque* 157. 191.192 194.206. 264.268.276. *vsque* 279.

Item Apostolorum Christi numerus, & quorundam nomina, atque acta. *Vide Promulʃ. lit.* Ss. *pag.* 5.24.25.264. *totum caput* 16.

Christi item Baptismus filios Dei facturus, seu generaturus. *Vide Prom. lit.* O. *pag.* 99.100.229.273.274.

Conflagratio item Vniuersi Orbis quondam euentura, & resurrectio omniū mortuorum, Iudicium extremum & particulare, ęterna post mortem corporis animorum vita, & inferi. *Vide Promulʃ. lit.* Q. R. Ee. Gg. *pag.* 3.4.5.174.211.

Iudęi Christum necaturi, & eorum propterea pœnæ, & infelicitas, eorumdem sacra immutanda, metropolis Solyma euertenda, dispersio, captiuitas, Templi, Sacerdotij, Prophetarum carentia, Ecclesia Dei ipsis auferenda, Gentilibus seu Romanis dāda, pertinacia aduersus Christum, & eius fideles, deniq. conuersio ad eumdem Christum sub finem mundi. *Vide Prom. lit.* Ss. *pag.* 23. 24.128.129. 130.146.273.278.280. *totum cap.* 14.15.17.

Idololatrarum & Cęsarum Romanorum Neronis, Decij, Maxentij, Iuliani vulgò Apostatæ &c. in Christianos furor & persecutio, & idolorum tandem euersio per Constantinum in toto Imperio Romano, cum eiusdem gestis. *Vide Promulʃ. lit* Pp. *pag.* 98.99.141.146 159 161.162.166. 167.168.203.204 214.215.216.220 221.223.227.265.266 267. 269.279.

Mahometis perfidia, & secta, & Turcarum superstitio & immanitas erga Christianos. *Vide pag.* 29.39.150. 151.152.

Illa Item quæ ad Historiam etiam seu sacram seu prophanam spectāt: America olim detegenda cum aurifodinis, & incolarum eius conuersio ad Ecclesiam Romanam, *Vide pag.* 39. 40. 144. Barbarorum irruptiones in Imperium Romanum, & Roma ab his incendenda. *Vide Prom. lit.* Xx *& pag.* 153.222.271. Hispanorum potentia siue Monarchia, & eorum conuersio ad fidem Ecclesiæ Romanę. *pag.* 144. 145. 146.273.274. Puella Aurelianensis 164. & cætera plurima, quæ hic omittuntur.

Vaticinia eiusdem Sibyllæ aduersus *Lutheranos*, Caluinistas, & cæteros minimè orthodoxos.

ROmanę Ecclesiæ veritas, Cathedra, Primatus, perennitas, successus, & casus secundi & aduersi, potentia tum temporalis, tum spiritualis, maiestas, diuitiæ, à Sibylla prędicta, & gentium scriptis ante Christum natum præsignificata. *Vide totum caput.* 12.13.16.19.20.21.22.24 *pag. item* 41.56.59.60.77.78.81.85.87.88.89.90.93 95.100.135.136.138.142. 150.157.160.165.190.192. 196 197.199.205.216.227.228.229.272.273. 274.

Pontifices item eiusdem Ecclesiæ Romanæ, quorum princeps Petrus,

cuius

cuius Sacerdotium. Primatus, Cathedra Antiochena, Nauigatio & iter in Latium & Romam, & eodem aduentus, commoratio, hospitium, Ecclesia, Cathedra ibidem fundata, Hierarchia instituta, denique omnis vita & mors, vti socij Pauli, natiuè descripta. *Vide totum caput* 12.13.16.18.19.20.21.22. *pag.* 24.77.78.85.110.113.211.214.224.225.226.235.265. *vsque* 270.273.274.275.

Romani Pontifices item Petro successuri, numquam defectura serie, in quibus S. Syluester, Leo primus, Gregorius item primus, Gregorius Calēdarij instaurator, et præter alios, hodiernus Pontifex Alexāder VII, cum eius gentilitio insigni. horum item Pontificum Primatus, iura, munia, pompa, Cardinales, vestes, & ornatus, electio, inauguratio, vti in Romana Ecclesia videmus: quorumdam item Auenionem discessus, dein reditus Romam. *Vide Dedicatoriam. totum cap.* 25. *Item pag.* 77.78.85.102.164.196.198. 201.210.211.212.213.214.221.229.254.264.265.267.168.

Basilicæ Romanæ Lateranensis, Vaticana, S. Crucis, S. Mariæ Maioris, Ostiensis, S. Bartholomęi &c. Romanæ Cryptæ, siue Catatumbæ, in quibus Ecclesia primęua olim habitaret. *Vide pag.* 85.86.87 88.91.141.156.170.171.192.214.221.269.

Romanæ Ecclesiæ Sacramēta prædicta, Baptismus. *Vide supra.* Confirmatio. *Vide promulf. lit.* O. Eucharistia & Missæ Sacrificium, cum Communione Laica sub vna specie. *Vide Prom. lit.* L. *Item pag* 8.24 60.61.93 94.95.99.100.118.119.132.134.137.141.158 170.171.172.173.176.201.202.203.229.264.273.277. Sacramentum Confessionis seu Pęnitentiæ. *Vide pag* 141.201.202. extrema Vnctio. 176. Ordo, et Ordinatio Sacerdotum, Episcoporum etc. et horum Cælibatus. *pag.* 197.199. 200. *vsque* 205.213.229.271.272. Matrimonium *pag.* 192.

Varij et innumeri ritus eiusdem Ecclesiæ Romanæ, et quidam cum Gentilibus communes. *Vide pag.* 90. *vsque* 95 99.100.132.135.136.139.143.149.170.171.173.182.183.184.190.193.198.201.205.213.229.274.1

Religiosa instituta, et in his Ordines Mendicantium, Carmelitæ, Franciscani etc. Monachatus, et Monachi in Presbyteros, Episcopos, Papas assumendi. *Vide pag.* 147.148.149.150.270.271.272.

Alia Romanę Ecclesię dogmata. Cura mortuorum habenda per preces, Sacrificia Missæ etc. *Vide pag.* 174.175. Sanctorum et Imaginum cultus et Reliquiarum. *Vide Prom. lit.* O. *pag* 91.101.132.148.150.171.172.175 186.179.186.187.200.207.209. 223.267.276.279. *Vide totū cap.* 23. Abstinentia, et discrimen ciborum, Quadragesimæ ieiunium, atque solemnitas. *Vide pag.* 94 115.136.137.211.229.277. Antichristus Romanæ Ecclesię sacrificium iuge ablaturus, aliaque facinora. 154.155.

Illa item quæ ad Historiam potissimè pertinent: S. Bartholomæi Corpus Romam aduehendum. *pag.* 156.157. B. Lucina mortuos sepeliens *Promulf. lit.* Ss. *pag.* 264. Domus Nazarena, vulgò Lauretana, Christi seu Virginis Matris, in Illyrim, et Latium diuinitus olim asportanda, eiusque ibidem terna migratio. *Vide totum cap.* 23. *pag.* 179.223. Antropophagi Atque Antipodæ ad fidem Romanæ Ecclesiæ adducendi. 145. Hodierni Hæretici prædicti, item horum Patriarchę Ioannes Hus, Lutherus, Caluinus, Melanchthon etc. Hollandorum item apostasia à fide, et cum

Hispa-

Hiſpanis orthodoxis bella *pag.* 148.149.222. Inquiſitionis ſacræ Tribunal. *pag.* 150.223.227. qui plura volet, Librum alterum expectet, et interim conſulat, quæ à pagina 217. *ad* 230. traduntur.

PROTESTATIO AVTHORIS.

ATque hæc ſunt, quæ (iuxta Prophetiam Dauidis) *Dominum narraſſe in Scripturis populorum* Gentilium *de* Roma, & Romana Eccleſia *Ciuitate Dei* exiſtimamus, *de qua glorioſa eſſe dicta*, hoc eſt, prædicta, idem vates affirmat. Quanquam illa omnia (vt verbis vtar Auguſtini, vbi de gentium ſcriptis ad ſacra adhibendis acerrimè diſputat) *ſine præiudicio melioris, & paris, aut ſimilis intelligentiæ alterius, dicta eſſe* proteſtor, eaque, vti & ſingula atque vniuerſa, hoc Libro contenta, iudicio eiuſdem Eccleſiæ Romanæ, vt par eſt, ſubmitto, cuius filius viuere ad extremum ſpiritum, atque mori volo.

Pſal. 86.

Lib. 2. de Doct. Chriſt.

FINIS.

Menda ſic Emenda.

Promulſidis litera E. Origine *lege* Origene. *lit.* V. perficeres *lege* perficere. *lit.* Cc. Auus *lege* Auus aut conſanguineus. *lit.* Ee. illæ *lege* illa. *lit.* Mm. Heliam *lege* Æliam. *lit.* Nn. eadem *lege* eiſdem. *lit.* Oo. Chriſtus *lege* Chriſtianus. *pagina* 13. negant *lege* negat; *pag.* 17. caro diluuij *lege* caro aquis diluuij. *pag.* 220. Leoni ſecundo *lege* Leoni primo. *pag.* 270. cortiſſibus *lege* corticibus. *pag.* 279. Liberam *lege* Liberum.

Cæteris autem Typographiæ erratis, facilè agnoſcendis, Legentium, vt ſpero, humanitas ignoſcet, quod humanum labi.

APPENDIX
AD LIBRVM PRIMVM
DE ORIGINE VRBIS.



ONITVM te volui (Beneuole Lector) quod superiori opere, sub auspicijs ALEXANDRI VII, fausto partu edito, in Ægidij Viterbiensis S. R. E. Cardinalis libros inciderim, qui in Bibliothecis Vaticana, atque Angelica Romę asseruantur. His autem primum Librum meũ, vniuersè firmari comperies, Lector, si primùm, qui vir Ægidius, quę, qua laude scripserit, paucis agnoueris. Ac ne sim longior, ex Petro Bembo, Iacobo Sadoleto, & Paulo Iouio, incomparabilis viri encomia petenda. Ac pręsertim, ex compluribus Leonis X epistolis ad eum, quarum hoc fragmentum: *Plus tu Ordini* (Cardinalium) *quam tibi Ordo, ornamenti afferes*. Extat & Clementis VII grandis & prolixa ad eundem cohortatoria, vt lucubrationes suas iuris publici faciat, *vt habeant posteri* (inquit Pontifex) *Aegidij scripta, qui voce caruerunt*. Ac de eius scriptis, in rebus gestis Pontificum Romanorum id legitur: *Multa ingenij monimenta, eaque insignia reliquit, Romæ in Angelica Bibliotheca, Historiam XX sæculorum, Librum primum sententiarum &c.* ex qua Historia sequentia libamus. itaque

Pagina 162. ait Cardinalis, Gentilium scripta, Prophetarum ac Christi doctrinę mirè consentire: *Integram ætatem consumpsi, vt veterum decreta colligerem, quæ etsi obscuris, verisque etiam falsa inuoluant, vtpote ab hominibus tam disputata, quam scripta, mirum tamen in modum veritati Prophetarum, & Dei Filij institutioni consentiunt.*

Pag. 175. eadem (vti Clemens Alexandrinus docet) margaritas à Christo vocari, & porcos, qui ea contemnant: *Pijs tantum animis credi arcana* (gentilium doctrinarum) *volunt, non vulgo, non impijs, non irrisoribus, non contentiosis, vel illius decreto, qui vnus omnia arcana patefecit, statuitque nec canibus sacra, nec suibus exponi margaritas.*

Pag. 306. Philosophos, Poëtas, & Scriptores Græciæ, Theologos nominat: *Nulla sapientia maior, quam veterum Græciæ Theologorum, si quæ ab Aramæis, & sapientibus, integra conseruassent, non ad suos homines, terras, historias transferentes, lympidissimam, arcanamque lucem suarum rerum tenebris inuoluissent.*

Pag. 36. Homeri, Virgilij, atque Poetarum, non elocutionem, sed diuinum sensum pueris potissimè esse prælegendum: *Qui pueris hæc legunt, si elocutionem docent, ac diuinum hunc sensum tacent, faciunt quod qui corpus, putamina, frondes amant, animam, nucleum, fructum aspernantur.*

† Pag.

Pag. 298. Vaticinia Prophetica atq; Sibyllina, innumerarum fabularum fontes & scaturigines esse: *Hinc fontes panduntur* (ex Sibyllis & Prophetis) *vnde alta cum sapientia apud Theologos veteres innumerabilia fabulamenta scaturierint, de Phœbo, de Medicinæ origine ab eo, de filio Aesculapio, &c.*

Pag. 282. Homeri opera Sibyllarum Vaticinijs plena: *Homerum imitatus Maro Sibyllarum Vaticinia in Vniuerso opere disponentem.*

Pag. 175. De eodem Homero: *Altam arcanamque Theologiam deprehendimus à Deo Patribus datam, per Homerum in Græciam translatam.*

Pag. 25. Innumera ac prope omnia in Virgilio Marone de Prophetis hausta: *Innumerabilia in Marone agnosces, de nostrorum vatum hausta fontibus, vt est: Antiquam exquirite Matrem: Italiam fato: Sedes vbi fata quietas: Imperium sine fine dedi: Nec metas rerum: Externos optate Duces: Numen in Italiam portent, victos, sanctosque Penates, & alia non quidem multa tantùm, sed ferè omnia, quæ si recenseri velint, non perbreuem libellum, sed longissimum procul dubio volumen exigerent.*

Pag. 57. Eundem secutum oracula Prophetarum atq; Sibyllarum: *Maro secutus oracula Vatum, & Sibyllarum:* Item Pag. 170. *Testes Sibyllæ sunt, quarum responsa in vniuerso opere spargit Maro.* Item Pag. 24. *Non fabellam humano ingenio confictam, sed celebratam Sibyllinis carminibus historiam, ac de Vatum sacrorum oraculis ductam, in Poëma his vndique Vaticinijs refertum, traduxit Maro. Legant ea scripta licebit, modò manu altera Maro, altera interpretes teneantur. ij illi sunt vates, vnde veluti à primis fontibus omnia profluxerunt.*

Pag. 50. Eumdem à Prophetis instructum, multa de Sacramentis nouæ legis canere, atque nominatim de Eucharistia, quam *orbem fatalis crusti* appellarit: *De nouæ Legis Sacris multa à Prophetis dicuntur, quæ Latinis tradidit Mantuanus. primò quidem crustum: deinde formam, nam orbem nominat: præterea priùs in Vaticinijs & arcanis habitum, quamobrem adiecit, fatalis: quartò, manu frangi: quintò, mandi: sextò, addi vina, hinc Pateras libate Ioui: septimò, peculiaris agnoscitur locus, Tyberis, vbi Romanæ Ecclesiæ ritus ac mos perpetuus: octauò, in eo sitam esse requiem & malorum finem, qua sola re, non rei sacræ, sicut in sex alijs Sacramentis, sed ipsi iungimur Deo, ideo malis nos illum audacibus dixit absumpturos.* Aeneid. 7.

Pag. 283. Arma Aeneæ à Vulcano data, vt Latinos superet, arma Spiritus Sancti interpretatur per Sibyllam agniti. *Vulcanijs sic armis pugnatur, quæ acri facienda viro Numen susceperat, & humanas Latij superatura vires, imò orbem terrarum debellatura fecerat ignipotens. quinam is ignipotens? quæ ambages? quæ obscurarum rerum inuolucra? De Prophetarum fonte orta omnia. Docuerat Abraham & Prophetæ, in igne venturum Deum, & Principi Asiaticæ gentis* (Petro) *in Latium traducendæ, diuina arma daturum, eiusque & sociorum animos diuini ignis robore munitarum. Almus ergo Spiritus, qui omnium artifex ab oraculo dicitur, Apostolorum & Petri illapsus animis, humana exussit, gelidum metum pepulit, ad omnia obeunda, ferenda, toleranda, inflammauit, atque idcirco Romanam & Vrbem & Sedem recepit intrepidus, dixitque*

mu-

munitus & tectis armis, quæ illi fecerat ignipotens; Vicimus, vicimus, commilitones. Num hi in curribus, & hi in equis: Nos autem Vulcanijs, & ignipotentis Artificis tecti armis, victoria potiemur. Nec mysterio vacat, hæc enim arma nonnisi in Etruria à Numine data scribunt. *Pag.* 6. Sic & cognouisse Maronem, Pontifices Romanos armis pietatis Romæ imperaturos: *Vtramque Vrbis imperandi rationem vidit Maro, è Sibyllinis carminibus id legens, caput rerum Romam priùs armis sub Romanis futuram, inde verò pietate sub Pontificibus. Pag.* 299. Nouem Musas, nouem choros Angelorum esse, & Apollinem Christum: *Musæ vana non sunt nomina, sed enumerationes illæ nouem, quæ cœlestia, humanaque gubernantes, æternas ducunt choreas, ad medij Apollinis* (Christi) *lyram &c. Has secuti, Ideas Plato, numeros Pythagoras statuere. His de principijs diuinis locuti illi sunt. Hæc illa sunt exemplaria, quæ sequi Deus Mosem præcepit in monte. Hæc de quibus Maro ait suspirans & exclamans cum Platone suo, atque Pythagora: fœlix qui potuit rerum cognoscere causas! Pag.* 70. Ianum D. Petro in omnibus componit. *Pag* 70. Vaticanos colles Pontificum Romæ hæreditatem futuros, à Sibyllis quoque esse prædictum. *In Vaticano, in ea orbis terrarum parte, quæ sola Religione Patrum latè sacra nuncupata est, cum eam oram Patrum Pontificum hæreditate claram futuram Sibyllini libri significarint.*

Pag. 12. Cur Tyberim Sanctum & Patrem vocarit antiquitas, Aegidius eam causam reddit: *Tuscum Tyberim, nonnisi Numine afflante, & Sanctum & Patrem vocauit antiquitas, ab eo clàm edocta, qui sibi eum adoptauit locum, vbi Patres, & Sanctos* (Pontifices) *peculiari appellatione nominamus*. Denique duo illa Aegidianis verbis pro coronide attexam.


Pag. 259. *De Beatæ Arboris Aureo Ramo apud Maronem, nemo aliquid aut scripsit, aut scribere vmquam potest, donec mysteria veterum Aramæorum edantur in lucem.* Bene habet, Aegidi. Tuum hoc, seu Vaticinium, siue coniecturam probauit euentus. De Beatæ Arboris Ramo Aureo scripsimus, & Beatissimo Patri Alexandro VII illum adscripsimus. Is enim, præter cætera adiuncta, in Ilice nascitur, imò gemina Ilice, qualis Chisiana, & ad hunc Columbæ (Pamphyliæ) ducunt. Veterum simul Aramæorum Maronis, Nasonis, Horatij, Propertij, Tibulli, & historicorum Varronis, Sallustij, Liuij, atque aliorum mysteria pandimus à Sibyllis orta. quid igitur, inquies, num hi Aramæi? prorsus Aramæi. Nam Apostolus Paulus Epistola ad Romanos, in Syriaco textu, Gentiles Romanos hoc nomine appellat, & vbi *Iudæi primùm & Græci, Iudæo primùm & Græco,* Cap. 1. & 2
Latinè effertur, *Iudæi primùm & Aramæi, Iudæo primùm & Aramæo* Syriacè legimus. Causam requirenti hæc statim occurret, Iaphetum Romanorum Patrem ex Aram profectum, siue ex Armenia. Nam, Scriptura teste, in Armeniæ montibus Arca requieuit, & ex Arcæ vtero in hac regione in alterum mundum priori multùm absimilem hic rursum effusus. Aramæum autem Armenium esse, tum ex etymo liquet, Armenia enim quasi Aramenia. tum ex sacris Literis, quæ in Mesopotamia Syriæ Aramæos locant, vbi Armenia, cuius Syriam partem omnes præterea Chorographi faciunt. Itaque eruditè quoque *Pag.* 283. Cardinalis, *Gens Etruriæ* (inquit) *è Syria profecta est. & pag.* 131. de Authore Vrbis: *Vrbis Romæ & Latini nominis Author Saturnus.*

Pag.

Pag.173. Nè quiſquam ad extremum miretur,tot Vaticinia de Romana Eccleſia,aut Vrbe, in Sibyllis, aut Prophetis eſſe, quot à nobis ſupra afferuntur: *Neceſſe eſt,* inquit Aegidius, *plura & auguſtiora Vaticinia, tectis nominibus, de Etruria ſcripta eſſe, quàm de Iudæa, de ſeptem Vrbis collibus, quàm de Mello, de Vrbe denique Roma, quam de Hieruſalem, vt enim lex legi, dux duci, ita locus loco, Vrbs Vrbi anteponenda eſt.* & paulò poſt: *Quamobrem ſumma neceſſitas cogit, vt Hieroſolymæ Vrbs Roma, & oracula huius, illius quoque oraculis præferantur, dicaturque non de Eccleſia Iudæa, ſed de Romana fauſtiſſimum illud Romani Hymni oraculum: Glorioſa dicta ſunt de te, Ciuitas Dei.*


Innumera eiuſmodi ſuperſunt, quæ cum illo codice, tum verò alijs idem Aegidius Cardinalis tradidit, omnia, vt ſuperiora, & ſacris Literis & ſanctis Patribus, ac recentioribus conſona, & quæ noſtra firmant. Verùm illa alteri libro reſeruamus, his interim, Lector, te fraudatum nolui. Vale, & fruere.

FINIS APPENDICIS.




Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Sacri Palatij Apoſt. Mag.

Marcus Antonius Oddus Epiſc. Hierap. Viceſg.



Hanc Appendicem, quam nouiſsimè Author ſuo Codici intexuit, tanquam illius operi, & conſilio fructuoſiſsimam, ſuperaddi poſſe cenſeo, ac typis tradi. 4. Kalend. Aprilis 1656.

D. Auguſtinus de Bellis Cler. Reg. &c.



Imprimatur

Frater Georgius Rainoldi Magiſter, & Reuerendiſsimi P. Sac. Apoſt. Pal. Magiſtri Socius.